Digitized by Google

7
4 M
25

B B.11



Digitized by Google

Digitized by Google

Z
4 M
25

B B.11



Digitized by Google

Digitized by Google

~~XXXIII. 6. 13~~
XXXIII. 26. 1.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLUSTRI & GENEROSIS-
SIMO DOMINO:

DOMINO EBERHARDO,

DYNASTAE RUPIS SPOLETANAE: HOHE-
NACCII, ET GEROLTZECCII AD VOGASINUM: DIVI
MATTHIAE Secundi Imp. nec non Sereniſſimi MAXIMILIANI Archidu-
cis Auſtriæ, piè defunctorum, Camerario: & Citeriorum Ordinum Provin-
cialium Præſidi Magnifico: ex antiquâ Ducum Spoleti familiâ
oriundo: Domino meo Clementiſſimo.

S. P. D.



PRAECLARE MERERI DE REbus mortalium videntur, Perilluſtris ac Generoſiſſime Heros: Domine Clementiſſime: qui, quæ fortiter ſapienterque ſunt ab Impp. Regibus, Principibus, belli paciſque tempore geſta, literarum monu-

Digitized by Google

monumentis conſignare: conſignata poſteritatis memoriæ ad cultum pariter atque imitationem, conſecrare ſtudent. Præterquam enim, quod nullum ferè uberius præmium referunt, publicis ſeſe curis, laboribus, periculis mancipantes: quam quod fato functi in literis vivunt: nec quibus regionibus vitæ eorum ſpatium circumſcriptum eſt; eiſdem commemoratio nominis terminatur: fieri non poteſt, quin in hiſtoria ejusmodi, tanquam illuſtri theatro, conſpicere liceat varia virtutum Heroicarum exempla: & primores quidem populorum earundem imitatores exiſtant: qui ſunt de plebe, inde quoque hauriant, quod ex uſu ſit ad mores benè laudabiliterque inſtituendos. Jam verò, ut non exiguum operæ ſuæ precium ferunt, qui vel copioſo atque connexo narrationis filo Perſonas illuſtres deſcribunt: vel ſaltuatim facta quædam ac dicta, memoratu digna, excerpunt: vel etiam imagines earundem, cum vitæ curriculo, ob oculos ponunt: ſic neque laborem planè inutilem ſuſcipiunt, qui varia à Magnatibus cuſa NUMISMATA colligunt: eaque brevi expolitione in gratiam eorum explicant, qui loquentes picturas audire potius, quam tacitam aliquam poëſin volunt intueri. Quod enim tædioſâ nonnunquam prolixitate libri ac volumina, id compendioſâ brevitate nummi præſtant: habent id Characteres eorum atque Emblemata, ut hic quidem ſolers inventum, ille prudens reſponſum: hic tubam, ille pacem: hic auſpicium rei felix, ille victoriam lætam: hic luctum, ille gaudium deſignet, plærisque etiam ſymbolis atq; inſcriptionibus ſic comparatis: ut plenæ ſint occultæ atque latentis ſapientiæ: & ſicuti imperitos à ſe arceant, ſic doctis exhibeant non nihil, in quo ingenii ſui vires exerceant. Equidem ut ad hoc ſtudij genus, haud ſegniter eorum exemplo incitatus fui, qui inſignem nummorum copiam, tam veterum quam recentiorum congerendo; eosdemque nummos doctè & ingenioſè explicando, adeoque multa, quæ jacebant in tenebris, eruendo inque lucem proferendo, laudem ſibi minimè vulgarem pepererunt: ſic neque claritate illorum ac celebritate me deterreri paſſus ſui: quo minus hanc Numiſmatum elegantiorum Syllogen, quaſi quasdam operum meorum primitias, publici juris facerem. Cæterùm cum pro antiquo atque inveterato more, is mihi deligendus eſſet:

cujus

cujus patrocinio, hoc quicquid eſt conatuum meorum, ab invidorum & malevolorum (quibus hac tempeſtate non caremus) obtrectationibus tutum redderem, tot me cauſæ atque rationes tuam ad Clementiam quaſi manu deduxerunt, Perilluſtris ac Generoſiſſime Domine; Domine Clementiſſime: ut alium circumſpicere Mecænatem non debuerim, certè nefas duxerim. Non pluribus eam attingo, quod hunc qualemcunque ingenij mei fœtum, Tuæ ſub Cl. tutelâ ac præſidio; contra maligni livoris dentem ſatis munitum fore, confiderem; cum Eam & peravitum generis decus, & cana in rebus graviſſimis prudentia, & juncta comitati gravitas; in eum dignitatis ac ſublimitatis gradum evexerit, ut bonorum omnium vota omniaque ſecunda audiat, cunctorum in ſe oculos convertat; adeoque ſingulari Provinciæ noſtræ, imò totius Germaniæ ſit ornamentum. Quod ita eſſe facilè credit, quicunque vel Perilluſtrem, & pace ſagoque celebratiſſimam; majorum Clem. Tuæ ſeriem intuetur: quos inter Proavus illius WILHELMUS, Dominus in Rappolſtein: Eques aurei velleris: triumque Impp. Maximiliani I. Caroli V. & Ferdinandi I. Conſiliarius, & ſupremus in Alſatiâ Advocatus (cujus nomen in hoc libro cum præclarâ mentione occurrit) veluti ſydus aliquod clarum emicat: vel meritiſſimo Clementiæ tuæ merito fieri cogitat, quod jam pridem à Divo Imperatore MATTHIA, & Fratre Majeſtatis ejus MAXIMILIANO, Auſtriæ Archiduce Sereniſſimo (cujus utriusque anima jam inter cœlites agit) ad Camerarii, & Citeriorum Auſtriacorum Ordinum Provincialium Præſidis munus ſit aſcita: quod favore ſummo clementiâque fruatur ſacratiſſimæ Cæſareæ Majeſtatis FERDINANDI II. moderni Imp. Auguſti, pij, felicis: ejusque de voluntate maximi ponderis legationes devotè ſuſcipiat: feliciter obeat: quod apud cæteros Germaniæ Principes ac Proceres eâ gratiâ floreat; de quâ meritò ſibi poſſit gratulari. Movere, inquam, hæc me cauſa debuit ac potuit, & præter eam altera: quod uti Clem. Tua bonas artes alias magnoperè diligit: ſic antiquitatis cognitione (quâ nulla imperanti neceſſaria aut utilis eſt magis) impensè delectatur: mihi ſpes inde atque fiducia nonnulla apparet, fore: ut cum per occupationes graviores Clem. Tuæ licuerit, ad chartulas has meas ſe conver-

 tat:

vertat: & (quod ſpero optoque) voluptatis aliquid ac laxamenti ex ijs capiat. Verùm miſſis cauſis & his, & aliis, quî ſine impietatis ingratique animi nævo, diſpicere de alio potuiſſem, cui hoc quicquid vel ſpei, vel rei, dedicarem: cum ſedulò ſcilicet calidèque mecum perpenderem: & quantis jam ante beneficijs Tua me Clementia affecerit: & quam in eo multa fuerit, ut Antiquitates meæ cum de ſuâ, tum aliorum manu quotidiè auctores redderentur: opuſculum verò præſens in lucem exiret limatius atque locupletius. Id namque fuit, cujus præcipuè causâ perpetuæ gratitudinis, cultus & obſequij nexu ac vinculo Clem. Tuæ me obſtrictum profiteor, hoc ſimul eidem munuſculum offerens: quod ſi ex ſuâ conditione æſtimetur, levidenſe eſt prorſus atque exiguum: ſi ex animo meo, ingens, profectò, affectus mei argumentum, gratique animi pignus immortale. Id ſi Cl. Tua (quod eâ, quâ par eſt, animi ſubmiſſione, oro rogoque) ſerenâ fronte excipere: deque nominis ſui ſplendore lucis aliquid ac dignitatis ei ſuppeditare voluerit, jam votorum meorum faſtigium obtinuiſſe mihi videbor: nec minus egregiè animabor, cùm ad evulganda ſimilia: tùm ad Annales Rupis ſpoletanos (quod facere jam pridem cæperam) ex Archivis ſuis eliciendos, & ad umbilicum, quod ajunt, perducendos. Ita Opt. ac Max. Deus Clementiæ Tuæ, pro communi patriæ ſalute, conſiliis benedicat: Eandemque, unà cum totâ Perilluſtri domo Rupis ſpoletanâ quam diutiſſimè publico bono ſalvam, ſoſpitem, rebusque ſecundis florentem conſervet. Exarabam Argentinæ 10. Id. Febr. Anni recuperatæ per Chriſtum ſalutis M DC XX.

Perilluſtris Clementiæ ac Generoſitatis Tuæ

Humilimus

Johannes Jacobus Luckius,
Argentoratenſis.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM DICO.

NIhil gratum æquè atque exoptatum contingere ei poſſe arbitror, LECTOR BENEVOLE, *qui de ingenij ſui fœtura in publicum aliquid emittere cogitat: quam ut mens ſua conſiliumque prius, quam in reprehenſionem veniat, penitius intelligatur. Sunt viciſſim partes eius, qui lucubrationes ſuas non vel negligi prorſus, vel improbari velit: ut planè & plenè explicet, quod ſcire Lectorem oporteat: ne ipſe dici poſſit culpam incurriſſe, quam alij poſtea imputaverit. Cum itaque hoc ipſum, de quo mihi ſermo, ſic operis huius mei ratio efflagitet, ac ſi in eo quædam neceſſitatis pars eſſe videatur: percurres,* Lector amice, *ſine moleſtia, de quibus verbo uno alterove te monendum eſſe duxi. Cum enim ab eâ uſque ætate, quâ per judicium mihi ſcire aliquid atque intelligere licuit, teſtem illam temporum, lucem veritatis, vitæ memoriam, magiſtram vitæ, nuntiam vetuſtatis, Hiſtoriam in deliciis habuiſſem; factum: ut uſu ipſo atque experientiâ diſcerem: quam fructuosè conſuetis aliis, hiſtoriæ plenius cognoſcendæ, ſubſidiis, Monetæ atque Numismata jungantur: quæ vulgari nunc ANTIQVITATVM nomine ſolent indigitari. Sunt namq; Nummi tales certa, minimeq; dubia rerum geſtarum documenta: ſunt Hiſtoriis, quia ſimul cum re ipsâ nati, plerumque antiquiores: ſunt, quia temerè adulterari, citra perſpicua doli argumenta, nequeunt, ut voluptate, ſic fide potiores: ita quidem, ut Hiſtorias non rarò ad fidem nummorum oporteat: non è diverſo nummos ad illorum rationem accommodare. Vnde non pauci in eam inſuper abière ſententiam, ut rerum, præcipuè Romanarum, ſeriem, è ſolis Numismatis ſarciri ac reſtaurari poſſe arbitrentur, ſublatâ omni (quod malum abſit) ſcriptâ Hiſtoriâ, niſi longinqui temporis labes: barbarorum atrox & Romani nominis deletrix iniuria: plurimorum deniq; cum avaritia, tum inſcitia, magnam eorum partem intercepiſſent, doctamq; poſteritatem eâ defraudaſſent. Equidem, cum hunc ad modum (dicere ut cœperam) inſcrutandis Numismatis laborans, fortunam non adverſam habuiſſem: ſed eorum aliquot millia collegiſſem:*

ſem:placere quibusdam è Patronis ac Fautoribus meis animadverti, ut ſcrinia mea thecasq; reſerando, paterer aliquam eorum partem, ubi typis deſcripta fuiſſet, in manus hominum emigrare. Parui: non tam ut gloriolam hinc aliquam aucuparer (neq; enim mei ingenij eſt, magnum quippiam de me polliceri) quam ut voluntati eorum, quibus nihil facile negare ſoleo, voluntatem meam aggregarem: feci auſpicium operis à Centenario Annis 1500. *&* 1600. *incluſo: quod ille cum Virorum fortiſſimorum, tum rerum memoria digniſſimarũ ferax, præ cæteris, ac fertilis mihi videretur. Nummos, adhæc, penè ſingulos ſuccinctâ exegeſi Hiſtoricâ explicare conatus fui: idq; frequenter non tam meis verbis, quam Authorum, penes quos ea, quæ nummus contineret, literis conſignata extarent. Quod à me factum ſcopo non alio, quam, ſi quid in Hiſtoria occurreret non æque gratum omnibus, id non tam à me, quam aliis profectum appareret. Namq; prima mihi cura in toto hoc opere fuit, prima cautio: ne cuiusvis religionẽ, vel ſtatum, vel dignitatem, calamo perſtringerem: non quicquam in quenquam acerbius dicerem: multo minus convitiis (quod multis jam Scriptoribus ſolenne) librum meum facerem auctiorem. Vt neq; in eo veniâ indignus videbor, ſi in Emblematum aut Symbolorum enodatione, quid incauto mihi exciderit: aut non ſatis opportune conceptum ſit: aut ſecus poſitum, quam debuerit. Nummos Auguſti imagine ſignatos, Argentea Ænigmata vocat Prudentius, in quodam de Coronis hymno: quod typorum ac figurarum, quibus inſigniri ſolent, ut plurimum difficilis atq; intricata ſit explicatio. Ecce, Poëta pius me excuſat, ſi non Oedipum ubiq; repræſentavi: cui datum legimus, ut ænigmata evolveret: ſi quid ſub tot gyris & mæandris latuit, quod ignorarem. Gratia iis eſto, qui meum hoc inſtitutum, qua nummos varios ſuppeditando: qua limati judicij ſui cenſura poliendo, juverunt plurimũ ac promoverunt: gratia par tibi eſto,* Lector amice, *ſi eò te lubentiorem, ad condonandos mihi errores meos, habuero: quò ad eos, cum die, & cura, emendandos, tu me habes paratiorẽ. Sub finem illud voveo: ut tantum ex his noſtris commodi ac voluptatis haurias, quantis illa mihi vigiliis ac laboribus (de ſumptibus ut ſileam) conſtitere.*

Sis felix & fave.

Digitized by Google

NUMMI III. HONORARII.

I. LUDOVICO XII. GALLIARUM

REGI, EIUSDEMQUE UXORI ANNÆ BRITTANNÆ, cultus atq; gratitudinis loco, poſt occupatum Ducatum Mediolanenſem, & copias feliciter reductas, à Republica LUGDUNENSI oblatus: Anno Chriſti 1500.

II. *Cuſus à Rege, ob ſimilem, recepti Mediolani, memoriam.*

III. *Imaginem Johannis Trivultÿ referens, ſupremi eo in bello Ducis, & Galliæ Mareſchalli.*



LUDOVICUS Gallorum Rex nominis ejus XII. ubi primum ex animi ſententiâ Regni res compoſuerat, totus & animo & viribus in bellum Mediolanenſe inſiſtere cæpit: Valentiæ aviæ nomine, Principatum Mediolanenſem, jure ſibi delatum hæreditario, contendens. Nec verò, Ludovicus Sfortia, quin magnum bellum à Gallo impenderet, dubitabat. Diu itaque cogitatum paratumque in Mediolani Ducem bellum tandem movit: multisque equitum ac peditum copiis ſubnixus, & quod Sfortia ſuis exoſus eſſet, omnem propè ditionem ejus, ſine ſanguine, in poteſtatem redegit. Rectà enim Mediolanum ducenti, obvios ſeſe effudêre cives: & pueri, tanquam patriæ liberatori, ab inviſa tyrannide eam aſſerenti,

Pæana decantavere. Sfortia tempori cedendum ratus, trans Alpes fugiens, Oenipontum ad Cæſarem ſe contulit: triginta mulis theſaurum ac ſupellectilem deferentibus. Atque hæc ferè anno ſeculi ejus poſtremo geſta ſunt.



Initio ſequentis anni Sfortia, ſpe recuperandæ ditionis, bellum parat. Nam imminentem à Gallia tempeſtatem dudum prævidens, Galeacium non paucis tantum causâ in Sueviam miſerat, ſed etiam ut Helvetiorum quorundam animos ſibi conciliaret. Is tunc ad eos profectus, quinque millia mercede conduxit: qui ob fœdus Gallicum, domo abire prohibiti, invito magiſtratu in Italiam ſeſe abdiderunt. His accedebant à Cæſare auxiliares Atheſinorum copiæ: quingenti inſuper gravis armaturæ equites, quos bello Helvetico Philippus à Sequanis patri miſerat. Inſubres quoque nonnulli in fide adhuc manſerant, quibus præerant Aſcanius Sfortia Cardinalis, Ludovici frater: cujus maximè operâ cum omnis ferè ditio paucis diebus recepta fuiſſet, Mediolanenſes, averſis à Gallo animis veterem dominum læti excepêre. Interim Cæſar per nuncios cum Helvetiis agebat, ne Regi opem ferrent, ſed Sfortiæ magis rem foverent, qui Imperio addictus eſſet. Aderant verò & Regis legati, qui jura ejus in principatum Mediolanenſem allegarunt. Inter hæc Ludovicus Sfortia, relicto ad arcis Mediolanenſis obſidionem Aſcanio fratre, ipſe Novariam profectus, oppidum & arcem in poteſtatem redegit.

Inter

Digitized by Google

Inter hæc Ludovicus Rex auditâ Mediolani defectione Tramollium cum equitatu in Italiam præmittit: peditum magnas, ex Gallis & Helvetiis copias



conſcribi jubet: quibus Johannes Jacobus Trivultius, & Ligninus præfecti magna cum celeritate Novariam proficiſcuntur. Qui in oppido erant Helvetij, non numerato ad diem dictum ſtipendio tumultuabantur. Accurrit Ludovicus Princeps, pecuniam brevi adfuturam dicit: hortatur in officio maneant, priſtinæ virtutis & militaris gloriæ memores. Illi obſtinatis animis, in fratres ſuos & propinquos arma ſe ſumpturos negant: jamque apertè cum ſuæ gentis hominibus Gallo merentibus collocuti, nullis precibus, nullâ obteſtatione moveri poſſunt, uti ducem in tutum perducant. Helvetico itaque gregarij militis habitu tectus, dum per Gallorum caſtra iter cum reliquis facit, agnitus fuit. Sunt qui à milite proditum ferunt; qui domi à ſuis dehinc capitali affecio ſit affectus. Capti cum eo fuere Galeatius Sanſeverinus Roberti filius, & alij nonnulli eodem habitu occultati. Lugdunum miſſus Sfortia, non permiſsâ videndi regis poteſtate, in Loccenſem arcem conditus, decimo poſt anno diem obiit. Aſcanius quoque à Venetorum tribunis captus, petente id Rege, inque ſua ditione captum aſſerente, & ipſe in Galliam miſſus eſt. Mediolanenſes impetrata defectionis veniâ, Regi ſeſe dedidêre. Rebus tandem è voto conſtitutis Lugdunum rediit: lætus ob uxoris partum, quæ Claudiam Valeſiam (erit ea poſtea Gallorum Regina) pepererat. Nummus prior *liliis* undiquaque conſperſus eſt, *ſymbolo Francorum gentilicio*: conſpicitur in altero *D. Ambroſius Mediolanenſium Antiſtes*: tertio Trivultius illud ſtabilit Maronis:

——————Famam extendere factis
Hoc Virtutis opus.

Et illud alterum Senecæ in Hercule Oeteo:

Quid me tenentem regna ſyderei poli,
Cœloq; tandem redditum planctu jubes
Sentire fatum? Parce, nam Virtus mihi
In aſtra, & ipſos fecit ad ſuperos iter.
Virtus in aſtra tendit, in mortem timor.

Arnoldus Ferronus in hiſtoria Gallica: Gerardus de Roo in Annalibus Auſtriacis: Author.

Digitized by Google

NUMMI DUO MEMORIÆ DICATI

VOTIVUS ALTER FRIDERICI II.

SICILIÆ ET NEAPOLIS REGIS: CUSUS, CUM REGNO exutus Ludovico XII. Galliarum Regi ſe fortunasque ſuas commiſiſſet. Anno Chriſti 1501.

Vindex alter, acceptæ à Ferdinando injuriæ, cuſus ab eodem Rege, tempore eodem.





LUDOVICUS XII. Galliarum Rex, uti à Germanorum motibus ſecurus, Neapolitanum bellum commodè aggredi poſſet, Maximilianum ſibi conciliare omni ſtudio conatus eſt. Id, etſi difficilè videretur, per filium tamen ejus Philippum confieri poſſe ſpes erat. Philippus à pace non alienus inducias aliquot menſium à patre impetravit. His ita peractis, cum Ferdinando Hiſpano, qui & ipſe regno eidem inhiaret, fœdus facit: quo uterq; ſimul Fridericum bello aggreſſi, ditionem ejus omnem manu captam, ita partirentur: uti Gallo Neapolis, cum Aprutiorum provinciâ: Hiſpano Apulia & Calabria cederet: Pontifice, Provinciarum diviſionem inter Reges factam comprobante. Fridericus itaque à duobus potentiſſimis Regibus oppugnatus, dedentibus ſeſe paſſim civitatibus extremâ neceſſitate

ceſſitate circumventus, ad Gallorum ſeſe fidem conferre conſtituit: cumque legato ejus Obignino ita pepigit: velle ſe omnia, quæ adhuc in regno teneret, intra ſex dies ipſi tradere, ſi Pithecuſas ſex adhuc menſibus retinere ſibi permitteretur. Hoc conceſſo, eam in Inſulam abijt, miſerabili omninò ſpectaculo: cum eodem ipſo tempore ſororem ſuam Beatricem, Mathiæ Hungariæ Regis Viduam, à Ladislao Bohemo repudiatam intueri: & Iſabellam, Mediolanenſi Duci nuptam, ſed veneno interemptam lugere cogeretur: qui caſus peracerbi, præter violentam è regno ejectionem, luctum Friderico duplicarant. Quare fortunâ indies magis ac magis adverſante, quod ſummum in Hiſpaniarum regem odium conceperat, ſe Gallo commiſit: Aenariâ & Tarento præſidio munitis. Rex humaniſſimè Fridericum excepit, Andegavenſi principatu ei tradito, & 30. Ducalium, qui vocantur, aureorum millibus annuo reditu aſſignatis. Quid igitur *in igne ardens liber?* Vulcano, ariolari ſi licet, tradit veteres injurias, à Rege, cujus tum ſub fide tutelâque vivebat, ſibi illatas: optatque, poſitis odijs, longarum tandem finem diſcordiarum. Quid *agnellus à lupo raptatus?* Oedipo non opus in re manifeſtâ. *Gerard. de Roo. Author.*

NUMMUS CASTRENSIS FERDINANDI CONSALVI DE CORTUBA: FERDINANDI HISPANIARUM REGIS, in bello Neapolitano, ſummi Præfecti: Cuſus Anno Chriſti 1503.





FERDINANDUS CONSALVUS, ob res præclarè geſtas, Mganus cognominatus, in bello eo, quod inter Ferdinandum Catholicum, & Ludovicum Galliarũ Regem conflatum geſtumq; fuit, ad Cannas & Lyrim, memorabili pugnâ ingentem Gallorum exercitum profligavit: obtinuit victoriã, vel ob id celebriorem: quod eam tam nobilis, tamq; opulenti regni integra amiſſio, & Hiſpani imperij firmamentum ſecutum fuit: magis autem, quod cum Galli hoſtibus potentiâ longè ſuperiores, & omnibus terriſtribus maritimisq; ad bellum neceſſariis apparatibus inſtructi, regnum invaſiſſent, tam facilè, & ſine hoſtis ſanguine ac periculo ſunt debellati: quamvis etiam pauci hoſtili manu perierint, è tanto tamen exercitu, variis caſibus, pauciſſimi evaſerunt. Ex peditibus enim qui fugâ elapſi ſe conſervarunt & ex iis qui deditione factâ, terreſtri itinere Caietâ diſceſſerũt, pars frigoribus & morbis conſumpta eſt: & qui vivi Romam pervenerunt, plæriq; nudi ac miſerabiles, pars in publicis pauperum hoſpitiis: pars noctu frigore, & fame in plateis & viis perierunt. Hujus autem rei, ſive fata Gallis adverſa, nec minùs nobilitati, quàm plebi contraria, ſive morbi ex incommodis ad Garilianum paſſis contracti, cauſam præbuerint, plærique eorum qui deditione factâ navibus Caietâ, ubi maximam equorum partem reliquerunt, diſceſſerant, vel in itinere, vel quam primum in Galliam perveniſſent interierunt: inter quos Salutiarum Marchio, Sandricartius, & Montis præfectus, multique alij magnæ nobilitatis viri cladis ad Garilianum acceptæ, totque Calamitatum, quæ poſt ſecutæ ſunt nũncij, ob eorum, qui perierant multitudinem, & præcipuè tot nobilium virorũ jacturam totum Galliæ regnum lachrymis & planctibus repleverunt. Conſalvo viciſſim alludere in ſymbolo ſuo *ad exempla Auguſti & Titi Impp.* placuit: *quorum ille oppreſſo Antonio Janum clauſit: hic everſâ Hieroſolymâ & bellis, Syria totâ, compoſitis. Franuſc. Guicciard. Author.*

NUM-

NUMMUS TRIUMPHALIS ULRICI DUCIS WIRTEMBERGICI, CUSUS POST BELLUM BAVARICUM, ET auctos inſigniter Ducatus ſui terminos; Anno Chriſti 1504.



GEORGIUS Dux Bavariæ moriens RUPERTUM Generum, filium Philippi Electoris Palatini, hæredem ex aſſe ſcribit. Id, cum ægrè admodum amarulenterque ferrent cæteri Bavariæ Duces, Rupertus verò neque hæreditate cedere; neque ſalutaria MAXIMILIANI Cæſaris amplecti conſilia vellet, unà cum patre Philippo Electore proſcribitur; Copiis Imperatoris ſuas conjunxerat Fridericus Marchio Brandenburgenſis: Albertus & Wolffgangus Bavari, cum fœdere Suevico: Landtgravius Haſſiæ Wilhelmus: Alexander Comes Palatinus Dux Bavariæ & Veldentiæ: Inprimis vero Ulricus 17. Annorũ Adoleſcens; & quod bellicæ laudis eſſet cupidior: & quod ſumptus faciendos ſe recepturũ confideret, bellũ promptè indicit Electori Palatino: educit ad 20000. peditum & octingentos circiter equites, cũ neceſſario belli apparatu: Obſidet Mulbrunnam, Monaſterium muro & turribus validum, præſidio 300 virorum firmatum: idque tormentis expugnatum ad deditionẽm cogit. Inde Knitlingam ſubigit: Brettam obſidione cingit quidem, ſed interveniente Ludovico Palatini filio, rurſus liberat. Poſt exercitum ad munitiſſimam arcem oppidi Bæſeckhaimi movet: quo obtento Leoſtainium oppidum & arcem obſedet, omnia circum, ferro & igne, populatus: quartoque obſidionis die capit. Inde ulterius movens, arcem & oppidum Weinſpergum, Neuſtadũ ad Cocham: Meckmülam oppidum & arcem in poteſtatem ſuam redegit. Non minus cæteri etiam principes quos Cæſar ad bellum excitaverat, plurimum damni Palatinatui intulére. Superato ſic Ruperto, & Electore Philippo admodum humiliato, pacem tandem Cæſar utrobique mandavit. Cui principes obedientes, rebus benè geſtis, domum ſunt reverſi: cum expeditio iſthæc bellica 17. hebdomadas duraſſet. *Cruſius in annalibus Suevicis Author.*

NUM-

NUMMUS TRIUMPHALIS MAXIMILIANI IMPERATORIS, CUSUS POST PUGNAM MEMORABILEM, AD REginoburgum cum Boemis commiſſam: & expugnatam arcem Geroltzeckianam Anno Chriſti 1504.



DUrante bello, de quo modo verba facta, Bavarico, cum Rupertus Alberto viribus impar eſſet, Boemorum non parvam manum conduxit. Eos propè Reginoburgum excepit Maximilianus Cæſar: animo ferens indigniſſimo Boëmos in Germaniam adduci. Aderant illi Albertus Bavarus, Fridericus Brandenburgicus, cum Caſimiro & Georgio filiis: quorum utrumque Cæſar militari dignitate, ſub pugnæ tempus inſignierat. Boëmis ſe cum ſuis conjunxerat Rupertus. Utrisq; pugnæ cupidis acerrimè pugnatum eſt, & Rupertus egregiè inter primos ſe geſſit, nutantem aliquoties aciem inſtaurans, neque ullam de ſe timoris ſignificationem præbens, quoad conſiſtere ſuos vidiſſet. Cæſar verò ſuos, & verbis & exemplo cohortatus, in denſiſſimam hoſtium agmen invectus, vitæ periculum adiit, ex quo ſuorum tamen virtute ereptus, hoſti pertinacius reſiſtenti, victoriam extorſit. Boemorum multi in prælio, nonnulli in fuga cæſi: reliqui domum, qua venerant, per ſaltus rediêre. Poſt hoc prælium, multa paſſim loca ultrò deditionem fecêre. Eſt ad Oeni ripam in Tirolenſis agri & Bavariæ confiniis Kufſtemium oppidum, quod arcem habet, ex ſolida rupe exciſam: quæ in montis prærupta crepidine collocata, oppido ſuperimminet, unam tantum, quâ adiri poteſt, ſemitam præbens: ingenio loci & opere munitiſſima, Geroltzeckum appellata. Hanc per id tempus cum præſidio tenebat Joannes Bentzenaverus, domi nobilis, & rei militaris peritiâ inſignis: qui Palatinorum partes ſecutus, fiduciâque loci elatus, inſolenter admodum ſe gerebat. Cæſar eò profectus arcem cum oppido ſibi tradi poſtulat, vitam ac veniam præfecto, eiusque militibus promittens. Id cum impetrari non poſſet, oppugnationem, etſi difficilem aggreſſus, crebris tormentorum

ictibus

ictibus arcem verberari juſſit. Ferunt præfectum, ut planè omnem vim hoſtilem ſpernere videretur, poſt exploſa tormenta, ſcopis etiam exteriorem muri partem verri juſſiſſe. Contumeliâ itaque iſthâcce ſuique contemptu irritatus Cæſar, majora tormenta, per clivoſa montium juga, in locum quendam ex adverſo in monte, qui arcis ſitum altitudine, nonnihil ſuperaret, ſubvehi curavit: quibus non mœnia ſed milites ipſi, & interiora arcis domicilia petebantur, neque usquam tutus dabatur receſſus. Obſeſſi deditionem tandem faciunt: præfectus cum nobilibus aliquot capitali ſupplicio afficitur. Cæſar arcem cum oppido Tirolenſium ditioni aſſerit, partemque montis illam, ex qua tormenta exploſa fuerant, deſtrui curat. Rupertus non multò poſt cum uxore animi ægritudine Landshuti diem obiit, Anno ætatis 23. relictis infantibus, quibus Maximilianus nonnulla de paterna ditione reſtitui curat. Cæterùm cum multo & labore, & ſumptu, & periculo hæc Cæſari ſtaret victoria, meritò ſymbolum hoc ejus *rotam* habet, *quæ ſub mundo voluitur.* Reges notans & Principes non niſi per tot diſcrimina ad ardua pervenire: quot in *malo punico acini* reperiuntur. Sed ut duri corticis & amari malum eſt punicum: acinos habet ſuaves: nucleos medicos: ſic dulciſſima eſt periculorum exantlatorum, rectéque factorum memoria. *Gerardus de Roo,*
Author.

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES PHILIPPI I. REGIS CASTELLÆ, LEGIONIS, &c. CUSI DURANTE BELLO, CONtra Carolum Geldriæ Ducem ſuſcepto: Anno Chriſti 1505.











PHILIPPUS I. Caſtellæ & Legionis Rex, antequam iterum in Hiſpaniam abiret, conſilium ſecutus procerum ſuorum, armis Geldriam repetere ſtatuit, haud ignarus per eam acceſſionem hoſtium opes ubique ſuis impares fore. Cum florentiſſimâ igitur equitum peditumque manu profectus, Arnemum Geldriæ oppidum ſubitâ vi adoritur: cujus incolæ ad poſtremum metu ſubacti, portas Burgundo patefecerunt, qui ingreſſus præſtitit fidem deditis: neminem violans: nihil cuiquam adimens: nemi-

neminem ſuis fortunis diſpolians. Quæ res effecit, ut continuò alia pleraq; oppida ad Philippum defecerint. Videbatur paucis diebus univerſam Geldriam ſubacturus (*ſicuti animosè ſatis quemvis*, QUI VOLET, *ad pugnam provocat*) niſi in Hiſpaniam redire cupiens, pacem cum Geldro feciſſet. Ea traditus his propè conditionibus data: ut quæ in deditionem Philippus accepiſſet, ſibi haberet: Carolus Geldriæ princeps unà cum Burgundo in Hiſpaniam proficiſceretur. Verum hoc ad iter jam accincto, Geldrus, mente mutatâ, excuſavit neſcio quas occupationes. Unde factum, ut quæ pollicitus fuerat, non præſtiterit. Philippus autem morbo correptus moritur ſexto Calend. Octobris, Anno Domini 1506.

Ætat. 28. *Hadrianus Barlandus.*

NUMMUS TRIUMPHALIS LUDOVICI XII. GALLIARUM REGIS, POST GENUENSIS REIPUBLICÆ SOPItam à ſe, punitamque defectionem: Cuſus Anno Chriſti 1506.



Genuenſes, abſente Philippo Ravenſteinio urbis præfecto, armis ſumptis magiſtratui rebellarunt: neque ab illo, ad rei nuncium ex Galliis reverſo, impediri potuit, quò minus populares, fruſtrà repugnante nobilitate, novum ex ſeſe magiſtratum crearent, quos Tribunos plebis vocabant. Hi Spediam & alia quædam maritima loca expugnant: excuſſo, uti videri volebant, Gallorum jugo: domi verò nobilium domos expilabant, quorum multi patriâ exceſſerant. Quidam ex illis, inter quos Joannes Ludovicus Fliſcus, Spediâ, cui regis nomine præerat, relictâ, ad regem profecti, graves de plebe querelas inſtituunt. Rex eò moleſtius illorum defectionem tulit, quò æquiora in ipſos imperia ſe exercuiſſe noverat. Cujus indignationem veriti Genuenſes, omnem rei culpam in nobilitatem derivare conati, miſsâ legatione, non ſe à rege defectionem, ſed contra impotentem paucorum dominatum, neceſſariam defenſionem paraſſe ſignificant. Sed poſtquam bellum in ſe decretum audivêre, manifeſtè jam regis imperium detrectantes, Paulum quendam Nonium, ſerici panni tinctorem, de plebe hominem, ſed induſtrium, Ducem creant. Rex ubi hæc audivit (jam enim Ravenſteinius furori plebis ceſſerat) haud morandum ratus, cum validis copiis in Italiam iter parat: propiusque cum exercitu Genuam accedens, ſuperatis locorum aliquot difficultatibus, reſiſtentes haud magno negotio in fugam conjecit. Reliqui omnes, urbem, ſeque fortunasque ſuas omnes, illius fidei & miſericordiæ commiſêre. Sexaginta judicio traditi, reliqui certis conditionibus in gratiam recepti ſunt. Nonius paucis diebus ex fugâ adductus, capite pœnas luit. De *Hyſtrice* Oppianus refert: quod, cum ſpinas ſive aculeos ſuos, albicantes alios, alios nigricantes, conſpecto hoſte, extendit atque erigit, nulla in ſylvis opacis fera horribiliore aſpectu appareat. Magis, ſimilem ad modum, terrore potentiæ ſuæ, quàm gladiis ac tormentis in gyrum obedientiæ Genuenſes reduxit Gallus: *ultus injurias non ſuas modo, ſed & avorum*, à quibus urbs eadem non ſemel defecerat *Gerard. de Roo. Author.*

NUM-

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS CAROLI DUCIS GELDRIÆ OCTAVI ET ULTIMI, CUSUS IN EXPEditione contra Brabantinos ſuſceptâ. Anno Chriſti 1507.



MAgnum, Carolo huic, ad res arduas animum fuiſſe, cùm *ſymbolum ejus refert, explicatione nullâ indigens:* tum bella teſtantur contra Auſtriacos Belgarum Principes, pro ducatu Geldriæ, Anno Chriſti 1505. contra Brabantinos verò Anno Chriſti 1507. ſuſcepta. Veniens in Brabantiam cum Roberto à Marca Leodinorum Epiſcopi fratre, Dieſtenſium urbem oppreſſurus, à mœnibus ejus, Naſſovij Principis & civium virtute repellitur. Halâ oppidulo incenſo, Thenæ obſeſſæ, captæ, atque ita direptæ ſunt, ut nec templis quidem, nec ſacris locis temperatum ſit. Multi præterea omnis ſexus & ætatis ſine diſcrimine partim contrucidati, partim Ruremondam, Geldriæ oppidum, abducti fuerunt in omne genus malorum. Lovanium, præſidio licet firmatum, facile tamen cepiſſet Geldrus, ſi tentaſſet. Duravit tempore bene longo hæc Caroli nunc in Holandos, nunc in Brabandos graſſatio: captis aliquot inſuper oppidis: magnâ pecunia mulctatis Buſcoducenſibus; donec tandem ei per Maximilianum Imperatorem impoſitus finis fuit. *Hadrianus Barlandus. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS JULII SECUNDI PONTIFICIS: CUSUS ICTO FOEDERE CAMERACENSI, cujus Author ipſe fuerat. Anno Chriſti 1508.



JULIUS Secundus Pontifex Max. Imperatorem, & Galliarum regem, Venetis parum faventes intelligens, utendum hâc occaſione: deque utriusq; animo ſibi copulando laborandum eſſe ſtatuit: ut, quod ſuis opibus minus poſſet, illorum viribus adjutus, Ariminum, Imolam, Cerviam, Faventiam, nonnullasq; alias civitates à Venetis recuperaret. Accedebat ad veterem illam indignationem, quod cum ipſe Vincentium Epiſcopatum, poſt defunctum S. Petri Cardinalem nepotem ſuum, Sixto alteri nepoti dediſſet, illi contempto eo, alium ex patriciis ſuis intruſerant. Itaque miſſus in Gallias Sixtus, multa cum rege agit: quorum partem cum Maximiliano Pontifex ipſe per literas communicavit: quos ſi conjungere poſſet, Ferdinandum utriq; multa neceſſitudine illigatum, in eandem ſententiam adductum iri, ſciebat. Haud magni negotij res fuit, hos Principes ad bellum Venetis inferēdum animare, quod ſuas quisq; cauſas habere ſeſe putabant, & ad recipienda, quæ ſingulis erepta poſſidebant Veneti, omnium conjunctionem peropportunam videbant. Igitur adnitente inprimis Pontifice, & Commeantibus internunciis, eò res deducta eſt: uti Imperatoris nomine Margaretha, ejus filia, Belgarum gubernatrix, & Matthæus Langius à Rege Galliæ Cardinalis Rothomagenſis, quem ſequebatur Jacobus Albionus, Aragonum regis legatus, Cameraci convenirent. Sed, ne vera hujus conventus cauſa Venetis innoteſceret, ſparſum in vulgus eſt, de pace cum Geldro, tractanda agi, cum quo paulo ante dierum quadraginta induciæ interceſſerant. Paucis diebus transacta inter illos res, inque certam formulam conceptum fœdus, quam apud Gerardum ſæpius hactenus à nobis citatum videre licet. *Obductum* nummus refert *tenebris caſtellum*: ſed & *coruſcantem ſerenâ luce Dianam*. Tenebras Julio multas offuderunt Peruſia, Cæſena, Forilivium, Venetorum cumprimis indies creſcens potentia: novum ei jubar exoritur, pacto cum potentiſſimis magnatibus fœdere. *Gerard. de Roo. Author.*

NUM-

NUMMI MEMORIÆ
DICATI

REFERENTES IMAGINES NICOLAI URSINI: ANDREÆ GRITTI ET BARTOLOMÆI Liviani, Ducum fortiſſimorum: quorum operâ uſi ſunt Veneti in bello, contra Ludovicum XII. Regem Gallorum geſto: Anno Chriſti 1509.









CUM Ludovicum XII. Gallorum Regem variis modis offendiſſent Veneti: repudiaſſent conditiones æquiſſimas, per legatum Regium Joannem Laſcarim oblatas: detrectaſſent auxilia ad repetendam Neapolim poſtulata, factum eſt, uti bello eos petere deſtinarit: Julio Pontifice tubâ incentivâ pariter atque ſuccentivâ, regem incitante. Erant ei in armis quadraginta hominum millia, quæ Antonius etiam Dux Lotharingius ſecutus eſt. Jacobo Chabaneo Palicio prima acies data eſt: cui junxit Rex Helvetiorum turmas. Viciſſim & Veneti, quantas poſſunt, copias ex omni ditione comparant: Nicolaum Vrſinum Nolæ & Petiliani regulum, ac Bartholomæum Livianum rei ſummæ præficiunt: quibus Andream Grittum, & Georgium Carnarium adjungunt. Hi in Lombardiæ fines progreſſi, regis conatibus obviam ire ſunt juſſi Ante quorum adventum Ciamontius regis juſſu Abduam fluvium, propè Caſſianum, vado traijciens, Trevium, & vicina quædam loca invadit: præfectos aliquos capit Hinc ubi Mediolanum ad regem iviſſet, Trevium ab exercitu Veneto recipitur. Ad ejus rei famam Rex cum omnibus copiis, adcurrens, antequam ab hoſte

prædis

prædis intento prohiberetur, ſuperatâ Abduâ, caſtra propè hoſtem ponit: & levibus inde velitationibus, occaſionem prælio quærit. Non deerat Liviano pugnandi ardor: ſed Petilianus in aciem venire, & totius rei eventum in unius pugnæ aleam conjicere, ſuis rationibus inutile eſſe putabat. Rex ut illos in prælium alliceret, Ripaltam machinis concuſſam capit: captam incendit. Cum v, contra ac ratus erat, Veneti neque tum loco ſe moverent, caſtra retrò ad fluvium transfert, quo loco ipſis commeatum intercipi poſſe, videbatur. Id ne fieret, Veneti & ipſi caſtra movent, cumque præter regios iter facere cogerentur, Galli inſtructis ordinibus ſignum expectare juſſi, mox in prætereuntes invecti ſunt, & eam agminis partem, cui Livianus præerat, nunc à tergo, nunc à lateribus, perturbant. Ille neceſſitate pugnæ allatâ, militem diſſipatis ordinibus incedentem, ad ſigna vocat: aciem inſtruit: & pro tempore exhortatus, cum delecta equitum manu in hoſtem irruens, propè ad regem ipſum pervaſit. Jamque Gallorum acies inclinare nonnihil, & pedem referre videbatur: ſed equitum turmæ, & Helvetiorum peditum phalanges ad regem accitæ, trepidare hoſtem, & fugam circumſpicere coegerunt. Cecidêre ex utrisque plurimi in ipſa pugna: ex Venetis in fuga quoque nonnulli apud ipſos peditum: apud Gallos equitum jactura major fuit. Ad octodecim hominum millia utrinque deſiderata fuiſſe, qui prodidêre. Livianus graviter vulneratus unà cum Citolo Peruſino captus eſt. Petilianus cum exercitus ea parte, quam ducebat, in tutum evaſit. Defunctos Rex ſepeliri juſſit: fanumque eodem loco ædificari, ubi ſacra fierent annua: idque vectigalibus annuis dotavit. *Gerardus de Roo. Arnoldus Ferronus.*

NUM-

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS.

MAXIMILIANI PRIMI IMPERATORIS: CUSUS SUSCEPTO CONTRA Venetos bello. Anno Chriſti 1509.



CUM Venetos non à Gallo modo fractos, ſed & plurimis difficultatibus aliis circumventos intelligeret Maximilianus I. Imp. minimè occaſionem hanc negligendam ratus, cum maximâ Germanorum manu in Italiam contendit. Auſpiciis ejuſdem Chriſtophorus Frangipanius Piſinium, Diviniumque in Iſtria arces: Ericus Brunſuicenſis Feltrium, ac Bellunium capit. Inde ad famam de ipſius cum Germanis adventu, Goritia, Tergeſtæ, & alia non pauca ejus tractus loca in ejus fidem redeunt. Veneti poſt Gallorum ex Italia diſceſſum aliquantulum recreati, nova, de recuperandis iis, quæ amiſerant, inprimis verò de Patavio conſilia iniêre. Erant ea in civitate complures Veneti nominis ſtudioſi: quos inter Sacardus quidam Soncinus hujuſmodi dolum commentus eſt. Andream Grittum, cui id negotij à Senatu datum erat, cum ea militum & agreſtium manu, quam habebat, occultato itinere propius ad caudæ longæ portam ſubire, & occaſionem rei expectare jubet, ipſe armatis domi conſciis, ad præſtitutum tempus currus aliquot fœno onuſtos in oppidum adduci jubet; quorum uni, ſub ipsâ portâ, ex compoſito rota excidit. Accurrens cum ſuis Grittus, in forum uſque progreſſus, Venetos eorumque patronum S. Marcum conclamat. Excitus ad clamorem Leonhardus Triſſanus, qui cum præſidio tantum trecentorum Germanorum oppido præerat, dum præter Brunorium Saregium, cum quinquaginta equitibus, neminem ſuppetias venire vidit, in arcem ſe confert, moxque viribus ac paucitate diffiſus fugâ dilabitur. Ita Veneti totâ urbe, ſine ſanguine, potiuntur. Cognitis his Maximilianus, cum omnibus ſuis copiis Veronâ profectus (quæ jam pridem claves legatis ejus tradiderat) ad tertium à Patavio lapidem tormenta expectat: mox Limono expugnato, Ateſte caſtrum expugnat: Monſilicium oppidum vi capit, & deſtruit. Poſt advecta tormenta Patavium obſidet, muros plurimis locis, & propugnaculum quoddam ad portam Omnium Sanctorum propè totum deiicit.

Digitized by Google

Die obſidionis decimâ inſtructâ acie mœnia tormentis patefacta invadere in animo quidem habebat: ſed quod aqua ſolito altior eſſe nunciabatur, militem in aperta pericula mittere noluit. Inter hæc Lucas Malvetius cum aliquot equitum turmis, urbe egreſſus quadraginta aureorum millia Venetiis allata, paucis in tranſitu amiſſis, introduxit. Cum igitur omnium rerum copia, ex ante convecto ſuppeteret, & milites pecuniâ acceptâ, prompti ad imperata adeſſent, Cæſar fruſtra operam ſumi videns, tormentis tutum in locum deportatis, Liminum cum omnibus copiis, atque inde Vincentiam ſe convertit, multa de ſociis ſuis queſtus: quorum Pontifex admiſſis Venetorum legatis, & Gallus auxiliis tardius miſſis, fidem omnibus feciſſent: alieniori ſe ab ipſo eſſe animo. *Gerardus de Roo.*

NUMMI MEMORIALES

IMAGINES REFERENTES ISMAELIS SOPHI, PERSARUM REGIS ET BAIAZEthis ſecundi, Turcarum Imperatoris, armis ſe invicem petentium. Anno Chriſti 1510.



ISmaël Sophus regem ſeſe Perſidis, Jacuppo Uſſumcaſſanis filio perfidiâ libidinoſæ conjugis obtruncato, effecerat, occaſione innovatæ in Mahometanâ ſectâ religionis: quæ tanto cum applauſu & ſtudio credulæ multitudinis ſuſcepta eſt, ut clientes ejus, ſectatoreſque concurſu gentium, ardoreque propagandæ religionis incredibili, in Cappadociam, ipſamque Lycaoniam felicibus armis penetrarint: nepoteſque duos Bajazethis, Orchanen, & Machumeten, & binos Baſſas, Caragium, Bellerbeium Aſiæ, & Halim, geminoſque exercitus duobus ducibus oppreſſis, occidione deleverint penè citius, quàm magnitudo periculi Bajazethi innotuerit. Iſmaelis ſocius erat Techelles (alio nomine Schachkuli vocabatur) qui concionando, fatidiceque reſpondendo, pellectis Cappadocibus in ſectæ bellique ſocietatem, exercituque Perſarum auxiliis firmato, è finibus Cappadociæ Lycaoniam irruit, & vaſtatâ regione, Iconio exercitum admovet. Inde eum depulſuri Orchanes, & Mahumetes nepotes Bajazethis, qui illis regionibus imperabant, ab hoſte fuſi fugatique ſunt. Techelles, relicto Iconio, in Bithyniam effuſus obvium habuit Caragium Baſſam, Aſiatici equitatus Magiſtrum, quem Bellerbeium nominant. Hunc magno prælio ſuperatum, feſtino advolatu obrutum concluſit intra Cutheiam urbem ad Orminium montem. Urbe expugnatâ, Caragium cum uxore vivum cepit, atque ad Pruſiam Bithyniæ caput animum adjecit. Sed ab eo conatu avertit eum Bajazethes, novis copiis objectis per Halibaſſam, cui ſe Techelles Galaciæ planitiem emenſus, obvium ex inſperato tulit, & ut vel demoraretur, vel à perſequendo eum deterreret, Caragium Bellerbejum,

bejum, quem vinctum ſecum trahebat, mediâ viâ; ſequentibus ſpectandum, palo affixit. Hoc ſpectaculo incenſus Halibaſſa magnis itineribus antecedentem inſecutus eſt, donec ad Olygam montem non procul ab Ancyra, Techellij prælij initium fecit, in quo ipſo ad extremum cæſo, copiæ penè jám victrices, mutatâ fortunâ belli, cum interitu Ducis diſſipatæ ſunt. In locum Halibaſſæ ſummiſſus Junus Baſſa Epirota, acceptis ab Achomate Baiazethis filio copiis, Techellem tandem totâ minore Aſiâ expulit. *Philipp. Lonicerus in Chron. Turcico.*

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES
JULII II. PONTIFIC. MAX. ET
ALPHONSI III. FERRARIÆ DUCIS;
Cuſi durante Bello Ferrarienſi: Anno Chriſti 1511.



ETſi Julius II. Pont. cauſas varias bello prætexeret, Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci illato: attamen non niſi ea demum vera fuit: quod Ferrariæ opes jam animo invaſiſſet: urbemque figendæ ſuorum dominationi aptiſſimam videret. Ægrè non minus amarulenterque idem tulit; quod poſtulanti, ut icto cum Gallo fœderi nuncium mitteret Alphonſus, non paruiſſet. Quî vero parêret, cum *de forti hoc ei dulcedo promanaret?* Habent namque Hiſtorici: Regem per nuncios ac literas ſæpe teſtatum, ſe libenter omne imperium, pro Eſtenſis incolumitate, ac defenſione expoſiturum: nec Inſubriæ modo, ac Liguriæ, totiusque Ciſalpinæ regionis, ſed Galliarum, & reliqui regni vires non promptius pro ſalute, ac exiſtimatione, quàm pro Alphonſo evocaturum. Pontifex majorem in ſe molem, quam cui ferendæ par eſſet, impendere videns, Joannem Franciſcum Picum Mirandulæ regulum, ad Ciamontium miſit, ſummum Gallicarum copiarum præfectum. Sed poſtquam longa diſceptatione, multisque internunciis ultrò citroque miſſis nihil conveniſſet, Pontifex datis ad reli-

quos principes Chriſtianos literis, graves de rege querelas facit. Rex cum Gurcenſi Cæſaris legato novum fœdus certis conditionibus componit. Vigebat interim bellum Ferrarienſe, & Pontifex ipſe, novi anni initio in caſtra profectus, quæ ad Mirandulam tunc erant, non prius deſtitit, quàm ea civitas caperetur. Nullis enim ſuorum conſiliis: nulla itineris & temporis difficultate, quo minus id bellum, præſens ipſe & periculis ſeſe offerens, urgeret, deterreri potuit, exemplo admodum raro, mirantibus plæriſque illo ipſo tempore, quo Gallorum Rex quietus ipſe, per legatos rem adminiſtrabat, Pontificem in caſtris verſari. Nolebat quippe quenquam *contra ſtimulum ſuum calcitrare*: nec erat è ſuperioribus Pontificibus, qui Petri Patrimonium majore animi præſtantiâ tutaretur, aut latius proferre contenderet. *Arnoldus Ferronus in vita Lud. XII.*
Gerard. de Roo. Platin. in vita
Julij II.

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES LUDOVICI XII. GALLIARUM REGIS, CUSI, UTI APPARET, ANTE, VEL poſt pugnam ad Ravennam commiſſam. Anno Chriſti 1512.



LUDOVICUS XII. Galliarum Rex Julio ſecundo Pont. Max. admodum infenſus, opera Bernardini S. Crucis purpurato Hiſpano, & ejus collegis Concilium, Mediolani decretum, Piſis habere cœpit. Julius verò aliud Romæ, in Laterano Concilium, in ante diem Calendarum Maij anni ſequentis, indixit. Ad Piſanum Ludovicus in toto regno quatuor & viginti Epiſcopos miſit: Cæſar, ob auxilia aliò deducta, regi offenſus poſt Lateranenſe concilium à Pontifice promulgatum neminem Piſas legavit, ſed Epiſcopos ſuos Auguſtæ Vindelicorum ſuper hoc negotio conſultari juſſit. Julius interim, uti contra Gallum vires ſuas firmaret, Piſanumque conciliabulum impediret, ſub anni finem fœdus cum Arragonio ac Venetis de mutuâ ſociorum defenſione, percuſſit. Rex, alienatum à ſe Maximiliani animum videns, ut cum hoſte, antequam ille apertè cum confœderatis ſe conjungat, debellaret, aut operæ pretium aliquod inſigne faceret, Gaſtoni Foiſſeio, qui Brixiam per eos dies cæperat, uti hoſtem aggrederetur, ſcripſit. Foiſſeius, Ravenna nequicquam tentatâ, ad Pontificis exercitum advenientem converſus, memorabili prælio victoriam adeptus, ab Hiſpanis, quibus abire volentibus fugam permittere noluit occiſus eſt. Cecidêre utrinque fortiſſimi quique ad decem millia: quorum trientem ex Gallis: reliquos ex Italis & Hiſpanis fuiſſe memorant. Incidit hoc prælium in ſolennem Dominicæ reſurrectionis diem, qui eo anno Aprilis erat undecimus. Victoria penes Gallos ſtetit luctuoſa, propter ducis & nobilium quorundam cædem, *lætior futura, ſi ille fugienti hoſti, ne deſperatio in fortitudinem vertatur, vel argenteum pontem eſſe ſubſternendum meminiſſet.* Ravenna victoribus ſe dedidit, à quibus direpta eſt. *Gerardus de Roo in Annalibus Auſtriacis.*

NUM-

Digitized by Google

ALTER MAXIMILIANI IMPERATORIS: MAXIMILIANI SFORTIÆ ALTER: Cuſi poſt Gallos ex Italia pulſos: reſtitutum Sfortiæ Mediolanum. Anno Chriſti 1512.



PATRONUM & Clientem eâdem hic paginâ exhibemus. Ille Maximilianus Imper. eſt, qui Ludovici copiis ac præſidiis ex Italia ejectis, in eo totus erat, ut ad legitimum dominum Inſubriæ Principatus rediret. Hic Maximilianus Sfortia, Dux Octavus Mediolanenſium: dignus ob ſingularem in Imperatorem obſervantiam habitus, qui in recuperandâ ſede patriâ juvaretur: cum præſertim faventem reſtitutioni Pontificem haberet. Urgebat namque rem eam Julius ipſe, & Helvetij: quod externi regis potentiam ille per Italiam invaleſcere nollet: & tenuiorem hi vicinum Gallo præferrent. Committitur negotium reductionis Epiſcopo Gurcenſi: qui Româ diſcedens Maximiliano Sfortiæ, qui jam ex Germania Veronam veniſſe dicebatur, obviam proficiſcitur. Is verò ex Sedunenſis Cardinalis inſtinctu non expectato illius adventu Cremonem abierat: ibi eum aſſecutus Gurcenſis, Mediolanum usque deduxit, ubi magnâ

cum

Digitized by Google

cum omnium lætitia ſolenni ritu inauguratus eſt. Symbolum Ducis elegans eſt, quo ad magnas quidem res capeſſendas præclarè ſe animatum eſſe oſtendit: deſperare verò de votis animi ſui, ob vitæ brevitatem, complendis. Sic *formica auſu niſuq́; præclaro ad cælum uſq; repere conatur: vitâ vero ſpirituq́; deſtituitur ante, quàm finem optatum aſſequatur. Gerardus de Roo. Author.*

D NUM-

Digitized by Google

NUMMUS TRIUMPHALIS HENRICI VIII. ANGLORUM REGIS, CUSUS OCCUPATO MORINO & Tornaco: Anno Chriſti 1513.



ANNO, à partu Virginis 1513. Henricus Angliæ Rex, cum validâ bellatorum manu, Caletum in Flandriæ fines trajecit, bello adorturus Galliæ populos. Huc argento & auro, quod ingens ſecum advexerat, non modo Cæſarem Maximilianum, ſed omnem quoque Brabantiæ, Flandriæ, Holandriæ nobilitatem ad ſe juvandum pertraxit. Lectiſſimum equitatum, ac pedites complures è Gallia miſſos, qui Morinum, quod obſeſſurus hoſtis videbatur, commeatu levarent, Maximilianus partim occidit, partim in fugam compulit. Signa bellica novem amiſſa: currus onerarij centum quinquaginta abducti. Poſt hæc Romanorum Imperator Maximilianus, & Henricus VIII. Angliæ Rex, magnanimi principes duo, unanimi conſenſu, Morinum, quod præſidio firmaverat Galliæ Rex Ludovicus, omni armorum genere oppugnare adorti, murorum partem dejecêre. Atque hinc cum ingens terror civitatem invaſiſſet, facta eſt deditio hâc lege, ut miles vi abſtineret. Ingreſſus Cæſar Anglo ceſſit urbis imperium. Poſtea deditum eſt Tornacum. Hujus oppidi cives permulti, ne militarem diutius feritatem pati cogerentur, novas ſedes in Flandriâ & Brabantiâ quæſivêre. Henricus & hujus urbis à Cæſare imperio ſibi relicto, incredibili ſumptu arcem intra muros extruxit, multis incluſis ædificiis: ubi & præſidium ei fuit perpetuum, donec poſt aliquot annos Gallo urbs redderetur. Opis atque adminiculi ad hæc perficienda multum habuit in copiis Imperatoris & Nobilitate Belgicâ: hæc ſecuritas Regi. Res verò niſi ex animi ceſſiſſet ſententia, *ſecuritas* ipſa *altera* erat in conſilio repentino, & è re nato: quod per *catarractam penſilem* denotat: quæ hoſti in urbem ruenti ſubito, & unius ſæpè viri manu objicitur. *Henric. Barlandus in Chronico Belg. Author.*

NUM-

NUMMUS CASTRENSIS

CUSUS A JACOBO IV. REGE SCOTIÆ, EXPEDITIONEM IN ANgliam ſuſcepturo. Anno Chriſti 1513.



QUO tempore Morinum & Tornacum Urbes in Henrici VIII. Anglorum Regis poteſtatem venêre, Scotorum Rex Jacobus ejus nominis Quartus, infeſtis copiis Angliæ fines invaſit: futurum ſperans, ut, dum *Galliæ & Angliæ Reges inter ſe altercantur, utrumq; ipſe contundat.* Ubi vero id Catharinæ Angliæ reginæ nunciatum eſt, mulier animumque gerens, curamque virilem, mirâ celeritate, contracto exercitu, infeſtis haſtis, clypeis, armisque cum hoſte concurrit, fuitque hâc pugna ſuperior ipſa. Scoti ad Tilum amnem fuſi fugatique ſunt: permulti ex his cæſi. Periit eodem prælio Rex ipſe Jacobus adhuc ætate florens, & cum eo nobiles plurimi. Tradunt quidam, veniſſe in Angliæ fines Scotum, ut in iisdem locis adverſus Gallum belligerantem Henricum averteret, & ad regni ſui defenſionem revocaret, hoc pacto Gallorum regi Ludovico gratificaturus. *Gerardus de Roo: Hadrianus Barlandus.*

Digitized by Google

NUMMUS TRIUMPHALIS SIGISMUNDI PRIMI REGIS POLONIÆ: CUSUS A PRÆLIO MEMORABILI quo Baſilium Moſchoviæ ducem ad Orsham vicit, atque fugavit. Anno Chriſti 1514.




SIGISMUNDUS Primus Rex Poloniæ audiens, Smolenſckò arcem munitiſſimam in ditionem Lituanorum à Moſchoviæ Duce Baſilio captam, exercitum ad ulciſcendum hoſtem duxit: Moſchas 80000. Equitum contra Regem deſtinavit: Polonorum autem & Lituanorum copiæ 35000. non excedebant. Conſtantinus Oſtrogius Dux exercitus, ſtrato ponte ultra Boryſthenem, juxta Orsham oppidum transfert pedites: equitatus verò anguſtum vallum ſub ipſo Caſtro Orshæ ſuperat. Mox ubi dimidia pars exercitus Boryſthenem tranſiret, nunciatur Johanni Andreæ Celadin, cui ſumma rerum à Moſcho commiſſa erat, ut hanc exercitus partem invaderet. At illi viſum, quò integrâ potirêtur victoriâ, expectare, dum totus hoſtis exercitus fluvium transmiſiſſet. Prælij initio Moſchovitæ in Lituanos impetum faciunt: illi haud timidi, ſtrenuè reſiſtunt. Inde maximâ vi certatur. Tandem Lituani cedentes ad collem, ubi tormenta collocata erant, ea in Moſchos inſequentes exonerant: extremamque aciem eorum in ſubſidiis collocatam feriunt, turbant, dirimunt. Hoc novo belli genere Moſchi perterriti terga vertunt, quos Lituani cum Polonis converſi, omnibus copiis effuſis, inſequuntur, fugant, confodiunt, cæduntque. Bellum ſola nox diremit. Eſt inter Orsham & Dubrounam fluvius Cropiuna dictus: In cujus dubiis & altis ripis Moſchi fugientes tot ſubmerſi, ut curſus fluminis impediretur. Capti ſunt eo in conflictu omnes militiæ præfecti & Conſiliarij, qui ad Regem miſſi ſunt. Johannes verò Celadin ſupremus Dux exercitus, cum duobus præcipuis viris, Vilnæ in compedibus ferreis detinebatur. Cæſa ſunt tunc temporis Moſchorum 42000. capti 2000 exceptis iis, qui in fuga aquis obruti ſunt. Ex Polonis & Lituanis 300. duntaxat occubuere. In magna victoria & felici rerum omnium ſucceſſu, mortalitatis nihilominus memor eſt Rex laudatiſſimus: memoresque

vult

vult eſſe, quotquot hunc vitalem ſpiritum trahunt: quandoquidem PRAWO ZYWECHCE *jus omne vivens poſcit*, hoc eſt, *quemlibet viventem judicium non Rhadamantinum aliquod, aut Draconicum, ſed longè gravius atque atrocius expectat. Lampas* vitæ humanæ typus eſt: quâ, oleo ſeu humido radicali deficiente, extinctâ, mors ſubſequitur, *cranio* ſignificata: *Liber* ſacrarum literarum de vitæ hujus fragilitate, & extremo adeundo tribunali mortales admonet. *Alexander Guagninus de rebus Polon. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS MISSILIS SPARSUS VIENNÆ AUSTRIÆ, IN FESTIVITATE SPONSALIORUM FERDInandi Archiducis Auſtriæ, & Annæ Uladislai Ungariæ Regis filiæ. Anno Chriſti 1515.



CUm Maximilianus Imperator audiviſſet, Franciſcum I. Galliæ regem nuper electum, Mediolanenſis Ducatus titulum aſſumſiſſe: fœdus cum Venetis confirmaſſe, Helvetiosque per eos dies tentaſſe, ipſe quoque rem Auſtriacam vicinorum regum fœderibus & affinitate aliquâ conſtabiliendam eſſe putavit. Itaque Joannem Cuſpinianum ad Uladislaum in Ungariam, & nonnullos ad Sigismundum Poloniæ Reges miſit, qui eos, uti Viennam ad ſe venirent, invitarent. Id cum facturos audiviſſet, ſplendidiſſimo comitatu exceptos comiter admodum & magnificè Viennæ tractavit, nullo honoris feſtæque lætitiæ genere omiſſo. Aliquot inde dies colloquiis & conſultationibus dati. Erant Uladislao regi, ex Anna Gandala, liberi Ludovicus & Anna. De his ita inter ipſos convenit, uti ambo Auſtriacis illigati nuptiis, perpetuæ pacis, amicitiæque fœdus confirmarent. Ad decimum Calend. Auguſti, qui dies publicè ſponſaliûm confirmationi dictus erat, Maximilianus, utroque rege præſente, Annæ coronam auream impoſuit, & florenti ſerto ab eâ donatus eſt. Hinc ad D. Stephani templum itum eſt, ubi peractis ſacris verba præeunte Strigonienſi. Anna, accepto in fidem annulo, ita Maximiliano deſponſa eſt, uti intra annum aut Carolo, aut Ferdinando conjungeretur. Ludovico Maria Cæſaris neptis præſens, legibus itidem conjugij devincta fuit, lachrymas ubertim fundente Uladislao. His peractis ducenti viri militari dignitate donati ſunt. Inde ad epulas, ludosque equeſtres, & choreas diſceſſum eſt. Per eosdem dies, pax & fœdus promulgatum, ex quo maximæ provinciis illis, & regnis commoditates redundarunt, inprimis vero Auſtriacis Principibus ad Hungariæ, Boëmiæque regna ſtratus eſt acceſſus. Undecimo namque anno poſt Ferdinandus, qui Annam duxerat, Ludovico à Turcis ad Mohacium oppidum cæſo, utrumque regnum, ex fœderis & matrimonij jure adeptus eſt. *Gerardus de Roo.*

NUM-

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS,

FRANCISCI GALLIARUM REGIS,

POST RECEPTUM MEDIOLANUM
Cuſus: Anno Chriſti 1515.



LUdovico XII. ipſis anni 1515. Calendis febri extinčto, ſucceſſit in Regno Franciſcus hoc nomine Primus, Angoliſmenſis Dux, agnatione regi proximus, cui Claudia ejus filia uxor erat. Is cum ſingulari animi præditus magnitudine, nõ unũ duntaxat, quem debellaret ſibi orbem depoſceret, eodẽ die, quo regno initiatus eſt, Mediolanenſis ducatus titulum ſimul aſſumpſit: fœdus cum Venetis confirmavit. Helvetios quoque per eos dies tentavit: qui legatos audire noluerunt, & niſi promiſſa ſerventur, in Burgundiam ſeſe aut Delphinatum moturos, minabantur. Inter hæc Cæſaris, Arragoniæ Regis, & Mediolanenſis principis legati ad defenſionẽ Italiæ, fœdus cum Helvetiis percuſſerant, quibus ſeſe & Pontifex, cui in fœdere ſervatus erat locus, fruſtra à Gallo ſolicitus conjũxerat. Sed Rex apparatu bellico à Ludovico jam antea facto, regni ſui opibus, inſuper & Venetorũ amicitia fretus, variantibus Helvetiorum conſiliis, Italiam ingreſſus, plæraſque Inſubriæ civitates ad obſequium redegit. Aderant ei præter Gallicam nobilitatem Lotharingiæ & Geldriæ principes. Cũ vero Palitia ſuperatis Alpibus Proſperũ Columnam inopinato adventu cepiſſet, Rex Mediolanum rectâ ducens, cum Helvetiis paciſci cœperat. Sed novæ aliquot copiæ, majus ex bello & prædis emolumentum ſperantes, omnem pacis actionem impedivêre. Mox cũ popularibus ſuis conjuncti, ad quadraginta hominum millia in Gallos ducunt. Jam optimâ diei parte exactâ, Helvetij omnis moræ impatientes, magno cum hoſtium contemptu, pugnam invadunt: fitque acerrimum prælium, multique mortales utrinque occumbunt, donec neutrubi, dato receptui ſigno, milites ſtando & arma tenendo defatigati, quaſi tacito conſenſu, pugnâ exceſsêre, cum in multam noctem jam certatum eſſet. Poſteâ die iiſdem animis ad manus reditum. Sed eâ nocte Rex tormenta in idoneum locum ſubduci iuſſerat, & Livianum cum levi equitatu vocaverat. Is ardente jam pugnâ Helvetios à tergo aggreſſus, ita turbavit, uti omiſſa Victoriæ ſpe, paulatim, quod omnem Venetorum exercitum

cum


cum Liviano adveniſſe rebantur, ſervatis ordinibus retrò ceſsêre, & nemine fugam impedire auſo, Mediolanum pervenêre. Cæſarum numerus parum apud Scriptores certus, Plures ex Helvetiis: magis clari ex Gallis cecidêre: inter quos nonnulli Germanorum præfecti. Paulò poſt Franciſcus, Helvetiis domum abeuntibus, Mediolanum ingreſſus eſt. Sfortia in arcem præſidio munitam ſe recepit. Hujus rei famâ territus Leo Pontifex, per Allobrogum principem cum rege pacem facit. Sub initium Octobris Maximilianus Sfortia quibusdam pactionibus arcem regi tradit. *Gerardus de Roo in Annal. Auſtr. Author.*

Digitized by Google

NUMMI DUO CASTRENSES

CÆSARIANORUM ALTER, VERONÆ A VENETIS OBSESSORUM: ALTER MARCI Antonij Columnæ, Cæſaris in Veronâ Præfecti: cuſi Anno Chriſti 1516.





VENETI, Noviodunenſis fœderis certiores facti, ne ex pactis conventis tantum pecuniæ perſolvere cogerentur, vocato cum ſuis Lautreccio, duobus Atheſim pontibus exercitum traijciunt, & Veronam arctâ obſidione cingunt. Erat in oppido M. Antonius Columna cum octingentis equitibus, & quinquies mille peditibus Germanis, ac mille quingentis Hiſpanis. Hi contra omnem oppugnantium vim, muros egregiè defendebant. Jam conſumptus ferè in caſtris erat pulvis bellicus: & dum novus adveheretur, accidit, uti excitato, ex rotarum colliſione, igni octingenta dolia cum ipſis carris & jumentis conflagrarent. Mocenicus Gallorum negligentià temerè ignem portantium id eveniſſe affirmat. Ea res incommoda Venetis, Veronenſibus grata admodum fuit, quos jam annona deficere cœperat, & murorum magna pars diſiecta ſollicitos fecerat. Cùm verò novem hominum millia Maximiliani juſſu ex agro Tirolenſi conſcripta, in itinere eſſe, jamq ue Cluſium deditione, Covolum vi cæpiſſe fama vulgaſſet, Lautreccius, aut concepto, aut ſimulato metu, quod regem ſuum, pacem quàm bellum malle, ſciret, Villam Francam abijt, à quo relicti Veneti obſidionem ſolverunt: Veronâ commeatu, & rebus neceſſarijs alijs recreatâ. Ea in re, & obſidione fortiter ferenda, commendatur Guilhelmi Rogendorffij induſtria: cujus viri virtus & fides, magnis poſtea tempeſtatibus, ſub Carolo Cæſare ſpectata eſt. Magna quoque M. Antonij Columnæ conſtantia

fuit, qui, etſi globi ictu vulnus accepiſſet, noctu dieque tamen ſtrenuè Ducis munia obivit. Cernitur in nummi ipſius altera parte *thalaris tunica inter ignis flammas illæſa permanere*; quia ex Asbeſtino, aut Amiantho lapide conflata eſt. Ut itaque *Amianthus lapis ſemper in igne pervicax*; id eſt, conſtans manet i
ſic Columna ſe contra omnes hoſtium conatus ſemper conſtantem manſurum, vul-
nereq́ ſatis periculoſo, nequaquam de gradu (quod ajunt) deje-
ctum iri, hâc Hierographiâ oſtendere voluit.

Geradus de Roo. Author.

NUM-

Digitized by Google

NUMMI MEMORIALES:

IMAGINES TURCARUM IMPERATORIS: CAMPSONIS ET TOMUMBEI SYRIÆ ET Aegypti Sultanorum referentes, qui à Selymo victi occubuerunt. Anno Chriſti 1515.



CUM Selymus Turcarum Imp: Aladolum regem prælio nobili ſuperaſſet, atque profligaſſet, victoriarum ſucceſſu elatus, totum terrarum orbem ſibi animo deſtinans, adverſus Campſonem Gaurium Cairi (quæ Memphis eſt in Aegypto) Soldanum expeditionem ſuſcepit. Fretus Campſon ille cùm magnâ ſuâ potentiâ, & Mamalucorum virtute, qui in re militari longè erant exercitatiſſimi, tum ingenti Arabum Æthiopumque concurſu, tali inſtructus exercitu ex Ægypto in Syriam progreſſus, ut Turcica arma ulterius progredi prohiberet, certam ſibi pollicebatur victoriam. Interea Selymus Campſonis inſolentiam retundendam eſſe ratus, omiſſo Perſâ, vim belli omnem præter ſpem & opinionem Campſonis magna celeritate ſuperatis Tauri jugis, tranſtulit in Comagenam, caſtris poſitis ad Singam amnem, non procul ab Alepo, ubi Campſon promotis à Damaſco caſtris Selymo occurrit, & extemplò acie congreſſus eo eventu pugnavit, ut fuſis, ex perfidia Cajerbeij, Mamalucis ipſe Campſon armis, multoque abdomine, & ingentis ramicis pondere gravis cadente equo in pulverem

Digitized by Google

excuſſus conculcatusque interiret ætatis anno 77. Unde poſtea Selymus brevi tempore Syriam, Ægyptum & Judæam ſuo imperio ſubjecit. Antequam Ægyptum peteret, Hieroſolymam adijt, veterumque Prophetarum ſepulchra veneratur, Chriſtianis ſacerdotibus, ſepulchrum Domini obtinentibus, pecuniam in alimenta ſex menſium largitus eſt. Mamaluci in locum Campſonis Tomumbeium Circaſſum delegerunt, qui, extrema tentaturus, arma adverſus Selymum reparat, magnâ Vernarum Arabumque manu contractâ, à Rhodijs tormenta bellica impetrat, ad ſextum ab urbe Memphi lapidem prope Mathaream, balſami fœcunditate memorabilem, caſtra figit; terraque ſuffoſſa ſe munitionibus, hoſtem inſidijs circumvallare omni modo ſtudet: nihil eorum, quæ ſtrenui & callidi Ducis eſſent, omittens. Selymus de conſidijs Tomumbeij edoctus, cum 20000 equitum, additâ manu Prætorianorum militum, Sinan Baſſam præmittit, qui commiſſo cum Garelle prælio, victoriam ſed non incruentam reportat. Garelles victus omnibus ſignis militaribus amiſſis vix per ſolitudines evaſit. Selymus delatâ ad ſe victoriæ famâ, univerſisque in Judæam adductis copijs, ſe cum Sinambaſſa conjungit, inde, poſt acceptam in deditionē Garam Memphim acceſſit, eoque eventu cum Tomumbeio pugnavit, ut penes ipſum, in fugam actis, partim etiam cæſis Mamalucis, victoria ſteterit. Statim in conflictus initio Tomumbejus intellexit omnia ſua conſilia hoſti prodita eſſe, ideò quæ potuit in tanta feſtinatione tormenta, ſed ferè ſine ullo uſu in hoſtem direxit. Garelles firmâ manu Sinambaſſam adortus ita copias ejus turbavit, ut ipſe Sinambaſſa præcipuus inter Turcicos Duces occubuerit. Tomumbejus tandem deſperatâ victoriâ intra urbem ſe recepit, Selymus à transfugis machinationes Tomumbeij percipiens magno auſu urbem aggreſſus cuncta perrupit: & cum tridui prælio magnam partem Mamalucorum delevisſet, ipſum Tomumbeium captum ac vili jumento impoſitum, perque urbem circumductum, gulâ laqueo fractâ, ad Baſvelam Syriæ portam unco ferreo ſupra fornicem ſuſpendit. Philip: Lonicerus.

Author.

NUM-

NUMMI CASTRENSES

ALTER LEONIS X. PONT. MAX.

FRANCISCI MARIÆ ALTER, URBINATIUM Ducis: cuſi dum bellum invicem gererent. Anno Chriſti 1517.





LEO X. Pont. ex cauſis nonnullis, ſive quæſitis, ſive oblatis, Franciſcū Mariam Rovoreū Urbinatium ducē bello aggreſſus, omni ſua ditione exturbaverat: & Laurentiū Medicem agnatum ſuum, quem majore indies imperio dignitateque auctum cupiebat, rebus impoſuerat. Rovoreus patriâ extorris, præterea ſacrorum uſu prohibitus, amicorum opes & auxilia ſolicitabat. Ex omnibus maximè idoneus viſus eſt Fridericus Gonaga Borolenſis regulus, qui ob vetera amicitiæ jura, non deſerendum illum eſſe ratus, quod & bellicæ gloriæ cupidus eſſet: & Laurentium ex offenſa quadam odiſſet, defenſionem amici principis, & augendæ laudis, & vindictæ ab inimico ſumendæ, materiam libens arripuit. Ejus ſuaſu facile in conſortium adducti ſunt præfecti aliquot militares, qui aſſiduis bellis, & oppidorum direptionibus aſſueti, pacem æquis animis ferre non poterant. Igitur ad Rovoreum ſe conferunt Hiſpani ad 5000. pedites octingenti levis armaturæ equites, cum ſuis ducibus, armorum uſu nobilibus. His copijs

ille auctus, eodem ferè tempore, quo Verona Venetis eſt reddita, ditionem amiſſam recuperare aggreſſus, à multis paſſim oppidis receptus eſt, quæ præſidio, vel nullo vel modico cuſtodiebantur. Mox *Urbinum* ipſum regionis caput ducens, etſi neque tormenta, neque pecuniam haberet, pactionibus tamen cum *Jacobo Roſſetto*, qui urbi cum duobus peditum millibus præerat, tranſigit, uti incolumis cum ſuis abſcedens urbem ipſi tradat. Urbini exemplum ſecutæ ſunt reliquæ civitates. Ita *Rovoreus* omnium opinione, etiam ipſe ſuâ citius totam propè ditionem recuperavit. *Leo* verò Pontifex & *Laurentius* ſua & ipſi auxilia & copias undique comparantes, bellum urgere & amiſſa recuperare ſatagebant. Cæterum, in re parum æquâ nec *vis* nec *virtus*, quas *pila ventoſa, eiq. ſubjectus follis* in ſymbolo notat, Leoni profuit: Franciſcus, *hac famæ tubâ*, quod hoſtibus potentiſſimis non ceſſiſſet, *Immortalitatem* ſibi comparavit. Platina. Jacob. Schrenck à Noring. Gerardus de Roo. Author.

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS:

FRANCISCI A SICKINGEN, NOBILIS GERMANI, CUSUS, VENIA IMPERATORIS

Maximiliani primi impetratâ, poſt diuturnam cum Wormatienſibus controverſiam, Anno Chriſti 1518.





ORTA gravi inter Senatum Wormatienſem & plebem ſeditione, urbe nonnulli Senatorum expulſi fuerunt: allectis eorum in locum dignitatemque, quibus pax & tranquillitas Reipublicæ curæ ma-

ræ magis cordique eſſet. Certior hac de re factus Maximilianus Imperator, Wilhelmo Domino in Rappolſtein/ſupremo Curiæ ſuæ Magiſtro id dat negotij: iret obviam motibus hiſce, eosque quâ fide, quâ curâ poſſet, ſopiret eq; medio tolleret. Strenue is ſibi de mandato fungitur munere officioque: inquirit ſingulari dexteritate in turbarum harumce cauſas: componit, quicquid ortum erat controverſiæ: in authores, quotquot eorum habere poterat, pro ratione delicti animadvertit. Viciſſim illorum, qui urbe ceſſerant, & huic malo, primum, quod dicitur, fomitum ſubjecerant, cauſam defendit Franciſcus à Sickingen: Nobilis Germanus: Eques auratus: charus Imperatori, non ob antiquum modò generis decus ac nobilitatem: verum etjam ſingularem animi magnitudinem: candorem planè ingenuum: ſingularem atque eximiam rei militaris peritiam. Hic Wormatienſes infeſtare: capere cives in vineas & agellos ſuos exeuntes: captos non niſi gravi ſoluto λύτρῳ dimittere. Vexati hunc ad modum, maleque habiti Vangiones, fractæ pacis publicæ Sickingum in ſupremo imperij dicaſterio, reum agunt: urgent ita calidè negotium, ut aqua & igni interdictū ipſi fuerit. Sickingus nedum ultionis, quam juſtam putabat, ſatur, naves inſuper diripit, ituras ad mercatum Francofurtenſem: cingit urbem collecto undiquaque exercitu: quatit tormentis, ſed conatu irrito: movens inde caſtra vineas depopulatur: patibulum dejicit. Triennio toto cum duraſſet, ſopitur tandem cōtroverſia iſthæc, magnorum quorundam hominum interceſſione: Franciſcus proſcriptionis ignominiâ liberatus, in gratiam Cæſaris reducitur, *Procumbit* itaque *ad genua ejusdem: ſupplex orans, ne Mercurium Marti præponere: favere impenſius Mercatoribus velit, quàm armatæ Nobilitati:* Siquidem imperij propagandis terminis, nobilibuſque parandis victorijs, magis hujus quàm illorum ſit opus operâ atque adminiculo habiturus. *Author ex Rupeſpoletano Archivo.*

NUM-

NUMMUS MEMORIÆ DICATUS

MAXIMILIANI I. IMPERATORIS,

CUSUS DURANTIBUS COMITIIS IMPERIALIBUS Auguſtæ Vindelicorum:
Anno Chriſti 1518.



VT miti facilique præditus erat ingenio Maximilianus I. Imperator: neceſſitate, non niſi extremâ urgente arma induebat: ſic, ingraveſcente jam ætate, operam dedit ſedulò: quò pacatum, quãtum quidem fieri poſſet, ſucceſſori Imperium relinqueret. Præclarè laudabiliterque. Ut enim belli tempore, cum mala ingruunt atque incommoda alia, tum nullus eſt *aratro dignus honos: ſqualent abductis arva colonis*: ſic *pax aurea* (vides eam in nummo Imperatoris) *fruges fructusq; hoc eſt, omnium rerum ubertatem, non manu parcâ, ſed plenis calathis atq; caniſtris offert*. Referri huc poteſt, ac debet, quod eodem penè tempore, cum Pontifice, Rege Angliæ: Helvetiis fœdus iniit: iuvit ac promovit reconciliationem Franciſci Gallorum Regis, & Caroli Hiſpaniarum Belgarumque Principis: rediit cum Venetis in gratiam reſtitutâ Brixiâ Veronâque, & non niſi belli ſumptibus exolutis. Spectat eodem, quod Carolum nepotem, in Hiſpaniam abiturientem, arctè complexus exoſculatusque ubi fuiſſet, pro ætate multis de rebus inſtruit, ac quâ ratione Belgas, Hiſpanos, Germanos ac Italos in ſui amore ac reverentia contineret, edocuit: Belgarum verò ordinibus, diu ac ſæpè de officio erga

Digitized by Google

Adoleſcentem Principem admonitis, deque Repub. rectè conſtituendâ, ſaſuberrima præcepta reliquit.




Eſt curæ ejusdem ac ſolicitudinis, quod in Comitiis poſtremis, cum Septemviris Imperij Electoribus, qui, præter Bohemiæ Regem, Auguſtam omnes venerant, de Carolo Nepote in Romanorum Regem eligendo agere cœpit: effecit, ut cum novi exempli res eſſet, Cæſare nec dum à Pontifice coronato regem eligi, in concilio propoſitum fuerit, eò inducendum eſſe Leonem, uti coronam, & alia Imperatoriæ dignitatis inſignia, per Legatum conferenda in Germaniam mittat: ſoluto verò Auguſtano conventu, Oenipontum profectus mittendis hinc inde legationibus Nepotis ſucceſſionem identidem urſit. Et ecce has inter cogitationes dum verſaretur, lenta cum febris invaſit, quæ uti ſoli cœlique mutatione, aut ipſo itinere diſcuteretur, ſecundo amne in Auſtriam deſcendit. Welſam oppidum cum veniſſet, intendi morbum videns ſubſtitit, ultimisque ſacris ritò perceptis, animam Deo reddidit pridie Idus Januarij, Anno 1519. cum vixiſſet annos propè ſexaginta: Imperaſſet triginta duos. *Gerardus de Roo in Annalibus Auſtriacis. Author.*

NUM-

NUMMI CASTRENSES

ILLE DUCIS ULRICI WIRTENBERGICI REFERENS IMAGINEM: HI CUSI A CArolo V. Imperatore Ducatum Wirtenbergicum, pulſo Ulrico, obtinente: Anno Chriſti 1519 &ſeqq.





EST Reutlinga Rom. Imp. municipium : vicinum Wirtenbergenſibus: uterque conterminus ager: confines ſylvæ: conjuncti limites. Accidit, caſúne an induſtriâ dubium, quod è Wirtenbergicis ſaltuarijs quidam eo in oppido à cive intra mœnia occideretur. Dux cui charus necatus erat, ſiſti ſibi percuſſorem ad judicium poſtulat. Cunctantibus

oppidanis parat ultionem: contrahit exercitum de ſuis magna ex parte ſubditis: Reutlingios ex improviſo media hyeme obſidione cingit: fontes ac fluvios avertit: muros amplius ſeptingentis ictibus majorum tormentorum verberat. Oppidani ſubito infortunio perterriti, ſed non fracti, urbem fortiter defendunt: muros acervo projectilium ſaxorum indefeſsè muniunt; ſpe freti hoſtes in maximo frigore, & altâ, quæ jacebat, nive durare diu haud poſſe. Dux dum nihil ſegnior ad Urbem expugnandam totus accingeretur, vili ſago tectus, & ruſticano pileo: corruiſſet magna muri pars arcis everſa machinis: altè brumali gelu foſſæ concretæ, hoſtibus aditum præberent non difficilem, oppreſſi tot malis Reutlingani deditionem faciunt: Princeps, urbe præſidio de ſuis munitâ domum ſe recipit. Erat in fœdere, uti appellabatur, Suevico Reutlingia. Quapropter confœderati ejus rem hanc ad ſe pertinere exiſtimantes, diu non cunctantur: bellum Duci indicunt: reſiſtenti pleraſque arces, oppidaque adimunt: urgent ita denique imminutum viribus, ut relictis in arce Tubingenſi liberis per ſylvam Hercyniam in Mompelgartenſem comitatum recipere ſeſe cogeretur. Eam deinde provinciam Cæſar à confœderatis: poſt Ferdinandus Frater à Cæſare, cum hæreditas divideretur, eſt conſecutus. Patriâ vero Dux profugus Helvetiorum aliquot millia cogit, ut ſua recuperaret: & præter alia, Stutgardiæ ſuburbium capit: in eoq; caſtra ponit, ut oppidum etiam occuparet. Cum autem Suevici fœderis ordines, & Ferdinandi quoque Regis præfecti, qui regionem illam tenebat, copias conſcriberent: & occultè milites atque duces ad defectionem ſolicitarentur, pecunia quoque non ſuppeteret, ab incepto rurſus deſiſtere coactus fuit. Reducitur tandem patrium in Ducatum opera maximè laboreque Philippi Haſſiæ Landgravij, cum in Vndecimum uſque annum exilium pertuliſſet. *Sleidanus. Joannes Pedius Techingerus in Comment. de Hulderico Princ. VVirtenberg.*

NUM-

NUMMUS CASTRENSIS CHRISTIERNI II. REGIS DANIÆ, CUSUS EXPEDITIONE CONTRA SUECOS ſuſceptâ: Anno Chriſti 1520.





VT ſymbolum Chriſtierni hujus Secundi animum prodidit ad arma potius, quam pacem ac tranquillitatem proclive (*Aquilæ namq; cum Dracone bellum perpetuum*) ſic Imperium ejus turbis motibusque abundavit, triſti tandem fine clauſum. Jus primò, quod ex Avi & Patris ſucceſſione in regno Suetiæ ſibi vindicabat, armis perſequi cum decreviſſet, magno è Saxonibus, Friſiis, Scotis, Gallis collecto exercitu, in Stenonem Suetiæ Regem ducit: Stocolmiam ſedem regiam magnâ operum vi cingit. Sed adventante Stenone, obſidione ſolutâ, cum reflante vento exercitum toto trimeſtri expectato transmittere non potuiſſet: ſummâ rerum omnium penuriâ preſſus, à Stenone commeatum, & fidem accipit, quo ſecurè in Daniam redire ſibi liceret: quam ipſe humanitatem, quadriennio poſt deteſtandâ fraude penſavit. Sequenti anno multo majus crudelitatis & perfidiæ ſpecimen edidit. Nam potentiori cum exercitu excurſione in Veſtrogothorum terras à Danis factâ, & pugnâ ſuper mare congelatum commiſsâ, ictu tormenti in femore vulneratur. Steno cum paulò poſt obiiſſet, & duce ſublato numeroſus Suecorum exercitus ſtatim diſſipatus eſſet, Chriſtiernus victor à proceribus regni, qui Danicæ factionis erant, evocatus, coronâ regia Stocolmiæ ornatur, eodemque die, veritus ne ſe abſente Stenonis liberi à contrariæ factionis principibus, rurſus in regnum reſtituerentur, clauſis urbis portis, præcipuos ex omnibus ordinibus viros cõvivio à ſe acceptos populo aſtante & trepidante ad XCIIII. obtruncari jubet: relictis ante prætorium, ad horrorem per triduum cadaveribus. Ita Stocolmiâ profectus, cum multa ſævè in multos paſſim perpetraſſet, incolis ad facti famam ad 30000. cum armis accurrentibus, ipſe per devia & ſylvas noctu potius quam interdiu, iter faciens, in Daniam vix tandem revertitur, ubi tot cædibus efferatus, cum ne ſuorum quidem ſanguine cruentam ſitim reſtingere poſſet, à Friderico patruo Holſatiæ principe, & Lubeccenſibus bello petitus: terrente cõſcientiâ, cum uxore Iſabella, Cæſaris ſorore, & liberis in Zelandiam profugit. Tertio,

Digitized by Google

poſt Stocolmienſem lanienam Anno. Interea Guſtavus Erici filius Stenonis filia in uxorem accepta procerum favore, & Lubecenſium imprimis opibus regni vacui poſſeſſionem adeptus eſt: In Dania Chriſtierno ejecto Fridericus patruus vir gravis ab ordinibus regni coacto concilio Rex declaratur. Chriſtiernus exilij & otij impatiens, novennio poſt, ope Cæſaris claſſe comparatâ, belli aleam rurſus tentat, ſed adverſo numine, & certantibus contra ventis per naufragium majore claſſis amiſsâ parte, vivus in patrui manus devenit; qui eum Callinburgi in carcere detinuit, usque dum Anno Chriſti 1559. perfidam & crudelem animam expiraret. *Thuanus.*

NUM-

Digitized by Google


NUMMUS CASTRENSIS
EFFIGIEM SOLYMANNI, UNA
CUM DELINEATIONE URBIS ET CASTRI BELgradenſis, referens erepti Chriſtianis Anno Chriſti 1521.



SOLYMANNUS Turcarum Imp. Caierbeio ſive Cazelli Præſide Syriæ profligato, Ægyptoq; recepto, quietis impatiens, ne ab Ottomannicâ erga Chriſtianam Remp. rabie deficere videretur, Belgradum, quæ & Alba Græca, totius Ungariæ, adeoque Chriſtianæ Reip. propugnaculum ex Pyrrhi Baſſæ, viri ingentis animi & conſilij, inſtinctu oppugnavit. Reſervabantur enim in munitiſſimo iſto oppido vexilla & trophæa Turcis à tempore Amuratis, usque ad Solymanni imperium erepta. Legati inſuper Turcici ab Ungaris malè habiti, cauſam & initium belli, & quæ eam ſequebatur calamitatis dedêre. Ingenti itaque collecto exercitu properè famam ipſam adventu ſuo prævertens, Serviam ingreditur: inde Ungariam: cui tum Ludovicus Ladislai filius, juvenis rerum imperitus, nec quicquam præter nomen Regium inter Proceres Ungaricos obtinens, præerat, nemine obſiſtente petit. Præfectus Belgradi, cognito imminenti periculo, auxilium & ſtipendia pro militibus petens, ſpe ſua fruſtratur. Tyrannus urbem Belgradrum citra ullum ſuorum detrimentum expugnat, diripit, militiq́ue Chriſtiano præſidiario, cui auxilia non mittebantur, ſtipendia à ſuo rege debita perſolvit: ſacramento ſolutos impunè dimittit, ſibique aditum planum ac facilem non tantum in Ungariam, ſed etiam reliqua Chriſtiani imperij regna patefacit. *Philipp. Lonicerus Author.*

NUM-

NUMMUS TRIUMPHALIS
PHILIPPI VILLADANI, MAGNI
RHODIORUM MAGISTRI IMAGINEM REFERENS:
Clari ob Rhodum ſtrenuè ac viriliter defenſam: Anno Chriſti 1522.



BElgrado expugnato, Solymannus ad occupandam Rhodum magnò conatu animum adjecit. Non pauci quidem ex nobilioribus Baſſis hanc expeditionem diſſuadebant, animo recolentes, ingenti cum dedecore & clade, Inſulæ iſtius expugnationem à Mahumete fruſtrà tentatam fuiſſe. Verùm, cùm paternorum præceptorum memor Solymannus, nihil aliorum moraretur conſilia, ſub finem menſis Junij, claſſe inſtructâ quadringentorum navium, exercituque viris bis centenis millibus conſtante collecto, cum valido machinarum bellicarum robore Rhodum appulit. In ſextum usque menſem duravit obſidio, inque ea magni comprimis Rhodiorum Magiſtri Philippi Villadani virtus enituit, intrepido animi robore commonſtrantis, *Virum fortem ſolis inſtar ſemper ſibi ſimilem eſſe: non extolli rebus ſecundis; non deprimi adverſis.* Cum ſæpius infeliciter, & aggeribus & cuniculis actis, Turcæ expugnationem tentarent, multisque Rhodiorum virtute cæſis, dyſenteriâ etiam triginta ferè millibus extinctis, jam Solymannum inſtituti ſui pœniteret: ecce recentem ex Natolia militem Farathes Baſſa, Caierbeius vero Alexandriâ, quadraginta triremes frumento oneratas adducit. Novis hiſce confirmatus auxiliis Solymannus, ab urbis expugnatione nihil remiſit: præſertim cum magnâ murorum parte deſtructâ, ſublatoque juventutis robore, adverſus hoſtilem impetum Rhodiis ſatis haud eſſe virium animadverteret. Sub tempus illud ex Hiſpania Romam revertebatur Adrianus VI. Romanorum Pontifex, mediocres ſecum ducens copias, tum etiam aliquot triremes, quas ad ſubſidium Rhodiis adduci hortabantur, ſed fruſtra, Cardinalis Medices, qui poſtea ad Pontificiam dignitatem evectus Clemens VII. dictus fuit: & Cardinalis Farneſius, qui factus Pontifex Pauli III. ſibi nomen uſurpavit. Chriſtianorum itaque Principum auxiliis ſe deſtitutum eſſe animadvertens magnus Rhodio-

Rhodiorum Magiſter, factâ deditione, iis conditionibus hoſtium violentiæ ceſſit, ut qui vellent, relictis machinis bellicis, quæ poſſent liberè ſecum auferrent. Quibus pactis religioſè ſtetit Solymannus, urbemque cum triginta virorum millibus modeſtè ingreſſus, eâ erga Philippum Villadanum uſus fertur humanitate, ut eius fortunæ non parum condoluiſſe viſus fuerit. Sic cum magna ſui gloria, ingenti verò Chriſtianæ Reip. dedecore & detrimento Solymannus Inſulâ nobiliſſimâ potitus eſt, quæ, ut Thomas Gnichardus ait, *ærumnoſæ Græciæ fuit protectio: peregrinantium diverſorium: naufragorum portus: miſerorum aſylum: languidorum Xenodochium.* Facta fuit deditio ipſo natali die Chriſti, qui annum ſalutis inchoabat 1523. *Philippus Lonicerus.*

G

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS HADRIANI VI. PONT. MAXIMI IMAGINEM REFERENS: CUSUS POST ADEPTUM Pontificatus honorem; Anno Chriſti 1522.



IN *Leonis Pontificis locum*, ſcribit lib. hiſtoriæ ſuæ 20. Paulus Jovius, *ſuffectus Hadrianus Sextus: mirâ & certe pudendâ, ſi Italiæ decus reſpiceretur, Senatorum factioſorum ſuffragatione: quâ feſtinatis comitiis, hominem apud Batavos extremi Oceani natum, & tum in Hiſpania agentem virtutis nomine, cunctis ſenatorij ordinis prætuliſſent.* Eſt ita: parum è dignitate ſedis Pontificiæ multis viſum, cum Itali haberi poſſent, cis Alpes hominem accerſiri: cum è nobilitate præcipui, textoris filium. Sed virtus Hadriani fecit, doctrinaque inſignis, cum vitæ integritate, morumque ſanctitate ſingulari conjuncta, ut Caroli V. Præceptor primò fieret, & Conſiliarius: ut Academiæ Lovanienſis Cancellarius: ut in Hiſpania, abſente Carolo, gubernator: ut Epiſcopus Dertuſenſis: ut tandem Eccleſiæ Romanæ caput. Fœdus fecit cum Carolo V. Venetis, Ferdinando Archiduce Auſtriæ, & quibusdam civitatibus Italiæ contra Franciſcum Galliarum Regem: miſit Franciſcum Cheregatam ad conventum Noribergenſem cum certis mandatis contra Lutherum. Magnoperè ei in votis erat, *ut ſua opera, ſtudio, conſilioq; finiretur, quam multi ſolicitè expetebant, quæq; jam tentata ac capta à nonnullis fuerat, Eccleſiæ, Curiæq; Romanæ reformatio.* Sed antequam vix manum operi huic admoveret, non ſine veneni ſuſpicione ſublatus è medio fuit. Sedit non niſi anno 1. menſibus 8. diebus 6. Cardinalem unum creavit. Sepultus ad S. Mariam de Anima. Germanorum *Author.*

Digitized by Google

NUMMUS TYPICUS

FRANCISCI A SICKINGEN

EQUITIS AURATI IMAGINEM REFERENS: Cuſus cum Urbem Trevirenſem hoſtiliter obſideret, Anno Chriſti 1522. & 1523.



PRÆCLARIS admodum atque eximiis animi dotibus Heroem iſthuncce (cujus & ſuperius facta mentio) præditum fuiſſe, indicio illud eſſe poteſt: quod Carolus V. Imp. cenſor ingeniorum accerrimus, non ſolum in Conſiliariorum eum numerum allegit, ſed & exercituum variorum ducem ac caput eſſe voluit. Cæterum ut *vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille, qui minimis urgetur:* ſic in hoc Franciſco deſideratum unicum penè illud fuit: quod ultionis vindictæque cupidior, tentaret ea nonnunquam atque aggrederetur, quæ vires ſuas, facultatesque longè ſuperarent: fieret hinc, ut magnis auſis, conatibusque ſuis non rarò excideret. Hujus generis fuit, quod Richardo Archipræſuli Trevirenſi per literas bellum denunciavit: cum is jure agi prohiberet cum duobus ditionis ſuæ hominibus, pro quibus fidem ſuam interpoſuerat. Deforme namque atque humile quippiam, ſeculo illo, videbatur; judicis conſequi ſententia, quod quis armatâ, cum ſuâ, tum ſuorum manu impetraturum ſeſe confideret. Spei itaque animique plenus, & cum agnatorum ſuorum, tum nobilium aliorum adjutus ſubſidiis, Trevirim obſidet, primariam Galliæ Belgicæ Urbem & ſedem Electoralem: obſeſſam tormentis igneque injecto oppugnat acerrimè. Viceverſa etſi nihil Archiepiſcopus intermitteret eorum, quæ ad defenſionem urbis pertinere videbantur; magis tamen fractus, & ad ſolvendam obſidionem urbis coactus Sickingus fuit, cum Ludovicus Elector Palatinus: Philippus Haſſiæ Landtgravius, ut & Suevici fœderis conſortes, Archiepiſcopi viribus copias ſuas conjungerent: fractæ pacis publicæ Sickingum reum agentes, eâque de causâ puniendum exiſtimantes. Franciſcus in arcem ſuam Nanſtalium ſeſe recipit: ubi à principibus arctè obſidetur: cumque

noctе quadam hoſtium caſtra contemplaturus, tectum cõſcendiſſet, lethali vulnere à trabe, quæ tormento icta, inque fruſtra diſpeſcita fuerat, ſauciatur, èque eodem paulò poſt moritur. Ditio ejus licet in poteſtatem Cæſaris venerit, tractu attamen temporis ex parte majore Hæredibus ejus ac conſanguineis reſtituta fuit. *Author.*


NUM-

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES AC CUSI DURANTE OBSIDIONE TICINENSI SECUTA MEMORABILI PUGNA ad Papiam commiſsâ. Anno Chriſti 1524.













ADverſus Carolum V. Hiſpaniarum Regem, & jam electum, Imp. Romanũ, terrâ mariq; præpotentem principem, ſpiritus erigere eſt auſus Rex Galliarum, Franciſcus Primus: vel quia prælatum ſibi in Imperio Carolum ægrè ferret: vel quia illuſtrandi nominis occaſionem quæreret. Belli hujus initio Gallus quædam loca Cæſarianis: illi Gallo ademerunt:

tandem & huic Mediolanum ereptum à Carolo, & Maſſilia Galliæ tranſalpinæ urbs inſignis obſeſſa. Duces exercitus erant Carolus Borboniæ princeps, qui nuper à Gallo ad Cæſarem defecerat: & Marchio Piſcariæ vulgo ſic nominatus: ambo viri ad omnia vel cogitanda vel explicanda conſilia prudentiſſimi. Hi relictâ Maſſiliâ (cum à Gallo maximas contrahi copias ad ſolvendam Maſſiliæ obſidionem inaudirent) exercitum aliò ſuum abduxerunt. Gallus, viribus & tunc videbatur ſuperior, mirâ celeritate ſuperatis Alpibus, ineunte Octobri agrum Mediolanenſem attigit. Interea pari ſtudio eſt eò properatum à Cæſarianis ducibus. Hi Papiam (aut ut vetus habebat nomen) Ticinum: illius duces cum equitibus aliquot Mediolanum ingreſſi ſunt, regi & copiis ejus hoſpitia petituri. Interea Papiam quoque conceſſit Dux Cæſareus Antonius Leva, vir inprimis ſtrenuus; qui conſpectis hoſtium exploratoribus, muniri loca omnia: ferrea & ænea tormenta lapideſque tormentarios ſubvectari: aggerem intus ſubſtrui: denique nihil non eorum parari jubet, quod ad arcendum hoſtem pertinere exiſtimaret. A Gallo Papia obſideri cœpta Quinto Calend. Novemb. acta utrinque ea, quæ ad oppugnationem ejus ſtrenuam, quæque ad defenſionem ſpectare videbantur. Durante obſidione octavo Idus Novemb. de communi ſententiâ ad oppugnandam urbem, totus fermè exercitus rapitur, & ad ipſas foſſas admovetur. Qui intus erant vaſa lignea, terram, alia multa comportare: aggeres erigere: nihil hoſti opportunum relinquere: nihil ſibi quod idoneum ad depellendum eſſet, neglectum permittere. Secundum hæc milites Germani catervatim ad Ducem concurrentes ſtipendia




exigere, unde ſe veſtiant, unde ventri quoque ſatis faciant. Decernitur ut mercatores pannarij militem veſtiãt: ſolutâ obſidione, à Cæſario Quæſtore pecuniam accepturi: nummos exteri mutuò darent. Venditum publicè quoque frumentum. Sed ubi nec his quidem modis tantum contrahi potuit ſignatæ pecuniæ, ut militi ſolveretur, Leva argentea ſua vaſa omnia conflari, & in nummos converti juſſit, unde ſtipendium eſt militi ſubminiſtratum. Creſcere cœpit hoc tempore obſidionis calamitas. Tantâ enim laboratum eſt inopiâ rerum omnium, quæ ad victum pertinent, ut equinæ & aſininæ carnes obſeſſis pro dulci cibo fuerint. Per eoſdem dies etiam lignis ad cibum coquendum deficientibus, miles pulcherrimas civium ædes diruit. In his malis iterum laceſſere obſeſſum Gallus: Germano excubias agenti, aſininæ carnis eſum exprobrare: ſtipendia iterum efflagitare Germani. Antonius pecuniam quantam poſſet publicè privatimque ut corraderet, à Canonicis Templi Majoris mutuum accipit: faſces, inſignia, vel argenteos baculos in nummum conflat; qui Ticinenſis Scholæ Rectori ad Comitia, vel eunti aliò, præferri conſueverant. Quæ rurſus cum non ſufficeret,

Digitized by Google

ceret, & jam tertium ſtipendia peterent Germani, Antonius quod geſtabat aureum monile conflavit, militemque ſuum placavit.





Rebus hunc admodum comparatis, Carolus Borbonius ſexto Calendas Februarias repentè cum validâ manu apparuit in agro Laudenſi: Gallus tormenta omnia avehenda curavit ad locum, quà venturum putabat hoſtium copias, prohibiturus ne propius accederent: militem quoque in Vrbeculis, quas occupaverat, hyemantem, ad caſtra vocavit. Dies venerat, qui ſextus eſt Calend. Martias; quo tempore, ex loco eminentiore, Papienſibus qui plus quatuor menſibus jam incluſi tenebantur, belli data ſigna. Quod ubi intellexit copiarum Cæſaris in urbe obſeſſa Præfectus, relictis qui urbem tuerentur, copias educit: primumque omnium tribus locis effracto arietibus caſtrorum muro, qui Gallicas acies egregiè tuebatur, Cæſariani vallum irrumpunt. Rex ubi hoſtem intra munitiones eſſe audivit, ſub auroram jubet unà cum bellicis machinis obviam ire armatos, qui Cæſarianos prohibeant. Itur: pugna committitur varia, atrox, cruenta. Horam ferè unam dubius fuit, & anceps pugnæ eventus, cum repentè ſuorum caſu pedites Galli conſternati, primum loco cedere, mox terga ſimul vertere cæperunt. Rex, ubi etiam extrema acies à Cæſarianis eſt equitibus circumventa, & à fronte alij urgebant infeſtius, viribus auxilioque deſtitutus capitur: cumque eo Rex Navarræ, Pontificis Romani legatus: duces ac principes complures alij. Nec tamen incruenta hæc ſtetit victoria Cæſari, in cujus exercitu præter inſignes alios Duces, octingenti ferè deſiderati. Parta inſigni hac victoriâ, Cæſariani cum præda, captivisque Regibus, ac tota ferè Galliarum regni nobilitate, Papiam ovantes repetunt, magnâque civium quoque lætitiâ, & gratulantium, acclamationibus, urbem, longa jam obſidione liberatam, ingrediuntur. *Salamandra conſtantiæ in rebus adverſis ſignum hieroglyphicum eſt: cujus ea natura ſcribitur, ut ſine læſione in igne vivat: frigiditate etiam ſua ignem extinguat.* Symboli id loco uſurpare Franciſco placuit: ſicuti viciſſim Cæſari *Aquilæ ſe aſſimilare; Baſiliſcis & Anguibus hoſtes ſuos, bello à ſe ſubactos. Hadrian. Barlandus: Author.*

NUM-

NUMMI MEMORIALES REFERENTES IMAGINES EORUM, QUORUM POTISSIMUM VIRTUTE OPERAQUE Motus Ruſticorum, in Alſatia atque Thuringia ſunt extincti. Anno Chriſti 1525.





ANNO reſtitutæ ſalutis M D XXV. nulli non nota Seditio Ruſticorum per Sueviam & vicinam Germaniæ partem, quæ eſt ad Danubium, primo vere exorta fuit: parvisque primò ab initiis adeò crevit hoc malum, ut nullus poſtea menſis fuerit, quo non aliis atque aliis locis ſit rebellatum. Incendium idem cum è Germania vicinam in Lotharingiam perveniſſet, Antonius ejus regionis princeps, fratre ſuo Claudio Guiſio (qui Gallici exercitus reliquias pugnâ Papienſi diſſipatas collegerat) inter alios comitatus Tabernas Alſaticas usque progreditur; quo loco ruſtici maximo numero convenerant. Et cum inſuper aliquot Ruſticorum millia his auxilio venirent, ille copiis aliquot equitum; peditumque miſſis, propè vicum Lupſtenum ad mille quingentos occidit: reliquis fugâ dilapſis: poſtridiè verò in eos, qui circa Tabernas erant, ingentem edidit ſtragem. Qua tamen in re fides deſiderata fuit. Nam juſſi deponere arma, & impunitate promiſsâ, cum per medias equitũ & peditum cohortes prodirent inermes,

domum

domum quisque ſuam redituri, levi quadam occaſione concitatâ turbâ cæſi fuerunt magna ſui parte: poſt à furente milite, direptum eſt oppidum & arx Epiſcopi, cives etiam & promiſcuè omnes interfecti, nullo diſcrimine. Eâ factâ ſtrage cum Princeps domum rediret, alter ruſticorum exercitus ad vallis Wileræ fauces conſederat, ut tranſitu ipſum prohiberent: ſed commiſſo prælio cæſi fuerunt ſupra millia quatuor. In eo conflictu Comitem Iſenburgicum deſideravit. Itaque maximâ cum prædâ plurimiſque captivis domum revertit. Conſimilis fuit aliorum in Palatinatu & agro Wormatienſi exitus. Quibusdam tamen in locis placidè res compoſita fuit, dexteritate Magiſtratus & interceſſorum: quos inter ſeditione in Briſgoia ortâ, captoque Friburgo ſtrenuè ſuis partibus defunctus fuit Wilhelmus Dominus in Rappolſtein, tempore eo ſupremus Alſatiæ Advocatus Cæſarius. In Thuringia pariter cum tumultuaretur à prophana multitudine ad conatus ejus infringendos Saxoniæ Princeps Fridericus validas contrahit copias: verum in ipſo belli apparatu moritur die Maij 12. Albertus etiam Comes Mansfeldius collectis aliquot turmis equitum, & impetu in illos facto ad ducentos interficit. Perterrefacti cæteri neque longius progreſſi Franckenhuſium fugâ petunt, ibique commorati majores copias expectant. Hæc res ſola impetum illorum tardavit, eâque morâ interpoſitâ, vicini Principes equitatum conſcribunt ad mille quingentos: & peditatum non magnum. Hi erant Saxoniæ princeps Johannes Elector, eiusque Patruelis Georgius: Haſſiæ Landtgravius Philippus: & Brunſuici Dux Henricus. Non longè à Franckenhuſio conſederant ruſticani in monte: & contractis curribus muniendi ſui cauſa difficulter poterant adiri: ſed neque tormentis nec armis idoneè erant inſtructi: & plærique omnes rei militaris imperiti. Quapropter Principes etiam miſeratione quadam impulſi miſſis internuntiis hortabantur: ut traditis modò ſeditionis authoribus, ab armis diſcederent, & impunitate propoſitâ domum redirent. Viciſſim anteſignanus Ruſticorum, cùm concione ſeditioſâ vereq; tribunitiâ ſuos eſſet cohortatus, prius etiam Adoleſcentem Nobilem miſſum à Principibus contra jus gentium interfeciſſet, clamore ſublato, & S. ſpiritus implorato auxilio, acies in Principes dirigebat. Eo facto magis exacerbati principes committendi prælij dant ſignum, & copias inſtruunt. Fit impetus in hoſtem, & tormentis primum res agitur. Cum autem in munitiones fieret impetus, ac multi paſſim interficerentur: ibi demum in fugam conjecti Franckenhuſium petunt: alij quidam in diverſam montis partem ſeſe recipiunt, ac in proxima valle per paucos equites aliquandiu ſuſtinent, ac demorantur, ex iiſque unum & alterum interficiunt. Cum enim magna ſui parte fugerent, equites abſque ordine vagabantur, & quam quisque in partem veniſſet, ibi fugientes perſequebantur; ſed non nullis deſideratis accenſi irâ ſtudioque vindictæ magis inſtabant, & ad quinque circiter millia conciderunt. Mox à prælio fuit occupatum Franckenhuſium, capti in eo trecenti & capite mulctati, inter eos inprimis Münzerus turbarum harum concinnator, cujus caput affixum haſtæ, exempli cauſa, mediis in campis collocatur. *Sleidanus Author.*

Digitized by Google

NUMMUS MEMORIÆ DICATUS

CLEMENTIS VII. PONT. MAX. CUSUS POST FOEDUS CUM GALLO, ANGLO, VEnetis, Franciſco Sfortiâ, contra Carolum V. Cæſarem ſancitum. Anno Chriſti 1526.




DEderat Franciſcus Rex Galliæ inſigne exemplum, non temerè conceſſam à ſuperis victoriam, ſpe magnificarum promiſſionum ſine fructu è manibus dimittendam: ſed inſiſtendum cœleſtis doni beneficio cogendosque ante dimiſſionem, ad earum rerum ſatisfactionem, quas verbis promittebant. Liberatus quippe à Cæſare pactis ſtare recuſabat, poſthabitis filiis, quos obſides reliquerat: ſpretâ jurisjurandi religione, quâ ſeſe obſtrinxerat: & ut vires magis ſuas magisque ſtabiliret, de fœdere cum Pontifice, Anglo, Venetis, aliisque Italiæ Principibus maturè pangendo cogitabat. Pronos eam ad rem cunctos invenit. *Pontifex* inprimis *Clemens Joſephus in hoc fratrum contubernio eſſe voluit:* & quod veteres animo offenſiones aleret: & quod ſuſpectam admodum Cæſaris potentiam haberet: & quod Cæſar in Hiſpania edicta quædam contra ſacroſanctæ ſedis authoritatem promulgaret: & quod Mediolenſi arci, priusquam fame oppreſſa hoſtibus dederetur, maximis copiis in tempore ſuccurri poſſe ſtatueret. Maturatione itaque maximâ res agitur: icitur fœdus 17. Maij Anni 1526. Cuniaci inter Regios procuratores, & Pontificis ac Venetorum miniſtros ab altera. Capita fœderis hic ponere otioſum, cum à Guicciardino & aliis prolixius recenſeatur. Commodi interim parum ex hac fraternitate ſenſit Pontifex. Differt ſua auxilia Francus: Sfortia, commeatus adactus inopiâ Mediolanenſem arcem tradit Borbonio: Cæſariani Pontificem à confœderatis ſeparaturi, cùm operâ Procerum Columnenſium inducias aliquot menſium cum eo pepegiſſent, ipſeque induciis temere fidens militem omnem dimiſiſſet, ſecurum obruunt: Romam nemine reſiſtente occupant. *Franciſc. Guicciardinus: Pontus Heuterus: Author.*

NUM-

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS:

CUSUS DURANTE OBSIDIONE Cremonenſi, Anno Chriſti 1526.



CLEMENTIS VII. Pontif. Max. Franciſci primi Galliarum regis: Venetorum & Principum Italiæ confœderatorum copiæ, cùm aliquandiu fruſtra Mediolanum obſediſſent, Helveticis & Medicæis copiis in caſtris Mediolanenſibus relictis, Malateſtam Baleoneum Peruſienſem cum octo millibus Italorum ad obſidendam Cremonam miſerunt, qui centum tormentis majoribus per triduum creberrimis ictibus urbem conquaſſans, maximam murorum ruinam effecit. Erat in urbe Conradinus Glurinenſis Cæſaris præfectus, cum mille Germanis, & quingentis Hiſpanis, qui nocturna excurſione in caſtra hoſtium irruentes, ſtragem maximam edidêre: ſigna tredecim militaria in urbem retulêre. Itali, etiamſi per ruinam murorum maximus pateret aditus, impreſſionem tamen facere ſunt averſati. Hâc ſuorum timiditate Julius Monferonius, & Malateſta commoti ipſimet per ruinas hoſtes adorientes, reprimuntur. Julius, cum multis aliis fortiter pugnans occumbit. Damno hoc accepto Itali ducem Urbini cum toto exercitu, in auxilium vocare coacti ſunt: quem Germanorum militum virtus eum in ſtuporem metumque rapuit: ut non homines, ſed Cacodæmones in urbe eſſe diceret. Obſeſſi tandem pulveris tormentarii, & aliarum rerum coacti inopiâ, ubi vitam & ſalva ſua omnia pacti fuiſſent, explicatis ſignis urbe excedunt, eandemque hoſti relinquunt.

Durante obſidione moneta, quam vides, inter manus militum verſata fuit. *Adamus Reuſnerus.*

NUMMUS TRIUMPHALIS CUM ICONISMIS DUOBUS: CUSUS AD MEMORIAM EXERCITUS PONTIFICII INTER Padum ac Mincium diſſipati: nodi confœderationis magnâ ex parte ſoluti. Anno Chriſti 1526.



Confœderatorum in Italia res, quæ exiguum hactenus ſucceſſum habuerant, in peius indies ire ac ſeneſcere cœpêre: res verò Cæſaris melius habere; poſteaquam præter recentes copias acquiſitas perſuaderi ſibi Georgius Fronſpergius, Cæſari ſemper addictiſſimus, paſſus fuit: ut cum conſcriptis ſuo ære quatuordecim millibus peditum Germanorum, acceptiſque ab Archiduce Ferdinando quingentis equitibus, laborantibus Cæſarianis in auxilium proficiſceretur. Is per Tridentinas Alpes, menſe Novembri, in Italiam ſe demittit: fruſtra Urbinatium Duce, confœderatorum Imperatore, impedire id conante; qui Vaprio profectus Johannem Medicem, ſexcentos gravis compluresque levis armaturæ equites, & circiter novem peditum millia ſecum duxit: non quidem ut cum hoſte aperto prælio dimicaret, ſed infeſtando, & commeatus impediendo in aliquod eum diſcrimen adduceret. Ac diu quidem, quodnam futurum eſſet Germanorum iter fuerat dubitatum: tandem tamen Burgofortum verſus id ceperunt: quo cum ipſi tormenta non haberent, quatuor minora tormenta (falconetos vocant) à Ferrarienſium Duce miſſa, Pado ſunt advecta: quod quidem auxilium per ſe parvum, fortunæ beneficio maximum extitit. Nam cum Urbinas illos perſequens, in Mantuanum ſeptum, quod

Serral-

Digitized by Google

Serrallium vocant, in quo & illi adhuc erant, eſſet ingreſſus, cum illi Burgoforto appropinquarent, Joannes Medices, quamvis cum parva fructus ſpe, noviſſimum illorum agmen, cum expeditis equitibus eſt inſecutus: cumq; eos tormenta accepiſſe ignorans audacius acceſſiſſet: ipſique tormentorum uni ignem admoviſſent, altero ictu Johanni Medici paulum ſupra poplitem crus fregerunt: quo vulnere Mantuam perlatus, poſt paucos dies maximo cum belli detrimento, in quo nulla præter ipſius arma unquam hoſtibus terrori fuerant, mortuus eſt. Nam etſi viginti novem duntaxat annorum juvenis, & ferociſſimo animo eſſet: experientia tamen ac virtus in eo annos ſuperabat, brevique in re militari celeberrimus dux futurus, certò credebatur. *Pont. Heuterus Franc. Guicciard.*

NUMMI DUO FERALES,

QUORUM ALTER TRISTEM LUDOVICI HUNGARIÆ REGIS INTERITUM

refert, ad oppidum Mochacz ſuffocati: Anno Chriſti 1526. alter Regis admodum deſiderati refricat memoriam: Turcâ miſerabiliter Hungariam vaſtante, Anno Chriſti 1543. & 1544.



VT Solymannus Turcorum Imp. Hungariam invaderet, cauſas multas, interq; eas has non poſtremas habuit: quod Regem mollius educatum à ſuis contemni: niti prorſus aliorum conſiliis: regnum turbis ac proditionibus domeſticis agitari: ardere odiis mutuis Principes Chriſtianos, eaque propter ad ferenda Hungaris auxilia, minus vel promptos, vel citos fore animadverteret. Collectis itaque bis centenis virorum millibus Ungariam ingreditur Anno Chriſti 1526. cumque Taurinum veniſſet, præmiſit Balibeio duce equites, qui excurrendo hoſtium agros popularentur. Rex tum Budæ erat: & copias quas potuit coegit, quorum numerus 24000. exceſſiſſe negatur. Erat cum rege Georgius Zepuſius, ſeptem Caſtrenſis præſidis frater: & Paulus Tomori homo temerarius, qui regem impulit, ac penè coegit, ut hoſti obviam iret. Solymannus promotis ad Mochacz oppidum caſtris, æquo in loco, quia hoſtis numerum valdè exiguum ſine ductoribus & tormentis vidit, nihil differendum ſtatuit, ſed prælium committendum. Cunctis ergo à Rege quoque per Tomori confuſè ad certamen diſpoſitis, cum aliquandiu noſtros procurſationibus & levibus præliis exercitos, attriviſſet, tandem manus longè impares, & ſummæ

adeo

adeò copiæ 30. Auguſti conſerunt. Exercitus Regius facilè & miſerabiliter, offuſo terrore cæditur atque fugatur: cadunt ampliſſimi quique præſides ignominioſè: ſuccumbit Tomori fortiter dimicans: Zebuſius dum in navem citato equo inſilire nititur, aquis Danubij obruitur: Ludovicus, hoſtis manus effugere volens, ex media cæde in lacunam quandam, ex ſtagnatione Danubij, equo delatus, quod armis gravabatur, ibidem ſubmerſus interiit. Cadaver poſt duos demum menſes repertum in Alba regali perhonorificè tumulatur. Solymannus uſus fortunæ proſperitate Budam occupat, redeunte hyeme in Thraciam copias reducit, & victoriam hancce maximâ feſtivitate celebrat. *Philippus Lonicerus in Chron. Turcico. Petrus Ranzanus in Epitome rerum Ungaricarum.*

Digitized by Google

NUMMUS GRATULATORIUS CUSUS IN HONOREM CAROLI V. IMP. EXPUGNATA PER MILITEM ROMA, auſpiciis Caroli Borbonij. Anno Chriſti 1527.



PRæclarè ſe rebus conſulturum ſuis ſtatuebat Clemens VII. Pont. Rom. ſi fœdus Italiæ Principum, & maximarum civitatum conſtitueret: quo tutiores eſſent adverſus ingruentem Cæſarem, & ad illum excludendum (nam hoc planè agebatur) validiores. Carolus viciſſim nihil ad turbanda hujusmodi conſilia prius habuit, quàm exercitum in Italiam quam primum mittere: qui cunctis minaretur: Jubetur itaque Georgius à Fronsperg clarus eques, & notæ virtutis exercitum conſcribere, quem ille contractum ocyus ex Alpeſtri Rhætia in Atheſin vergente, ſub initium anni 1527. in Italiam ducit. Fronſpergio præter alios ſe adjungit, Carolus Borbonius Cæſareanorum copiarum præfectus, qui ab induciis cum Pont. Max. tranſigendis prorſus abhorrebat: incitabaturque à Ferrariæ Duce ad invadendam Romam: neceſſaria omnia pro exercitu clam ipſi ſubminiſtrante. Pontifex videns Borbonium ſe contemnere, expeditoque cum exercitu ex agro Aretino rectà Romam contendere, urbis curam Laurentio à Cere Urſino committit: Romanos verò ad arma alacriter capienda, pecuniamque quà miles conſcriberetur, conferendam, adhortatur. Sed cum lentè hæc nulloque animorum ardore adminiſtrarentur: rebus omnibus ad urbis defenſionem adhuc imparatis; Borbonius quinto Maij in ejus conſpectum caſtra locat, poſteroque die, ipſâ aurorâ, oppugnationem aggreditur: dumque Germanos frigidius pugnam ineuntes animaturus, arreptâ ſcalâ inter primos aſcendens pugnam orditur, ſclopetorum globis per cerebrum ac fœmur adactis mortuus concidit: Philiberto Challonio, Aurantij Principe juxta aſtante, ac longiore veſte cadaver, ne ducis morte miles perturbaretur, contegente. Cumque eo cadente, per duas horas veterani acriter pugnaſſent, tandem Germani & Hiſpani in ſuburbium, deinde in ipſam urbem erupêre, deſideratis cum Borbonio, mille viris, interfectis ve-

rò tam

rò tam in oppugnatione, quàm irruptione quatuor Romanorum millibus. Divina ac humana militum libidini ceſsêre, in omnem ſexum ætatemque, omnis libidinis, ſævitiæ, calamitatis, ac cruciatus genere promiſcue ſævitum. Pontifex Clemens cum effugere potuiſſet, conſilij inopiâ, ut cum multis aliis circumveniretur, ac in arcem Angelinam concluderetur, cauſa fuit: ubi per integrum obſeſſus menſem, fruſtraque auxilium à confœderatis expectans, tandem cum Lanoio, Aurantio, Vaſtio, Moncada, & Alarcone his legibus. 6. Junij tranſigit. Pontifex in ſtipendium Cæſarianorum militum conſtitutis temporibus, quadringenta millia aureorum perſoluito: ac ſtatim decem millia præſentato: cum tredecim Cardinalibus in mole Adriani cuſtoditor: donec prima pecuniæ penſio ſit perſoluta: tum Neapolim, aut Caietam proficiſcitor, expectaturus Cæſaris decretum. Exinde Alarco cum tribus Germanorum, ac totidem Hiſpanorum ſignis arcem ingreſſus, Pontificem cum Cardinalibus arctè cuſtodit, cæteros omnes dimittit. Atque ſic quidem *ſpes priſci honoris, & reſtituendi imperij ſuſcitata eſt, ex capta urbe, quam Tyberis ſecat. Pontus Heuterus. Author.*

I NUM

NUMMI MEMORIALES
CLEMENTIS VII. PONT. MAX.
QUIBUS IN ARCE ANGELINA CON-cluſus libertatem redimebat. Anno Chriſti 1527.



ERat namque totus quidem in conficiendâ pecuniâ liberandi ſui, ſuorumq; Cardinalium causâ, Clemens: verùm cùm lentius procederet ſolutio, graſſabātur interim Romæ octo millia Hiſpanorum: quatuor millia Italorum peditum: quos cum Lanoius ac Vaſtius educere conarentur, à ſeditioſis ad cædem quæſiti, ægrè effugêre, manſitque in urbe vivens ſuo arbitratu: inſolens, avarus, libidinoſus, impiusque miles, neglectâ abjectâq; omni diſciplinâ ac imperio, circiter octo menſes continuos: peſte inter eos inſigniter graſſante. Cæſar factum hoc diligenter excuſans nullo ſuo mandato accidiſſe dicebat: inprimis autem ad Angliæ Regem ea de re ſcribit: & quanquam iſtud certò credat juſto Dei judicio contigiſſe, qui vim ac injuriam ſibi factam ſit ultus, tamen operam ſe daturum ait, ut hæc ipſa clades initium ſit & occaſio ſalutis Reipublicæ. Cùm in Hiſpaniam eſſet allatus ejus rei nuncius, illicò ceſſare Cæſar juſſit ludos, atque ſpectacula, quæ propter recens natum filium Philippum edebantur. Quin & brevi reſtituitur ab eodem in libertatem Papa Clemens poſt ſeptimum captivitatis menſem: milites quoque Cæſariani, cùm ſe abundè prædâ, libidine, vino, auroque ſatiaſſent, inſuper ſinguli duos à Vaſtio aureos accepiſſent, Ducum ſe Imperiis ſubiicientes, Romam deſerunt. *Sleidanus.*


NUM-

Digitized by Google

NUMMUS HONORARIUS

GRATITUDINIS TESTANDÆ

GRATIA CUSUS A GENUENSIBUS ANDREÆ AURIÆ: Caroli V. Imperatoris Archithalaſſi: poſteaquam à Franciſco Galliarum Rege defeciſſet. Anno Chriſti 1528.



VT ſub finem Anni 1528. graviter Regem Galliæ Franciſcum primum liberorum ſtatus affecerat: quos in Hiſpaniam miſerat obſides, & infeliciter geſtum bellum per Italiam, amiſſo exercitu atque Imperatore Lautrecho: ſic non minus eum conturbabat Andreæ Auriæ Genuatis, rei maritimæ ſcientiâ clariſſimi Ducis, à ſe ad Cæſarem defectio. Cauſa defectionis fuiſſe traditur: quod, cum Andreas per Philippum Auriam præſtantiſſimos Cæſaris Duces Alphonſum Vaſtium Marchionem, & Aſcanium Columnam in navali pugnâ quadam cæpiſſet, captos verò petenti Regi ſiſtere nollet, Rex indignatus verbis minacibus animi ſui exacerbationem abunde oſtenderit: eòque Auriam adegerit, ut Vaſtio & Columnâ liberè dimiſſis, per Antonium Levam Cæſaris amicitiam aucuparetur. Receptus ad res agendas confeſtim animum convertit, ejectoque Barbeſio rei maritimæ præfecto, Genuâ & arce potitus, Gallos mox Savonâ expulit. Alij hanc defectionis cauſam adferunt: quod, cum vidiſſet patriæ libertatem in ſummo diſcrimine verſari, quotidieque contra illum nova & inſolita Gallos, in maximum urbis detrimentum, moliri, ſibique à Barbeſio inſidias ſtrui: permotum rebus hiſce patriæ libertatem vindicaſſe, regique ordinis ſui torquem aureum (quo antea ab illo donatus fuerat) remiſiſſe, ipſiuſque inſignia, quæ in navibus erecta habuerat, deleviſſe: Cæſaris amicitiam ſibi magis, quam Galliæ regis profuturam autumans. In cujus rei & vindicatæ libertatis memoriam populus Genuenſis Coloſſum ex marmore præaltum, cum hac inſcriptione ipſi erexerat: ANDREÆ AURIÆ CIVI OPT. FELICISSOQUE VINDICI ATQUE AUTHORI PUBLICÆ LIBERTATIS, SENATUS POPULUSQUE GENAVENSIS POSUIT. Lubet hic addere Jani Vitalis de re eâdem verſus haud invenuſtos:

Quem ſpectas barbâ horrentem, ſævumq; tridentem
Imperium pelagi magna ditione tenentem,
Aurius eſt: non ille modo Lybiæq;, Aſiæq;,
Pyratarum horror, & formidabile nomen:
Sed terræ decus Auſoniæ, & nova gloria Martis.
Hic patriam longo concuſſam turbine belli
Firmavit pace, & civiles ſuſtulit iras.
Iſtum grata ſuum Ligurum Reſpublica civem,
Et pietate gravem, & meritis ingentibus, inter
Delectos proceres, quos ille ab origine primâ
Excoluit, celebrem æterno ſacravit honore.

Nummi latus alterum hierographiam habet, quam Triremi, pro Imperatore Carolo V. ædificatæ, appingi voluit Auria. Calidum ei ad Deum votum, idque duplex: alterum *ut in itinere periculoſo ſydus illud ſibi præluceat, quod tres Magos Orientales Bethleemum usq; deduxit:* alterum *ut divinum ſibi adſit numen in hoſtibus ſuis configendis ſuperandisq;. Id enim tela à ſtella circulata ſignificant. Sleidanus Author.*

NUMMI CASTRENSES
CUSI VIENNA AUSTRIÆ A SOLYMANNO TURCARUM IMP. OBSIDIONE cinctâ, ſolutâ. Anno Chriſti 1529.



LUDOVICO Ungariæ Rege triſti fato perempto, de eligendo ſucceſſore Proceres diſſentiunt: Ferdinandum aliis poſtulantibus: aliis Joannem Comitem Zebuſienſem Tranſylvanum. Comes Ferdinando impar ad Solymannum confugit, inque occupando Ungariæ Regno auxilium ejus efflagitat. Solymannus qui jam pridem Ungariam & huic vicinam Auſtriam ſpe animoque devoverat, manu utrâque occaſionem hanc arripiens, collecto exercitu maximo, incredibili omnium rerum, quas belli uſus exigit, apparatu, in Ungariam properat: dedentibus ſeſe parcit: reſiſtentes omni vi vaſtat & crudelitate; præſidium Budenſe, quod ſe fortiſſimè defenderat, contra fidem datam, trucidat: Viennam Auſtriæ pervenit 22. Septemb. Ferdinandus Rex Ungariæ, cum incendium iſtud non in ſuam modo perniciem, verum totius Imperij exarſurum animadverteret, de auxiliis Germaniæ Principes Spiræ Comitia celebrantes compellat: decretis

Digitized by Google

hiſce præficitur, Comes Palatinus Rheni Bavariæ Dux Fridericus: hic dum neceſſaria bello parat; Philippo è patre nepoti (cujus hic imago cernitur)



in defendenda Vienna partes ſuas committit: qui Spartam ſibi demandatam quovis tuêri, atque exornare modo conatur. Hoſte magis magisque appropinquante, ſuburbana, quia ampla & imminuta, præſidio Turcis eſſe poterant, diruta ſunt & incenſa: machinæ, & bellica inſtrumenta diſpoſita: naves quæ in anchoris perſtiterunt ſubmerſæ: foſſæ poſt muros ductæ: erecti aggeres: urbis cuſtodia per ſtationes diviſa, & valida undique elocata præſidia: portæ penè omnes præter eas, per quas egredi nonnunquam in hoſtes liceret, latere cocto obductæ: ſicque compoſitis rebus, non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum caſtrorum munitione hoſtem aggreſſi noſtri exigua manu, collatis ultra vallum & munitiones ſignis, pepulêre. Tentatum idem ſæpius & plærumque feliciter: ſæpè cæſis plurimis ſine ſanguine noſtro in Urbem reditum. Hoſtis cum aliquandiu vineis admotis, actisque cuniculis muri fundamenta ſubvertere, ſed fruſtra tentaſſet, quadrifariam tandem diviſum exercitum, ac ſenas ſibi ipſi ſuccedentem in horas, continuato die ac nocte prælio Urbem jubet oppugnare: foſſores interim in averſiſſima munitionum parte cuniculos numero plures agere: ut perpetuis laboribus exhauſti, obſeſſi loca deſerere cogerentur: armorumque ſtrepitu actos cuniculos non ſentirent. Nec fuit ſpes vana Tyranni, cum ſuffoſſus & crebra vi pulveris impetitus murus tribus ex oris amplâ patefactâ feneſtrâ corruerit. Hic ingenti ſublato clamore Turcæ patentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes oppugnare: noſtri, è diverſo, animo infracto inſultantium impetum ſuſtinere: hoſtes ipſos muro arcere: tandem repellere. Non ſemel ſed ſæpius hunc ad modum, ſed fruſtra tentatâ urbe: fractis militum animis: increbreſcente rumore, brevi cum copiis auxiliaribus Ferdinandum Regem & Fridericum Palatinum affore, de ſolvendâ obſidione tyrannus cogitat, incenſisque ſtatim primâ ſub vigiliâ caſtris, inſtitutam accelerat abitionem: quod tamen ne foret inultum, crudelitate ſumma coram ſe mactare jubet Chriſtianos omnes, quos ſors iniqua captivitate involuerat. Hybraim Baſſa, collectis levis armaturæ equitibus, compoſitisque ex arte & induſtria ſubſidiis: præcedentem à tergo tutabatur Tyrannum, qui correptis repentè ſignis, tantâ cum feſtinatione reli-

quum

Digitized by Google

quum in caſtris militem reducit,ut & urbes & oppida omnia; quæ improviſo metu perculſa Imperium acceperunt, nullo præſidio impoſito, intacta reliquerit: quintâque poſt abitionem die Budam, 32. milliaribus Germanicis Viennâ diſtantem, pervenerit: amiſſis ſuorum quamplurimis: quorum cadavera, unà cum ingenti Camelorum & beſtiarum numero ſtrata paſſim per itinera fuerunt reperta, vi frigoris hyemisque ſævitiâ, & famis diuturnæ tolerantiâ jamdudum emacerata. Præterea maximè per omne obſidionis tempus Principum Palatinorum Friderici & Philippi virtus eluxit: qui inter cæteros: quamvis multi egregij, inſignibusque facinoribus, & rebus geſtis præſtantes adfuerint bellatores, velut inter ignos Luna minores emicuêrunt. Nemo iis vigilantior: nemo laboris & periculi tolerantiòr: unde & Σωτῆρες ſervatores patriæ appellati. Duravit obſidio diebus triginta tribus, cœpta 13. Sept. ſoluta 16. Octob.

Melch. Soiterus JC. de bello Pannonico. Author.

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS CUSUS IN HONOREM CAROLI V. IMP. PACEM CUM PONTIFICE, GALLO, Anglo condentis Cameraci. Anno Chriſti 1530.



Galliæ Rex bello infeliciter in Italia geſto: amiſſo exercitu: mortuo Lautrecho: Andreâ Auriâ Genuate, rei navalis ſcientiâ clariſſimo deſertore ac transfugâ, ad pacem animum adjecit: non ab eâdem abhorret Imper. imprimis quod Turcâ, expeditionem Panonnicam moliēte, Auſtriæ ſuæ ſubtimeret. Eam ob rem Cameracum, liberam adhuc, & neutrius partis urbem in medio ferè Belgio ſitam (uti fatalem ad graviſſimas Reipublicæ conſtituendas conſultationes, & induciarum, fœderum, ac pacis ſolenni promulgatione, jam olim celebratam) delegerunt. Interea igitur temporis quo in Hiſpania inter Clementem VII. Pont. Max. & Imper. convenit: hinc à Cæſarianis, Margaritâ Auſtriâ, Maximiliani Aug. Filia (ea Carolo V. erat amita, proque nepote ex fratre tunc Belgium obtinebat) inde vero à Gallis Aloyſia Allobrox Regia mater; (quæ eadem Franciæ rebus præerat) cum ſplendidâ pompâ delecti comitatus, quo condictū erat, venerunt. Has enimvero deducebat, qui ambabus erant, aut à conſilijs, aut ab actis, aut â ſecretis: & alij proceres, quorum interceſſione utrinq; optata pax facilior, æquabiliorq; eſſet. Quo, poſtquam conveniſſent ex præcipuis Italiæ civitatibus legati, puta à Venetis, ab Inſubribus, â Florentinis: & ſi qui eſſent Italorum reliquorum Gallicarum partium ſtudioſi Romanus Pont. præter Salniatam (qui res Pontificias antea illic procurabat) Capuanum item Antiſtitem eodem miſit. Britannicam vero legati[illegible]em ſimul obibant Londinenſis Epiſcopus & Suffolchius Ducis titulo honoratus. Itaque per accenſos Heroidum reconciliatricum coacto ſemel, atque iterum ſenatu, poſtquam de alternis controverſijs, ac conſultationibus diu multumq; iuriſperiti diſputaſſent: Galli poſtremo præ nimio quodam ſuarum rerum ſtudio, relictis Italis Non: Sextil: pacem cum Cæſareanis certis quibusdam conditionibus, deliberatò fecere. *Ludovi. Guicciard. Sleidanus.*

NUM-

NUMMUS TRIUMPHALIS
FERDINANDI GONZAGÆ SUMMI EXERCITUS CÆSARIANI PRÆFECti: Cuſus occupatâ jam Florentiâ: Anno Chriſti 1530.



AMicis tandem aliquando oculis, hoc anno, Italiam pax alma reſpexerat: variis ſopitis bellis ac controverſiis: quas hic recenſere longiùs foret. Soli ſuperant Florentini aſperrimo bello implicati, & à ſociis fœderatisque deſtituti. Veruntamen inſigni animorum altitudine, nec adverſæ fortunæ, nec minitanti hoſti uſpiam cedebant. Quin communitâ civitate, & meliore parte municipiorum, militem cogebant, ſibique immensâ pecuniarum vi providebant. Arauſinus Cæſarianorum præfectus ubi receptâ Peruſiâ continuò territorium Florentinorum invaſiſſet, unoq; curſu Spellam, Cortonam, & Anetium pactione cepiſſet, tandem etiam caſtra ad muros urbis ponit. In hoc Florentinum bellum Ligures, Senenſes, Lucenſes, Pontifex, & Imp. auxilia itidem ſubmittebant. Nec verò obſeſſorum virtuti quidquam deceſſit, donec Piſtorio, Prato, atque Empoli, tribus ſimul amiſſis oppidis, legatum præterea Ferucium unà cum copiis, in Stellatinis profligatum atque interfectum cognoverunt. Miſſis igitur ad hunc Ferdinandum Gonzagam (qui ſtrenui ducis in obſidione officium fecerat, & in demortui Arauſini locum fuerat ſuffectus) legatis, decimo demum menſe poſt obſeſſam oppugnatamque Florentinam, non omninò iniquis conditionibus concordiam conſtituerunt. Bartholomæus Valorius legatus Pontificius urbem introgreſſus, ubi aliquot cives ſupplicio capitali affeciſſet, alios exilio multaſſet, univerſam rem Florentinorum ad Pontificis

Digitized by Google

NUMMI DUO FERALES,

QUORUM ALTER TRISTEM LUDOVICI HUNGARIÆ REGIS INTERITUM refert,ad oppidum Mochacz ſuffocati:Anno Chriſti 1526. alter Regis admodum deſiderati refricat memoriam: Turcâ miſerabiliter Hungariam vaſtante, Anno Chriſti 1543. & 1544.



VT Solymannus Turcorum Imp. Hungariam invaderet, cauſas multas,interq; eas has non poſtremas habuit: quod Regem mollius educatum à ſuis contemni: niti prorſus aliorum conſiliis: regnum turbis ac proditionibus domeſticis agitari: ardere odiis mutuis Principes Chriſtianos, eaque propter ad ferenda Hungaris auxilia, minus vel promptos, vel citos fore animadverteret. Collectis itaque bis centenis virorum millibus Ungariam ingreditur Anno Chriſti 1526. cumque Taurinum veniſſet, præmiſit,Balibeio duce equites, qui excurrendo hoſtium agros popularentur. Rex tum Budæ erat:& copias quas potuit coegit, quorum numerus 24000.exceſſiſſe negatur. Erat cum rege Georgius Zepuſius,ſeptem Caſtrenſis præſidis frater: & Paulus Tomori homo temerarius, qui regem impulit, ac penè coegit, ut hoſti obviam iret. Solymannus promotis ad Mochacz oppidum caſtris, æquo in loco, quia hoſtis numerum valdè exiguum ſine ductoribus & tormentis vidit, nihil differendum ſtatuit, ſed prælium committendum. Cunctis ergo à Rege quoque per Tomori confusè ad certamen diſpoſitis,cum aliquandiu noſtros procurſationibus & levibus præliis exercitos,attriviſſet,tandem manus longè impares,& ſummæ

adeo

Digitized by Google

adeò copiæ 30. Auguſti conſerunt. Exercitus Regius facilè & miſerabiliter, offuſo terrore cæditur atque fugatur: cadunt ampliſſimi quique præſides ignominiosè: ſuccumbit Tomori fortiter dimicans: Zebuſius dum in navem citato equo inſilire nititur, aquis Danubij obruitur: Ludovicus, hoſtis manus effugere volens, ex media cæde in lacunam quandam, ex ſtagnatione Danubij, equo delatus, quod armis gravabatur, ibidem ſubmerſus interiit. Cadaver poſt duos demum menſes repertum in Alba regali perhonorificè tumulatur. Solymannus uſus fortunæ proſperitate Budam occupat, redeunte hyeme in Thraciam copias reducit, & victoriam hancce maximâ feſtivitate celebrat. *Philippus Lonicerus in Chron. Turcico. Petrus Ranzanus in Epitome rerum Ungaricarum.*

Digitized by Google

NUMMUS GRATULATORIUS CUSUS IN HONOREM CAROLI V. IMP. EXPUGNATA PER MILITEM ROMA, auſpiciis Caroli Borbonij. Anno Chriſti 1527.



PRæclarè ſe rebus conſulturum ſuis ſtatuebat Clemens VII. Pont. Rom. ſi fœdus Italiæ Principum, & maximarum civitatum conſtitueret : quo tutiores eſſent adverſus ingruentem Cæſarem, & ad illum excludendum (nam hoc planè agebatur) validiores. Carolus viciſſim nihil ad turbanda hujusmodi conſilia prius habuit, quàm exercitum in Italiam quam primum mittere: qui cunctis minaretur: Jubetur itaque Georgius à Fronsperg clarus eques, & notæ virtutis exercitum conſcribere, quem ille contractum ocyus ex Alpeſtri Rhætia in Atheſin vergente, ſub initium anni 1527. in Italiam ducit. Fronspergio præter alios ſe adjungit, Carolus Borbonius Cæſareanorum copiarum præfectus, qui ab induciis cum Pont. Max. tranſigendis prorſus abhorrebat: incitabaturque à Ferrariæ Duce ad invadendam Romam : neceſſaria omnia pro exercitu clam ipſi ſubminiſtrante. Pontifex videns Borbonium ſe contemnere, expeditoque cum exercitu ex agro Aretino rectà Romam contendere, urbis curam Laurentio à Cere Urſino committit: Romanos verò ad arma alacriter capienda, pecuniamque quâ miles conſcriberetur, conferendam, adhortatur. Sed cum lentè hæc nulloque animorum ardore adminiſtrarentur: rebus omnibus ad urbis defenſionem adhuc imparatis; Borbonius quinto Maij in ejus conſpectum caſtra locat, poſteroque die, ipsâ aurorâ, oppugnationem aggreditur : dumque Germanos frigidius pugnam ineuntes animaturus, arreptâ ſcalâ inter primos aſcendens pugnam orditur, ſclopetorum globis per cerebrum ac fœmur adactis mortuus concidit: Philiberto Challonio, Aurantij Principe juxta aſtante, ac longiore veſte cadaver, ne ducis morte miles perturbaretur, contegente. Cumque eo cadente, per duas horas veterani acriter pugnaſſent, tandem Germani & Hiſpani in ſuburbium, deinde in ipſam urbem erupêre, deſideratis cum Borbonio, mille viris, interfectis ve-

rò tam

Digitized by Google

rò tam in oppugnatione, quàm irruptione quatuor Romanorum millibus. Divina ac humana militum libidini ceſsêre, in omnem ſexum ætatemque, omnis libidinis, ſævitiæ, calamitatis, ac cruciatus genere promiſcue ſævitum. Pontifex Clemens cum effugere potuiſſet, conſilij inopiâ, ut cum multis aliis circumveniretur, ac in arcem Angelinam concluderetur, cauſa fuit: ubi per integrum obſeſſus menſem, fruſtraque auxilium à confœderatis expectans, tandem cum Lanoio, Aurantio, Vaſtio, Moncada, & Alarcone his legibus. 6. Junij tranſigit. Pontifex in ſtipendium Cæſarianorum militum conſtitutis temporibus, quadringenta millia aureorum perſoluito: ac ſtatim decem millia præſentato: cum tredecim Cardinalibus in mole Adriani cuſtoditor: donec prima pecuniæ penſio ſit perſoluta: tum Neapolim, aut Caietam proficiſcitor, expectaturus Cæſaris decretum. Exinde Alarco cum tribus Germanorum, ac totidem Hiſpanorum ſignis arcem ingreſſus, Pontificem cum Cardinalibus arctè cuſtodit, cæteros omnes dimittit. Atque ſic quidem *ſpes priſci honoris, & reſtituendi imperij ſuſcitata eſt, ex capta urbe, quam Tyberis ſecat. Pontus Heuterus. Author.*

I NUM

NUMMI MEMORIALES

CLEMENTIS VII. PONT. MAX.


QUIBUS IN ARCE ANGELINA CONcluſus libertatem redimebat. Anno Chriſti 1527.



ERat namque totus quidem in conficiendâ pecuniâ liberandi ſui, ſuorumq; Cardinalium causâ, Clemens: verùm cùm lentius procederet ſolutio, graſſabātur interim Romæ octo millia Hiſpanorum: quatuor millia Italorum peditum: quos cum Lanoius ac Vaſtius educere conarentur, à ſeditioſis ad cædem quæſiti, ægrè effugêre, manſitque in urbe vivens ſuo arbitratu: inſolens, avarus, libidinoſus, impiusque miles, neglectâ abjectâq; omni diſciplinâ ac imperio, circiter octo menſes continuos: peſte inter eos inſigniter graſſante. Cæſar factum hoc diligenter excuſans nullo ſuo mandato accidiſſe dicebat: inprimis autem ad Angliæ Regem ea de re ſcribit: & quanquam iſtud certò credat juſto Dei judicio contigiſſe, qui vim ac injuriam ſibi factam ſit ultus, tamen operam ſe daturum ait, ut hæc ipſa clades initium ſit & occaſio ſalutis Reipublicæ. Cùm in Hiſpaniam eſſet allatus ejus rei nuncius, illicò ceſſare Cæſar juſſit ludos, atque ſpectacula, quæ propter recens natum filium Philippum edebantur. Quin & brevi reſtituitur ab eodem in libertatem Papa Clemens poſt ſeptimum captivitatis menſem: milites quoque Cæſariani, cùm ſe abundè prædâ, libidine, vino, auroque ſatiaſſent, inſuper ſinguli duos à Vaſtio aureos accepiſſent, Ducum ſe Imperiis ſubiicientes, Romam deſerunt. *Sleidanus.*

NUM-

NUMMUS HONORARIUS GRATITUDINIS TESTANDÆ GRATIA CUSUS A GENUENSIBUS ANDREÆ AURIÆ: Caroli V. Imperatoris Archithalaſſi: poſteaquam à Franciſco Galliarum Rege defeciſſet. Anno Chriſti 1528.



VT ſub finem Anni 1528. graviter Regem Galliæ Franciſcum primum liberorum ſtatus affecerat: quos in Hiſpaniam miſerat obſides, & infeliciter geſtum bellum per Italiam, amiſſo exercitu atque Imperatore Lautrecho: ſic non minus eum conturbabat Andreæ Auriæ Genuatis, rei maritimæ ſcientiâ clariſſimi Ducis, à ſe ad Cæſarem defectio. Cauſa defectionis fuiſſe traditur: quod, cum Andreas per Philippum Auriam præſtantiſſimos Cæſaris Duces Alphonſum Vaſtium Marchionem, & Aſcanium Columnam in navali pugnâ quadam cæpiſſet, captos verò petenti Regi ſiſtere nollet, Rex indignatus verbis minacibus animi ſui exacerbationem abunde oſtenderit: eòque Auriam adegerit, ut Vaſtio & Columnâ liberè dimiſſis, per Antonium Levam Cæſaris amicitiam aucuparetur. Receptus ad res agendas confeſtim animum convertit, ejectoque Barbeſio rei maritimæ præfecto, Genuâ & arce potitus, Gallos mox Savonâ expulit. Alij hanc defectionis cauſam adferunt: quod, cum vidiſſet patriæ libertatem in ſummo diſcrimine verſari, quotidieque contra illum nova & inſolita Gallos, in maximum urbis detrimentum, moliri, ſibique à Barbeſio inſidias ſtrui: permotum rebus hiſce patriæ libertatem vindicaſſe, regique ordinis ſui torquem aureum (quo antea ab illo donatus fuerat) remiſiſſe, ipſiusque inſignia, quæ in navibus erecta habuerat, deleviſſe: Cæſaris amicitiam ſibi magis, quam Galliæ regis profuturam autumans. In cujus rei & vindicatæ libertatis memoriam populus Genuenſis Coloſſum ex marmore præaltum, cum hac inſcriptione ipſi erexerat: ANDREÆ AURIÆ CIVI OPT. FELICISSOQUE VINDICI ATQUE AUTHORI PUBLICÆ LIBERTATIS, SENATUS POPULUSQUE GENAVENSIS POSUIT. Lubet hic addere Jani Vitalis de re eâdem verſus haud invenuſtos:

Quem ſpectas barbâ horrentem, ſævumq́; tridentem
Imperium pelagi magna ditione tenentem,
Aurius eſt: non ille modo Lybiæq́;, Aſiæq́;,
Pyratarum horror, & formidabile nomen:
Sed terræ decus Auſoniæ, & nova gloria Martis.
Hic patriam longo concuſſam turbine belli
Firmavit pace, & civiles ſuſtulit iras.
Iſtum grata ſuum Ligurum Reſpublica civem,
Et pietate gravem, & meritis ingentibus, inter
Delectos proceres, quos ille ab origine primâ
Excoluit, celebrem æterno ſacravit honore.

Nummi latus alterum hierographiam habet, quam Triremi, pro Imperatore Carolo V. ædificatæ, appingi voluit Auria. Calidum ei ad Deum votum, idque duplex: alterum *ut in itinere periculoſo ſydus illud ſibi præluceat, quod tres Magos Orientales Bethleemum uſq́; deduxit*: alterum *ut divinum ſibi adſit numen in hoſtibus ſuis configendis ſuperandisq́;. Id enim tela à ſtella circulata ſignificant. Sleidanus Author.*

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES
CUSI VIENNA AUSTRIÆ A SOLYMANNO TURCARUM IMP. OBSIDIONE cinctâ, ſolutâ. Anno Chriſti 1529.



LUDOVICO Ungariæ Rege triſti fato perempto, de eligendo ſucceſſore Proceres diſſentiunt: Ferdinandum aliis poſtulantibus: aliis Joannem Comitem Zebuſienſem Tranſylvanum. Comes Ferdinando impar ad Solymannum confugit, inque occupando Ungariæ Regno auxilium ejus efflagitat. Solymannus qui jam pridem Ungariam & huic vicinam Auſtriam ſpe animoque devoverat, manu utrâque occaſionem hanc arripiens, collecto exercitu maximo, incredibili omnium rerum, quas belli uſus exigit, apparatu, in Ungariam properat: dedentibus ſeſe parcit: reſiſtentes omni vi vaſtat & crudelitate; præſidium Budenſe, quod ſe fortiſſimè defenderat, contra fidem datam, trucidat: Viennam Auſtriæ pervenit 22. Septemb. Ferdinandus Rex Ungariæ, cum incendium iſtud non in ſuam modo perniciem, verum totius Imperij exarſurum animadverteret, de auxiliis Germaniæ Principes Spiræ Comitia celebrantes compellat: decretis

hiſce præficitur, Comes Palatinus Rheni Bavariæ Dux Fridericus: hic dum neceſſaria bello parat; Philippo è patre nepoti (cujus hic imago cernitur)



in defendenda Vienna partes ſuas committit: qui Spartam ſibi demandatam quovis tuêri, atque exornare modo conatur. Hoſte magis magisque appropinquante, ſuburbana, quia ampla & imminuta, præſidio Turcis eſſe poterant, diruta ſunt & incenſa: machinæ, & bellica inſtrumenta diſpoſita: naves quæ in anchoris perſtiterunt ſubmerſæ: foſſæ poſt muros ductæ: erecti aggeres: urbis cuſtodia per ſtationes diviſa, & valida undique elocata præſidia: portæ penè omnes præter eas, per quas egredi nonnunquam in hoſtes liceret, latere cocto obductæ: ſicque compoſitis rebus, non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum caſtrorum munitione hoſtem aggreſſi noſtri exigua manu, collatis ultra vallum & munitiones ſignis, pepulêre. Tentatum idem ſæpius & plærumque feliciter: ſæpè cæſis plurimis ſine ſanguine noſtro in Urbem reditum. Hoſtis cum aliquandiu vineis admotis, actisque cuniculis muri fundamenta ſubvertere, ſed fruſtra tentaſſet, quadrifariam tandem diviſum exercitum, ac ſenas ſibi ipſi ſuccedentem in horas, continuato die ac nocte prælio Urbem jubet oppugnare: foſſores interim in averſiſſima munitionum parte cuniculos numero plures agere: ut perpetuis laboribus exhauſti, obſeſſi loca deſerere cogerentur: armorumque ſtrepitu actos cuniculos non ſentirent. Nec fuit ſpes vana Tyranni, cum ſuffoſſus & crebra vi pulveris impetitus murus tribus ex oris amplâ patefactâ feneſtrâ corruerit. Hic ingenti ſublato clamore Turcæ patentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes oppugnare: noſtri, è diverſo, animo infracto inſultantium impetum ſuſtinere: hoſtes ipſos muro arcere: tandem repellere. Non ſemel ſed ſæpius hunc ad modum, ſed fruſtra tentatâ urbe: fractis militum animis: increbreſcente rumore, brevi cum copiis auxiliaribus Ferdinandum Regem & Fridericum Palatinum affore, de ſolvendâ obſidione tyrannus cogitat, incenſisque ſtatim primâ ſub vigiliâ caſtris, inſtitutam accelerat abitionem: quod tamen ne foret inultum, crudelitate ſumma coram ſe mactare jubet Chriſtianos omnes, quos ſors iniqua captivitate involuerat. Hybraim Baſſa, collectis levis armaturæ equitibus, compoſitisque ex arte & induſtria ſubſidiis: præcedentem à tergo tutabatur Tyrannum, qui correptis repentè ſignis, tantâ cum feſtinatione reliquum

Digitized by Google

quum in caſtris militem reducit, ut & urbes & oppida omnia; quæ improviſo metu perculſa Imperium acceperunt, nullo præſidio impoſito, intacta reliquerit: quintâque poſt abitionem die Budam, 32. milliaribus Germanicis Viennâ diſtantem, pervenerit: amiſſis ſuorum quamplurimis: quorum cadavera, unà cum ingenti Camelorum & beſtiarum numero ſtrata paſſim per itinera fuerunt reperta, vi frigoris hyemisque ſævitiâ, & famis diuturnæ tolerantiâ jamdudum emacerata. Præterea maximè per omne obſidionis tempus Principum Palatinorum Friderici & Philippi virtus eluxit: qui inter cæteros: quamvis multi egregij, inſignibusque facinoribus, & rebus geſtis præſtantes adfuerint bellatores, velut inter ignos Luna minores emicuêrunt. Nemo iis vigilantior: nemo laboris & periculi tolerantiòr: unde & Σωτῆρες ſervatores patriæ appellati. Duravit obſidio diebus triginta tribus, cœpta 13. Sept. ſoluta 16. Octob.

Melch. Soiterus JC. de bello Pannonico. Author.

NUMMUS TRIUMPHALIS FERDINANDI GONZAGÆ: SUMMI EXERCITUS CÆSARIANI PRÆFECTI: Cuſus occupatâ jam Florentiâ: Anno Chriſti 1530.





AMICIS tandem aliquando oculis, hoc anno, Italiam pax alma reſpexerat: variis ſopitis bellis ac controverſiis: quas hic recenſere longiùs foret. Soli ſuperant Florentini aſperrimo bello implicati, & à ſociis fœderatisque deſtituti. Veruntamen inſigni animorum altitudine, nec adverſæ fortunæ, nec minitanti hoſti uſpiam cedebant. Quin communitâ civitate, & meliore parte municipiorum, militem cogebant, ſibique immensâ pecuniarum vi providebant. Arauſinus Cæſarianorum præfectus ubi receptâ Peruſiâ continuò territorium Florentinorum invaſiſſet, unoq; curſu Spellam, Cortonam, & Anetium pactione cepiſſet, tandem etiam caſtra ad muros urbis ponit. In hoc Florentinum bellum: Ligures, Senenſes, Lucenſes, Pontifex, & Imp. auxilia itidem ſubmittebant. Nec verò obſeſſorum virtuti quidquam deceſſit, donec Piſtorio, Prato, atque Empoli, tribus ſimul amiſſis oppidis, legatum præterea Ferucium unà cum copiis, in Stellatinis profligatum atque interfectum cognoverunt. Miſſis igitur ad hunc Ferdinandum Gonzagam (qui ſtrenui ducis in obſidione officium fecerat, & in demortui Arauſini locum fuerat ſuffectus) legatis, decimo demum menſe poſt obſeſſam oppugnatamque Florentinam, non omninò iniquis conditionibus concordiam conſtituerunt. Bartholomæus Valorius legatus Pontificius urbem introgreſſus, ubi aliquot cives ſupplicio capitali affeciſſet, alios exilio multaſſet, univerſam rem Florentinorum ad Pontificis

Digitized by Google

Romani poteſtatem traduxit: Imperatore etiam poſtea volente, jubente: ut illa ipſa norma ac regula cùm magiſtratuum, tum civitatis eſſet, quæ univerſæ Dictatoribus Medicibus fuiſſet: interim principem in ea locum Alexander Medices Pontificis nepos, Imperatoris vero deſignatus gener (utpote cui naturalem filiam deſpondiſſet) obtineret: eâ lege & conditione, ut ab eo tanquam hæreditario jure liberi invicem ſuccederent, & ſi absque liberis deceſſiſſet Alexander, propinqui Medicûm familiæ nihilominus tantundem juris in Florentinos, atque ipſe habuiſſet, reliquo etiam tempore haberent. Symbolum viri hujus fortiſſimi elegans eſt. Conſpicitur in eo aurora, per nubes erumpens. Sic namque laboribus ac periculis patefactâ viâ glorioſa ſubſequuntur famæ illuſtramenta. Spargit flores eadem, quæ forſan Florentiam jam à ſe occupatam ſignificant. Vehitur aureâ ſede à Pegaſo alato: diligentiæ ea nota. Vigilantiæ ſignum Gallus ad rhedam adhibitus eſt. Vigilantiâ enim præcaventur pericula, quæ virtutis exercitia impediunt: ut diligentiâ eiusdem actiones in habitum tranſeunt. *Ludovicus Guicciardus. Author.*


Digitized by Google

NUMMI MISSILES
FERDINANDO AUSTRIACO,
CAROLI V. FRATRE, REGE ROMANORUM
conſecrato Aquisgrani: Anno Chriſti 1531.



VT de Rege Romanorum creando cogitaret Carolus V. Imp. cauſæ hæ potiſſimum fuerunt, propoſitæ in primo Principum Electorum congreſſu, Coloniæ celebrato: quia diverſis ipſe regnis, atque populis imperaret, neque poſſet continenter eſſe in Germania; quia turbulentus admodum eſſet & periculoſus orbis chriſtiani, præcipuè verò Germaniæ ſtatus, propter diſſidium religionis: propter vim atque potentiam Turcarum: propter nuper excitatam ſeditionem atque bellum ruſticanum: & quia multa per imperium inofficiosè fierent, ac minus obſequenter. Videri ſibi itaque prorſus neceſſarium, atque ex uſu Reipublicæ, ut ſecundum ſe creetur aliquis Romanorum Rex: velut alterum imperij caput, per ſuam abſentiam: qui ſit & ingenio præditus, & vigilans, & induſtrius, & potens, & amans pacis, atque concordiæ, & rerum imperij non imperitus, & omnino talis, cui fidere, & in quo ipſe totus poſſit acquieſcere. Qui ſit autem magis ad eam provinciam idoneus fratre ſuo, Ferdinando Bohemiæ Ungariæque Rege, nullum ſe noviſſe alium: hujus etiam fines atque regna jam eſſe veluti murum aliquem, pro ſalute totius Germaniæ, oppoſitum immanitati Turcicæ. Principes Electores à deliberatione Cæſarem orant, ne Germaniam deſerat, ſed in ea ſibi domicilium atque ſedem colloce t. Cùm autem Cæſar in ſententia perſiſteret, collatis conſiliis, quintâ Januarij die, Ferdinandum renunciant Romanorum regem. Saxo, quod unum poterat, creationem hanc eſſe vitioſam, explicatis cauſis, neque ſibi probari per filium disertè proteſtatur. Obtinuit nihilominus Imperator, quod voluit. Coloniâ profecti Principes ſunt Aquis granum: Ferdinandus ibidem inauguratus regno, 11. Januarij: nummi in vulgus ſparſi, qui rubricæ huic ſubiiciuntur. *Sleidanus Author.*

NUMMUS FERALIS CUSUS IN MEMORIAM HULDARICI ZWINGLII TIGURENSIUM CONCIONATORIS, occumbentis in prælio contra quinque pagicos geſto. Anno Chriſti 1531.



QUæ cauſæ primæ fuerint, ut Tigurini & Bernates contra Quinque pagicos arma caperent: omnemque iisdem commeatum intercluderent, hic recenſere foret longius: ad Hiſtoricos Lector benignus remittitur. Quinque pagani certè cùm maximâ rerum neceſſariarum inopiâ premerentur, ſilentio conductis copiis, ſigna proferunt, & opinione citius ad Tigurinorum fines perveniunt: quibus in finibus erat jam ante diſpoſitum à Tigurinis præſidium circiter mille militum & amplius. Et hi quidem ſuos monent, crebris in oppidum dimiſſis nuntiis, ut mox advolent: ſed tanta fuit hoſtium celeritas, ut hi ægrè ſubſidio venire poſſent. Et cum jam ſuperaſſent montem, quâ faciundum erat iter, laborare ſuos in proxima valle, & in præſenti periculo verſari conſpiciunt, ibi tum ad virtutem ſeſe cohortati promiſcuè decurrunt ex monte, cujus hæc erat natura, ut ſingularibus eundum eſſet. Ea res in cauſa fuit, cum univerſi non poſſent in acie conſiſtere, ut multitudine ſuperati plurimos è ſuis deſiderarent, ac terga verterent. Fuit hoc 11. die Octobris. In cæſorum numero fuit Zuinglius. Nam Tigurinorum ita fert conſuetudo, cum in hoſtem exitur, ut Eccleſiæ miniſter primarius unà prodeat. Zuinglius etiam vir fortis & animoſus, cum ſecum reputaret, quod ſi domi reſideret ac prælium fortè fieret adverſum, fore ut magnam ipſe ſuſtineret invidiam, quaſi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipſo autem diſcrimine remolleſceret, voluit omninò communem ſubire Martem. In corpus autem exanime valde ſævitum fuit, & vix etiam illius morte potuit odij acerbitas exaturari.

Sleidanus.

NUM-

NUMMUS TRIUMPHALIS GUSTAVI SUETIÆ REGIS: CUSUS SUPERATO CHRISTIERNO DANIÆ Rege, inque vincula conjecto. Anno Chriſti 1532.



EST ita: ſunt ſortes noſtræ in manu Domini: extollit hunc: illum deprimit: *in bellis inprimis exerit fortitudinem brachij ſui: quippe putant in robore exercitus bella conſiſtere: hos ſuperari facit ab hoſtibus: Dei eſt & adjuvare, & in fugam convertere;* Dei, dare, cui vult: cui vult adimere. Meritò poſtremum hocce, ſymboli uſurpavit loco Guſtavus Suetiæ Rex: variâ dum viveret, fortunâ jactatus: de hoſtibus tandem ſuis triumphans. Acrior inter hos Chriſtiernus erat, Daniæ Rex, qui cum, ob intentatam tyrannidem ante annos novem concitatam metuens multitudinem, ſolum vertiſſet: ſeque opibus Imperatoris Caroli V. cujus Germanam ſororem Iſabellam uxorem habebat, ſuſtentaſſet, vix tandem inſtructâ claſſe Liburnicarum navium, ad regnum (jam modo diſpertitum) armis repetendum, ſeriò animum adjecit. Nam ab hujus regis fugâ Fridericus Holſatiæ Dux, Chriſtierni avus in Daniæ regem fuit adoptatus: Suetiam autẽ Guſtavus Erici Trolle filius (quem Chriſtiernus inter cæteros ſecuri ſubjecerat) ejectis Danorum præſidiis, ope Lubecenſium vindicavit. Chriſtiernus igitur, vel obridente fortunâ, vel potius culpam pœnâ premente comite, Oceano Germanico navigans, poſtquam, non perferente tantum ſcelus pelago, pars navium naufragium feciſſet, & in maximâ reliquiarum jacturâ, militum robur amiſiſſet: in mediis aquis relictus, nullo labore ab hoſte domeſtico profligatur, ſuperatur, capitur. Eâdem ferè horâ, quâ ipſe à Chriſtierno captus, inque Daniam abductus fuerat. *Ludo: Guicciardinus. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS TYMEUS

EFFIGIEM REFERENS SEBASTIANI SCHERTLINI A BURTENBACH,

Equitis aurati; Cuſus Anno Chriſti 1532.



DE Heroica, Sebaſtiani Schertlini; fortiſſimi bellatoris virtute afferri in medium hoc loco multa poſſent. Emicuit illa ſyderis lucidiſſimi inſtar in Geldrica, Cæſaris, Picardica, Valentinenſi expeditionibus: pugnâ ad Noveriam atque Ticinum: motu Ruſticorum: Mediolani obſidione: expugnatione Romæ ac Narniæ; alibi. Inprimis verò eo tempore, quo Solymannus Turcarum Imper. ingentibus viribus Viennam appropinquaret, re tamen minus ex ſententiâ ſuccedente, fugam turpiter arriperet, relictis poſt ſe viginti millibus levis armaturæ equitibus, qui prædam ex chriſtianis agerent, ferro & igni finitima quæque vaſtarent. Schertlinus à Bavariæ Principibus, Republica Auguſtana, & aliis confœderatis Sueviæ & imperij civitatibus conductus, cum aliquot equitum & pedeſtrium turmis in Ungariam contendit. Ubi à Friderico Palatino Rheni Electore, Imperialis Exercitus ſummo Duce, omnium pedeſtrium copiarum Tribunus cum ſumma poteſtate conſtituitur. Quo officio ita viriliter audacterque functus eſt, ut Turcarum exercitum in Sylva quadam depræhenſum parvâ ſuorum manu proſtraverit. Unde factum, ut à Rege Ferdinando, cum prædicto Friderico Palatino Viennam accerſitus, præſentibus aliis Principibus & Proceribus, cum eodem Palatino ſecundâ vice Eques auratus creatus, & regiâ remuneratione cumulatus fuerit.

Schrenckius à Nozingen.

Digitized by Google

NUMMUS MEMORIÆ DICATUS
CLEMENTIS VII. PONT. CUSUS
DESPONSATA NEPTE CATHARINA HENRICO Franciſci filio in congreſſu Maſſilienſi. Anno Chriſti 1533.



IURE meritoque apud familiares ſuos deprædicabat Clemens VII. Pontifex familiæ ſuæ ſupremum quaſi felicitatis cumulum beneficio divino acceſſiſſe: cum Alexandrum domitâ Florentia, deſponſataque ei Cæſaris filia, Ducem conſpiceret: neptem Catharinam Franciſci regis filio junctam videret: ac Hyppolitum Medicæum cognatum, defuncti Pompeij Columnæ Cardinalis locum tenentem, ſacerdotiiſque opulentum, alterum familiæ lumen columenque cerneret. Eò certè gratior atque exoptatior cum Gallo ipſi erat affinitas, quò minus perſuadere ſibi poterat, Regem Franciſcum pro filio Henrico, eas ex animo expetere nuptias, quod genere, loco, gradu ac ſorte, plane impares eſſent, ut neque crediderat, ſerio rem agi prius, quam in complexus illi veniſſent. Cæterum cum ob generis decus inſigniter auctum multorum premeretur invidiâ, quis ſibi ſit animus, eleganti ſymbolo notare voluit. Ut enim ſaxo quadrato incumbens pila (una ſcilicet, è ſex gentiliciis) extremum ſolis æſtum, verèque ſyrium perfert illæſa: arbor vetuſta torridaque eodem accenditur: ſic vir integer ſceleriſque purus ab invidis malevolorum oculis linguiſque mordacibus incommodi nihil capit: uſurpat tritum illud: *Infelix cui nemo invidet. Sleidanus. Pontus Heuterus. Author.*

NUM-

NUMMUS TYPICUS IMAGINEM REFERENS JOHANNIS RANTZOVII, EQUITIS AURATI, ET DOMINI IN Bredenberg, &c. Friderici Primi, & Chriſtiani Tertij Regum Daniæ, ſummi Exercitus Præfecti: cuſus circiter Annum Chriſti 1534.



JOHANNES hic Rantzovius, ex illuſtri nobilique Rantzoviorum in Holſatia, familia prodiens, tredecim annorum adoleſcentulus cum eſſet, poſt mortem patris, invitâ matre & amicis, clam inſtructo domi equo, proxima caſtra ſecutus eſt. Vir factus duriſſimis belli laboribus ſe totum dicavit: ſuſceptaque nobili peregrinatione totum penè terrarum orbem circumvagatus, Hieroſolymis Equeſtrem dignitatem ſuſcepit, quam ſuccedente tempore, factis egregijs condecoravit. Ex his ſingularia & ad memoriam digna illa: quod cum Chriſtiernus Secundus Daniæ Rex immaniſſimâ crudelitate in Proceres Danicos, Gothos & Suecos ſæviret, hique in tyrannum conſpirantes ad Fridericum patruum Chriſtierni, regnum deferrent: Rantzovius Friderico ſuaſor & author, ut oblatam provinciam ſuſciperet, extitit: ſub ipſius auſpicijs, exercitum in Daniam traduxit: nonnullisque locis ibi prius expugnatis Haffniam regalem urbem, plus anno integro obſidione preſſit: domitam fame in Principis ſui gratiam ſuſcepit. Quod peractis his, cum cohortibus ſuis in Selandiam navigavit, commiſsâ ancipiti pugna, Severinum de Norbu virum ſtrenuum, rei militaris peritum, & quindecim millia agreſtium ſecum habentem, ſuperavit: quin eodem etiam die Ottonem Stigenſem hoſtibus, cum non contemnenda manu ex plebe collecta ſubſidio venientem devicit. Quod cum Chriſtiano Rege Lubecenſes, res novas molientes, non procul ab oppido Oittino deſideratis multis auffugere: Segebergenſem obſidionem relinquere, ac de

ſua

ſua civitate defendenda ſollicitos eſſe coegit: Eosdem paulo poſt ſex menſibus arctiſſimè obſedit, tantumque effecit, ut pacis conditiones ſuſceperint. Quod in Iutlandiam contra ſeditioſam agreſtium multitudinem profectus, oppidum Alborch, in quo ruſtica plebs duce Clemente Navilero congregata erat, feliciter expugnavit: captivum vivum Clementem quaſi Regem plumbeâ coronâ decoravit, & capite plecti curavit. Quod in Fioniam traijciens plebem majore numero congregatam, cum parvâ manu adortus in fugam conjecit, ac paulo poſt non procul ab Aſſenſi oppido exercitum Comitis de Oldenburg, juſta acie ac prælio ſuperavit. Quod in Selandiam profectus, plerisque locis vi ſubactis, Hafniam iterum, ut ante decennium obſedit, Ducem & Comitem ſuperiores, conſumptis in civitate alimentis ac deſperatis auxiliis, quæ à Carolo V. Cæſare expectabantur: culpam agnoſcere, delicti veniam petere, & ſe Chriſtiano Tertio ſubiicere compulit. Mittimus alia, *quæ cum tractatu difficilia eſſent, bono ordine ſingulariq; agendi dexteritate: cum dura atque inſigni laborum tolerantiâ exantlavit.* Hoc enim *horologium, ejus in nummo innuere videtur: hoc palmam dextrâ tenens, patientia. Jacobus Schrenck à Nozingen. Author.*

L NUM

NUMMI CASTRENSES

JOHANNIS LEIDANI ANABAptiſtarum Regis: Cuſi durante obſidione Monaſterienſi. Anno Chriſti 1534. & 1535.



CUM Monaſterij, celebri Weſtphaliæ urbe, magni tumultus inter Pontificios, & reformatæ religionis cives exorti, Landtgravij potiſſimum operâ ſedati fuiſſent; ſupervenit ſarcinator quiſpiam Holandus Johannes Leidenſis Anabaptiſta vehemens; qui Hermannum Strapedam, Rottmannum, Knipperdolingum, complures alios ſocios ſibi legit. Hi ſtabilitis non parum viribus Anabaptiſtas ante urbe pulſos revocant: facto ad forum concurſu clamorem tollunt: & omnes non baptizatos jubent interfici, tanquam paganos & impios: tormenta publica, & curiam

Digitized by Google

tiam invadunt: multis vim faciunt. Rottmannus, & Bernardus Knipperdolingus occultè miſſi, literis in oppida vicina ſui generis homines monebant, uti fortunis omnibus relictis, ad ſe quamprimum advolarent; fore, ut, quicquid reliquiſſent cum uſura decupli recipiant. His promiſſis excitati maximo numero commigrant, viri pariter ac mulieres, præſertim tenuiores, & qui domi ſtare non poterant: Monaſterium petunt. Oppidani verò qui erant re lauta, cum urbem externis hominibus impleri viderent, ſe ſubducunt; Anabaptiſtis & promiſcuâ plebe relictis. Ad hunc modum debilitatis alterius partis viribus novum ſuæ factionis deligunt ſenatum: creant quoque conſules, & in his Knipperdolingum: ædes Divi Mauritij invadũt, incendunt templa alia, alia diripunt: mox omnes, qui non eſſent ipſorum ſectæ, urbe propellunt, bonis eorundem occupatis. Quin & Johannis Leidenſis inſtituto polygamia permittitur: frequens matrimonij repetitio in laude ponitur: Knipperdolingo gladius traditur: quod ſic viſum eſſet Deo, ut, qui ſummum antea magiſtratum geſſerit, & conſul fuerit, nũc infimum locum obtineat, & ſit carnifex. Ad octavum cal. Julias oritur Propheta novus aurifaber is, convocatâ in forum multitudine, commemorat patris cœleſtis mandatum hoc eſſe, ut imperium totius orbis terrarum Joannes Leidenſis obtineat: ut cum validiſſimis copiis egreſſus, reges atque Principes omnes promiſcuè interficiat: multitudini ſolum parcat. Sic ergo rex factus Leidenſis pro conſuetudine ſibi Proceres deligit: coronas etiam duas, & vaginam, & torquem, & ſceptrum, & alia id genus ornamenta ſibi parari jubet ex auro lectiſſimo: deinde certos conſtituit dies, quibus palam audiret omnes, qui, quaque de re vellent, ad ipſum aliquid deferre. Quoties in publicum prodiret, comitatus erat officiariis, & proceribus domeſticis: proximè eum ſequebantur adoleſcentuli bini equites, dexter coronam & Biblia geſtabat, alter evaginatum enſem. Eadem erat pompa primariæ uxoris, nam plures habebat eodem tempore. Hanc tantam perfidiſſimorum hominum audaciam Epiſcopus urbis compreſſurus, civitatem obſidione cingit: ſubnixusque auxiliis ab imperio ſibi decretis: urbem tandem fame extremâ laborantem capit, ipſo Divi Johannis ſacro, nocte mediâ. Oppidani licet initio reſiſterent, & occupato foro ſeſe communirent, re tamen deſperatâ, multisque cæſis, impetu primo miſericordiam implorant, & impetrant. Rex autem & Knipperdolingus in hoc ipſo tempore capiuntur: Rottmannus abjectâ ſpe ſalutis, cum in confertam hoſtium turmam incurriſſet, confoditur. Telgetum adducti cum eſſent, Rex ab Epiſcopo rogatus, quâ fretus authoritate tantam ſibi licentiam arrogaſſet in ſuam civitatem atque populum? rogat invicem, quis ipſi jus & imperium in eam civitatem dediſſet? cumque reſponderet Epiſcopus, de collegij populique voluntate, ſibi ditionem hanc obveniſſe: refert, & ſe divinitus eò vocatũ. Decimo tertio deinde Calendas Februarij Monaſteriũ deducuntur: cuſtodia attribuitur ſingulis ſeparatim: eodem etiam die venit illuc Epiſcopus, & cum eo Archiepiſcopi, & Principis Cliuenſis legati. Quod ſecutum eſt biduum, piis admonitionibus datum eſt, ut ab errore deducerentur: ac Rex quidem agnovit peccatũ, ac precibus ad Chriſtum confugit: reliqui duo nec ullum fatebantur delictum, & obſtinatè ſua defendebant. Poſtridie Rex in locum editiorem productus, alligatur palo: aderant bini carnifices, ac forcipes igniti: ad tres primos morſus conticuit. Cum horam & amplius ad hunc modum laceratus eſſet, transacto demum per pectus mucrone deceſſit: idem ſupplicium & ſocios ejus perculit. Extincti caveis ferreis illigantur ſinguli, & ad ſummam turrim urbis exponuntur penſiles, Rex quidem medius, & quanta eſt hominis ſtatura, ſublimius illis. *Sleidanus.*

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES

EXPEDITIONEM CAROLI V.

Africanam concernentes: ſuſceptam Anno Chriſti 1535.









INTER eos, *qui* (Senecæ verbis ut utar) *ultrò ceſſantibus malis ſe obtulerunt: & virtuti itura in obſcurum, occaſionem, per quam eniteſceret, quæſiverunt:* Carolum V. Imperat. numera. Certior is factus Hariadenum Barbaroſſam Argerij in Numidia Regem, Solymannicæ claſſis Præfectum, ejecto rege Muleaſſe, occupaſſe regnum ac urbem Tunetum, expeditionem ſibi ſuſcipiendam, reſtituendumque Muleaſſem decernit: causâ hac inſuper motus, quod neque Siciliæ, neque Italiæ, neque Hiſpaniæ littora ab Afrorum Turcarumque invaſionibus tuta fore judicaret. Perſcribit Andreæ Auriæ, quàm maximum paret navium numerum: condit teſtamentum: uxoreque gravidâ relictâ, Hiſpaniæque curâ commiſſa, poſtridie Calend. Martij Madritio Barcilonam proficiſcitur. Calendis Maij Aurea cum viginti duabus triremibus optimè armatis, ac unâ inſigni quadriremi, quæ Cæſarem erat vectura, Barcilonam venit. Convenerant & Belgarum onerariæ militem & commeatum vehentes, tum Luſitaniæ regis Caravellæ, cum ingenti Galeone, quæ veteranum adducebant peditem: præeratque Luſitaniæ claſſi Johannes Regis Emanuelis filius. Cæſar trigeſimo Maij, audito

ſacro

ſacro, decimâ ante meridiem horâ quadriremem conſcendit, ac cum eo Joannes Luſitanus, Imperatricis frater, exoneratisque omnibus tormentis, ſublatis anchoris dant vela. Quaſtius, ſeu ut alij, Vaſtius ac Fürſtenbergius, Hiſpanum, Italum, ac Germanum peditem triremibus imponentes jam antea in Siciliam pervenerant: univerſa claſſis ſeptingentarum navium numerum excedebat. Appellunt in Africa Cæſariani 14. Junij, poſteroque die hoſtium ignes in promontoriorum ſpeculis conſpiciunt. Occupant triremes portum Farinæ, quatuor milliaribus Guletâ diſtantem, ubi Cæſar jactis anchoris, onerarias expectat: propius Guletam movet, ac Barbaroſſam, operitur. Decimo ſexto Junij, pedites, equites, ac tormenta in terram exponit, expugnatisque aliquot munitionibus Guletæ appropinquat. Tum turrim aquariam, mox Salinariam, ubi Cæſar tabernaculum figi jubet, milites Cæſariani occupant: Vaſtius pro more productis tormentis à 18. Junij die, ad 23. usque continuò Guletanas munitiones rumpit; Guletani levibus quotidiè præliis, æquatâ claſſe, cum Cæſarianis certabant. Periit enim è Cæſarianis Comes Sarmenſis, è Turcis præfectus Giaffero. Quarto Julij omnibus fere copiis Guletani erumpentes, pabulatores Cæſarianorum invadunt, ſed repelluntur. Diſpoſitis terra marique omnibus tormentis 14. Julij ipſa aurora contra Guletam exonerari incipiunt: duravitque vis usq; ad horam ſecundam pomeridianam. Tum omni exercitu, qui triginta millium erat virorum ad pugnam parato, cum, Cæſar acies circum equitans militem ad fortiter agendum inflammaſſet, ſignum invaſionis datur. Cumque aliquandiu acriter eſſet pugnatum, tandem Cæſariani vi irrumpunt, obviosque omnes ſternunt. Cecidere multi, nec tamen inulti; captæ 150. Barbaroſſæ naves in ſinum Guletanum ſubductæ, tormenta quadraginta diverſi generis, inter quæ Francia fuere complura liliis inſignita; aut Salamandram cum his verbis habentes: Nutriſco & extinguo.









Guletâ captâ relictis ibidem ſexcentis militibus, mortuisque magnis foſſis coopertis, Cæſar 20. Julij Tunetum verſus movet, Andreâ Aureâ ad

claſſem, ut tormenta reduceret, relicto, ſex tantum muralibus, ac totidem campeſtribus, militum corporibus attractis, Cæſarem ſequentibus. Equos enim nullos præter militares habebat. Milites quinque dierum cibaria adferre juſſi: cætera erat Auria ſubminiſtraturus. Cæſar undique armis tectus Hiſpanico inſidebat militari equo, ferreum manu gerens clavum perequitansque peditum ordines, verbis vultusque alacritate omnes animabat. Pedites Germani cum tormentis ac impedimentis in medio ibant, à lateribus Hiſpani, Italique ſclopetarij, præcedente equitatu. Haud procul Tuneto in olivetis ſedebat Barbaroſſa, centum millia inermium Afrorum habens, ſed decem millibus Turcarum peditum, quos Conſtantinopoli advexerat, fidens. Appropinquante Cæſare, (neceſſario enim hac illi iter erat) tormentis ultro citroque exoneratis, pugna variis locis initur, magno Afrorũ cum ululatu, & incondito Chriſtianorum clamore. Afri cum factâ impreſſione nil proficerent, cedebant, iterumque revertebantur: ſed magno detrimento à ſclopetariis accepto, haſtatorum Germanorum phalangem horrebant, vitabantque: cumque ab hâc illato pede urgerentur, inde nimbo pilarum obruerentur, in fugam abeuntes Turcis pugnam relinquunt, qui fortiſſimè pugnantes, tandem numero obruti, ruptis ordinibus pro majori parte cæduntur. Barbaroſſa deſertis tormentis ac impedimentis Tunetum re deſperata, ſe recipit, majorem accepturus cladem, ſi Cæſariani ſiti propè enecti inſequi potuiſſent. Quæ cauſa fuit, ut eodem loco Cæſar caſtra facere cogeretur. Tanta enim iis locis torrente Sirio, aquæ fuit penuria, ut pro dulcis aquæ hauſtu tres aureos ſolverent, totidem pro pomo punico. Nox neceſſitati, repertis puteis, auxilium tulit. Summo manè qui fuit 21. Julij Cæſar caſtra movet, ac fit certior, Barbaroſſam cum equorum & tormentorum parte deſerto Tuneto in proximum montem caſtra poſuiſſe, poſtero die reliquá ablaturum ac arcem incenſam pulvere tormentario, cum captivis Chriſtianis, & quicquid auferre non poſſet abſumpturum; ſed ſervos de Cæſaris adventu prælijque eventu certiores factos, ruptis cathenis, ſe liberaſſe: Barbaroſſam occupata arce excluſiſſe, eumque cum cæteris piratis Gerbam uſque profugiſſe. Quare nemine reſiſtente Tunetum Cæſar intrat, ſervosque Chriſtianos omnes, qui 20000. numerum ſuperabant, liberos pronunciat. Reperta ſunt in arce Tunetana tormenta omnis generis complura, tentoria eximij operis: Rex Muleaſſes civibus iratus, conſentiente Cæſare, urbem militi dat diripiendam: 22. Julij: Cæſar Præconis voce urbis direptioni ac civium miſeriæ finem impoſuit. Poſtero die Muleaſſem in regnum reſtituit: tributum ei annuum duorum Falconum ac pernicium equorum imponit, utque deſertâ Solymanni amicitiâ ſuam colat; præſidiariiſque Guletanis ſtipendia perſolvi curet. Deinde exercitu urbe educto, ad vicum Rada caſtra locat. Volebat Cæſar & Algerio Barbaroſſam pellere, ſed impeditus alui fluxu, quo miles promiſcue laborabat, in Siciliam cum claſſe contendit: Guletæ præficiens Bernardinum Mendorum cum præſidio mille Hiſpanorum peditum, juſtoque tormentorum numero ac commeatu: additis decem, duce Antonio Aureâ, triremibus.

Pontus Heuterus Delphius.

NUM-

NUMMUS CASTRENSIS

CAROLI V. IMPERATORIS, CUSUS ſuſceptâ expeditione contrà Franciſcum I. Galliarum Regem: Mediolani Ducatum, mortuo Sfortiâ, affectantem. Anno Chriſti 1536.



FRanciſcus Galliæ Rex; quod mortuo Franciſco Sfortiâ miſſis ad Cæſarem legatis, petitâque Ducatus Mediolanenſis (quem litera M. in numo ſignificat) reſtitutione; pro voto reſponſum non obtinuiſſet, odio ac invidiâ indies creſcentis potentiæ Cæſaris concitatus, copias undique ingentes ruptâ pace cogit, eisque Philippum Chabotium, Franciæ Ammiralem præficit: jubens, Avunculum Carolum Sabaudiæ Ducem ditione pellat: prætextu quæſito, ſe maternæ hæreditatis portionem, cùm æquis conditionibus non poſſet, vi armiſque obtenturum. Sabaudius jam antea debilitatus, & impar hoſti tam valido, brevi tempore totis ferè finibus ejectus fuit. Rex enim ſuperatis Alpibus Pedemontanam quoque regionem invadit, & inter alia præcipuum ejus loci oppidum Taurinum captum, opere præſidioque munit. Perhibuerunt non nulli Clementem Pontificem, quo tempore Maſſiliæ fuit, regi conſilium hoc dediſſe, ut, ſi Mediolanum aliquando recuperare vellet, vicinam Sabaudiam atque Taurinos occuparet. Cæſar ubi primum de conatu Regis intellexit, ilicò per Germaniam, aliiſque in locis, quantum omninò poteſt, conſcribit exercitum: in Italiam evocat: cum Venetis fœdus facit, qui iiſdem legibus ſe Cæſarem defenſuros, quibus defuncto Sfortiæ, operam promiſerant, polliciti ſunt. Hoc fœdere confirmatus, operâ fratris Ferdinandi peditum equitumque delectus in Germania fieri jubet, impetratq; ab Helvetiis, neutram partem quieti foverent. Scripſit & ſorori Mariæ Belgarum Gubernatrici, pedeſtres equeſtresque copias conſcribi, opportunoque tempore ab ea parte rem geri curet. Ineunte verè Cæſar Neapoli Romam venit: Româ Senas: inde Florentiam contendit: Florentiâ Lucam: indeque transgreſſo

greſſo Apennino Aſtam veniens ab Antonio Læva Foſſanum expugnatum diſcit. Rebus igitur omnibus paratis, ſubſequente per Liguriæ littora cum inſtructiſſima claſſe ab Italicis cohortibus Andreâ Auriâ, Cæſar per maritimas Alpes, ac Tendanos colles Lugdunenſis Provinciæ fines juſto cum exercitu intrat. Auria Auripolim ac Gratiam capit diripitque. Cæſar ad Forum Livij perveniens, reperit Germanorum peditum viginti millia, Ducibus Tamiſio, ac Georgio Fronſpergio, Hiſpanorum octo millia, Duce Ferdinando Centivillio Santſeverino, Principe Salernitano. Haſtatos equites Belgas ac Burgundos Maximilianus Egmondius Buræ comes adduxerat: Hiſpanos ac Italos Ferdinandus Toletanus Álbæ Dux: Veterano levi equitatui præerat Ferdinandus Gonzaga. Gallus Cæſaris celeritate præventus, neque hac parte eum irrupturum expectans, juxta Lugdunum legionarios pedites, equitesque in unum coegerat, Avennionemque verſus progrediens, alium in Picardia exercitum conſcribit. MANUS DOMINI, *uti compluribus aliis in periculis atq; ærumnis, protexit Cæſarem: ita eum hisce quoq; hoſtis ſui, nunquam non acris atq; acerbi conatibus eripuit.*

Pontus Heuterus Delphius. Sleidanus.

Author.

NUMMUS TRIUMPHALIS

GUIDI RANGONII COMITIS:

tentatâ Genuâ: capto Çariniano: expugnatâ Carmaniolâ. Anno Chriſti 1536.



CUM, Imperatore Carolo, in bracata Gallia bellum gerente, Naſſovius Guiſam cepiſſet in Picardia: Joannes Jacobus Medices, Gallicas excurſiones acriter propulſaret, caſtraq; Taurinum uſque promoveret: ibi tum Guido Rangonius Comes, pro re natâ Gallicarum partium in Italia ſtudioſus, hortatore & expeditionis comite Cæſare Fregoſo, ex improviſo Genuam feſtinans, nullo tormentorum præludio, ſcalis admotis ſubitò oppugnavit: ſed is ſingulari fortitudine Genuenſium (maximè vero virtute Auguſtini Spinulæ, & Baptiſtæ Corſi, cui cognomentum erat Farinæ (hi enimvero qua ex parte Rangonij milites irruptionem intentabant, confirmatis ſuis, hoſtem acriter propulſabant) poſt ancipitem dimicationem tandem eſt repulſus. Salus profecto Ligurum, præſentiâ ducum, tunc præcisè ſtetit: quorum quidem fuit victoria, at non incruenta. Extitit enim ferè par oppugnatorum, & propugnatorum clades: in quibus tamen Farina eſt conciſus: Quod Fregoſi conſilium ubi malè vertit Rangonio, à Liguribus ad Thaurinas Gallorum ſtationes ſe ſubduxit. Cæſariani autem his cognitis Thurino ſtatim diſcedunt: ob id Rangonius apparentis victoriæ veſtigiis inſiſtens Carinianum copias admovet. Quod etſi magno impetu invadit reſiſtentibus fortiter oppidanis primò repulſam patitur: ſed dum is novam adornat irruptionem, ij qui intra oppidum erant, & propter prioris inſultus cladem, & propter ſauciatos quam plurimos militum propugnatorum, incolumitatem pacti Rangonio ſe tradiderunt. Capto igitur deditione Cariniano, Carmaniolam ex Saluſſana jurisdictione, cum multis aliis oppidis, vi expugnat. De ſymbolo cogitationes hæ meæ: *ſignari virum fortem tauri imagine, viribus lacertiſq; ſuis obvia quæq; proſternentis: mancos interim atq; fruſtraneos ejus eſſe conatus: niſi Deus ſuper eum alas ſuas extendat: niſi victoriam ipſe (palma hujus hieroglyphicum) per angelos ſuos largiatur. Ludovic. Guicciardinus.*

Author.

Digitized by Google

CAROLI V. IMP. DURANTE EXpeditione, contra Franciſcum Galliarum Regem, ſubinde res novas in Galliâ & Italiâ molientem, ſuſceptâ. Anno Chriſti 1537.





NOvæ hujus condendæ monetæ cauſam præbuiſſe videtur res proſperè feliciterque per Cæſaris Duces, in Atrebatibus & agro Pedemontario, geſtæ. Dum enim in Hiſpania anno penè toto ſubſiſteret Cæſar, exercitus eius Belgicus Floro-Burenſi ductore, Sampaulum oppidum & arcem in Atrebatibus, Junio menſe, vi capit: præſidiariis omnibus necatis. Inde profectus in Morinos, Terovennam oppidum obſidet; fruſtra tamen. Ibi demum induciæ factæ ſunt decem menſium, in ea ſolum regione. Nam in Gallia ſubalpina ſeu Pedemontio, vigebat bellum nihilo ſecius: & Cherium oppidum vi receptum fuit à Cæſarianis ingenti edita ſtrage militum atque civium. Ulterius etiam progreſſi, cum Taurinum commeatu intercluderent, Galliæ Rex, autumni tempore, conſcriptis copiis filium natu majorem Henricum & Annam Momorantium eò mittit, qui ferro patefactâ viâ præſentem inediam ſublevarunt. *Sleidanus.*

NUM-

NUMMI MEMORIÆ DICATI

PAULI III. PONTIFICIS AUXIlia ferentis Venetis: cum Solymannus Corcyram Inſulam conatu fruſtraneo adoriretur: Cuſus Anno Chriſti 1537.



CUM Andreas Doria, cum ſuâ & Pontificis claſſe, multos abhinc annos Neptunium quoddam regnum in mari cum ſupero & infero exercuiſſet, inque maritima Imperatoris provinciâ, cum ſumma ſui nominis gloria verſatus, Turcis, Barbariſque piratis multam cladem intuliſſet: Coronen civitatem inter alia, ad Peloponenſum expugnaſſet: noviſſimè vero hoc ipſo anno, inſigni prælio navali 12. naves longas, & cum his aphracta, aliaque navigiola quædam ex Turcis cepiſſet, iniquiſſimè id ferens Tyrannus Aſiaticus, atque ob id inflammatus iracundiâ (quod informatum ejus animo erat, Venetos in eo multis nominibus ſibi incommodaſſe) bellum ipſis apertè indixit: & Sextili Ahenobarbo claſſis inſtructiſſimæ Præfecto mari præmiſſo: ipſe itinere terreſtri, cum exercitu validiſſimo Corcyram Venetæ jurisdictionis inſularum Adriaticarum unam oppugnatum contendit. Sed & parati Veneti & egregiè cùm auxiliis aliis, tùm Pontificis inprimis inſtructi, non modo per ſe fortiter ſua tuebantur: ſed ipſis etiam, pro re natâ Imperatoria claſſis patrocinabatur. Ita ut poſt inſultus Corcy-

reorum varios, poſt tentatam iterum atque iterum expugnationem, ubi intellexit Turca, Pontificem, Imperatoremque inſuper cum Venetis in ſuum caput conſpiraſſe, non minori ferè accepto detrimento, quam dedecore, ſecuto Septembri, Conſtantinopolim repedavit. Pontifex, cùm ſuis potiſſimum laudibus aſcriberet, hoſtem terga dediſſe, in ſymbolorum ſuorum altero, *rei benè gerendæ occaſionem haud negligendam: utendum prudentia adverſus potentiorem eſſe monet: ſicuti Delphinus cum Crocodilo pugnans, dorſum ei ſubmittit, pinnis aculeatis, ventrem ejus mollem tenuemq; fodicans: in altero verò præſtitis ſupra dictis Eccleſiæ auxiliis à Regibus & Magnatibus ſibi ſervilia fieri, gloriatur. Ludov. Guicciard. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

FERDINANDI GONZAGÆ PRO-Regis Siciliæ, Cæſarianorum militum Præfecti: Cuſus poſt expeditionem in Albaniam ſuſceptam & Caſtrum novum expugnatum. Anno Chriſti 1538.



HOc namque Anno Cæſar, Pontifex, ac Veneti, diviſa inter ſe Græcia, contra Solymannum, Italiæ minitantem, bellũ decernunt: promittente Cæſare octoginta duas triremes: totidem Venetis: Pontifice, triginta ſex, quibus Cæſar atque Genuenſes onerarias convehendo commeatui, pedeſtribusque cōpiis, addebant, Ferdinando Gonzaga, Siciliæ Prorege iis præfecto: univerſæ vero confœderatorum claſſi Andreas Auria Cæſaris nomine erat imperaturus: Pontificiæ Marcus Grimannus, ac Paulus Juſtinianus: Venetæ, Vincentius Capella. Sed tantæ in unum contractæ vires, quanquam contrà prodiiſſet Solymanni Præfectus Hariadenus Barbaroſſa, nil dignum memoriâ geſſere, Auriâ pugnam vafro artificio detrectante, ac paulo poſt Turcarum claſſe ingenti tempeſtate fœdè diſſiectâ. Gonzaga cum nil laude dignum geſtum eſſe, inſuper etiam ſua conſilia non ab Auria ſolum, verùm etiam à Venetis (teſte Jovio) contemni videret: indignitate rei commotus, aſſumptis ſecum duodecim Veteranorum Hiſpanorum militum millibus, Albaniæ littora infeſtans, maximâ celeritate caſtrum novum ad Ægeum mare adortus terrâ marique obſidet: & virtute militum duobus Præfectis Buccanigrâ & Cæſare Joſiâ Firmano amiſſis, ſubito expugnat. Triduo poſt etiam Caſtello Novo, arce loci natura munitiſſimâ, deditione per præſidiarios factâ, potitur. *Aquila volucrum omnium generoſiſſima is ipſe Gonzaga eſt. Illa ad arcem, in jugo montis ſitam, curſum dirigit: non vel maris latitudine, vel montium altitudine territa: certa vel ad metam pervenire, vel mori. Hic memoriâ partaq; fama dignum aliquid moliri ſtatuit: & vel arcem expugnare: vel, quod generoſi animi, veraq; fortitudinis ac conſtantiæ eſt ſignum, præclaris in conatibus fortiter ſuccumbere. Pont. Heuterus.*

Jacob. Schrenck à Notzing.
Author.

Digitized by Google

NUMMUS ICONICUS
HENRICI DUCIS SAXONIÆ,
poſteaquam Georgij fratris defuncti ditionem occupaſſet. Anno Chriſti 1539.



GEORGIUS Saxoniæ Dux liberis ſe deſtitutum videns, Henricum fratrem ejusque filios Mauritium & Auguſtum teſtamento facit hæredes, ea lege, ne formam religionis mutent; niſi pareant, Cæſari & Ferdinando Regi ditionem omnem attribuit, donec aut ille vel filij, vel ex ea familia proximus agnatus conditionem impleant. Hoc ſuum teſtamentum ita confectum, nobilitati prius & populo communicat ſenex jam & valetudine minus firmâ, petitque ut ratum habeant, & data fide jurent ab eo ſeſe non diſceſſuros. Illi verò, quod metuerent, ne bellum ea res inter agnatos excitaret, orant, ut patiatur ad Henricum fratrem mitti legationem, ſperare enim illum aſſenſurum, nec quicquam in religione immutaturum. Verùm immutare Principis animum nullis nec argumentis, nec precibus miſſi legati poterant, antequam etiam domum rediiſſent, jam è vita diſceſſerat Georgius. Henricus frater cum copiis ilicò Dresdam, & ad reliqua profectus oppida ſuam in fidem populum adigit. Hoc autem eò proclivius erat, quod fœdere nitebatur Smalcaldico. Saxoniæ quoque Elector, cùm de teſtamento Georgij, cæteriſque conſiliis illius non neſciret, ubi de ejus morte in itinere cognovit, domum è veſtigio properat, ut ſi opus eſſet, Henrico ſubveniret. *Sleidanus. Author.*

NUM-

NUMMUS VOTIVUS

ISABELLÆ, CAROLI V. UXORIS,

effigiem cum emblemate referens: Cuſus in honorem illius ab Imperatore. Anno Chriſti 1539. aut circiter.



LEontius, Philoſophus Athenienſis; ubi ſuprema ſibi imminere fata ex morbo præſenſit, filios geminos hæredes ſcribit: de filia Athenaide ſic teſtatur: *Athenaidi filiæ dulciſſimæ centum, non amplius, aureos lego: ſufficit illi fortuna ſua: qua muliebre genus omne facilè anteſtat.* Quantò vero rectius poſtremum hoc de Iſabella quis uſurparit, Emanuelis Portugaliæ Regis filia: Caroli V. Uxore, in qua præter formam ad invidiam elegantem, ita cum prudentia morum probitas certabat: cum humanitate gravitas: ut, cui primæ has inter virtutes doteſque deferendæ partes eſſent, meritò ambigeretur? Quin & prole copioſa maritum beavit, natis ex ſe Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Joanne, & Ferdinando: qui ambo in juventute obierunt: Maria, Maximiliani II. & Joanna Joannis III. Luſitaniæ Regis uxoribus. *Charitum itaq; Trigæ æquiparare eam, aut etiam anteferre Imperatori placuit: roſâ notare florem ætatis: myrto fœcunditatem: glande moderationem in ſummâ fortuna: urnâ perpetim fluente, ſtirpem generis: Diis Laribus divinam providentiam: quaſi auguſtiora ſint, quàm humana, quæ Principibus bona obtingunt.* Extinguitur partus doloribus. 1. Maij Anni 1539. ætatis 40. matrona omnibus chariſſima: quam quo viventem amavit ardentius, eo mortuam ſanè flevit acerbius Imperator. Mortem illius præceſſit ſtella crinita ſive Cometa, qui obitum Auguſtæ portendere videbatur. *Sleidanus Author.*

NUM-

NUMMUS MEMORIÆ SACER

CUSUS A CAROLO V. IMP. GANdavenſibus ob defectiones crebras punitis, inque ordinem redactis. Anno Chriſti 1540.



CUR Imperator Carolus animadvertendum in Gandavenſes eſſe cenſeret, cauſas benè multas habuit: ſtatuit comprimendam inprimis libidinem Principibus ſuis reſiſtendi: id quod in Carolo Burgundo fecerant Proavo ſuo: in Philippo abauo: in Ludovico Flandriæ Comite proavo materno; in ſe tandem ipſo. Venit ſub id tempus in Belgium Ferdinandus Romanorum Rex, comitatus duabus Germanorum peditum legionibus, cum quibus, ut & ſorore Regina Maria, omnibusque ferè Belgarum Proceribus, Gandavum vigeſimo quarto Februarij intrat: paulò poſt ſubſequente Cæſare. Statim ad omnes Urbis portas murorumque ambitum, cuſtodiæ, ne quis elaberetur, collocantur. Tum evocato Procerum, Senatusque Flandriæ concilio, advocatum fiſcalem accuſationem contra rebelles inſtituere jubet Imperator: quod cum prolixâ oratione feciſſet, oſtendit ſub finem quam variis rationibus crimen læſæ Majeſtatis commiſiſſent, privilegia idcirco omnia, atque immunitates, ob ſeditionem, conjurationem, ac rebellionem amiſiſſent, vitæ bonorumque omnium pœnam incurriſſent. Adhæc Gandenſium advocatus, ex ſcripto prolixè reſpondet: ſed frigidè atque enervè: quod cum ipſemet ſatis ſentiret, concluſurus, quæcunque ad movendam commiſerationem facere poterant, adfert, adque ſolam Cæſaris innatam clementiam Gandenſes confugere profitetur. Cæſar diu ac maturè, cum proceribus habito ſuper lite conſilio, tandem pridiè Calend. Maij in publico ſenatus conſeſſu, cæteris paulò altius eminens, ſententiam condemnatoriam pronunciari jubet,

quam

Digitized by Google

quam varios apud Hiſtoricos: inprimis Belgicarum rerum ſcriptorem Pontum Heuterum libro 11. videre licet. His peractis è captivis Gandenſibus viginti ſex capite plectuntur; multi alij pro fortunarum conditione pecunia multantur, ac ad Divorum inviſendas reliquias in longinquas peregrinationes ablegantur, ubi plærique interiêre, aut mansêre; cæteri abſoluti itineris teſtimonium adferentes, univerſo vitæ tempore publicis muniis abſtinere ſunt juſſi. Centum partim à textoribus, partim è Creſeriis æquo numero lecti, ac talaribus veſtibus induti, capite pedibusque nudi collo laqueum geſtantes, ac ad Cæſaris pedes ſe proſternẽtes, veniam impetravêre. Privilegiis inſuper atque immunitatibus, orbatis civibus, magnam pecuniæ vim imperat Cæſar; arma adimit, extructâque in Urbe arce, præſidium in capite, & cervicibus eorum collocat. *Id pacis utiq; vult in nummo ſymbolum: face comburentis arma librosq;, quibus privilegia continebantur: reducentis ſerenitatem rerum omnium copiam. Pontus Heuterus. Sleidanus. Author.*

N NUM.

NUMMUS MEMORIÆ SACER CAROLO V. IMPERATORIS: CUſus, ut veriſimile eſt, paulò antequàm, ſecundam in Africam expeditionem ſuſciperet: Anno Chriſti 1541.



V*Ltra Herculis Columnas non eſſe, quo ulterius progrediare*, ſermone adeò crebro uſurpatum fuit, ut in proverbium etiam abierit. Fixiſſe Columnas has in finibus Hiſpanicis tum fingitur Hercules, cum boves Geryonis inveſtigaret: tanquam illic ſuprema orbis eſſet meta: neque acceſſus ad ullam terræ plagam daretur ulterior. Jure igitur meritoque ſymbolum hoc uſurpat Imperator nunquam ſatis laudatus, utpote qui plus terræ ultra terminos illos Herculeos, non aperuit modo, ſed etiam occupavit, ſuſceptâ duplici in Africam expeditione: quarum altera feliciter (ut ſupra monuimus) æque animi confecta ſententia fuit: tantum periculi atque infortunij altera habuit, ut inter ea, quæ ſiniſtro à Carolo ſuſcepta omine fuerunt, recenſeri primo loco debeat. Quò Solymannum ex Ungaria avocaret, inque diverſa parte diſtineret, longo tædioſoque itinere Algieram Africæ urbem (olim Juliam Cæſaræam dictam) appulit; Mendoſamque cum Hiſpanicô milite eodem veniſſe reperit. Universâ claſſe ad oppidi conſpectum in anchoris ſtante, ac Hiſpanos, Belgaſque expectante, biduum tranſiit, quo Cæſar circiter viginti millia peditum, cum maxima equorum ac tormentorum parte, in terram expoſuerat, parans ſimul alia ad expugnandã Algieram neceſſaria. Inclinante die, ſubito exorſus procelloſus imber, totâ nocte univerſum exercitum aquâ pluviali perfudit: ingentique illato incõmodo, ne tormentis ſclopetiſque uti poſſent, effecit. Adhæc diverſiſſimis mundi è plagis exorti ſummâ cum violentiâ venti atrociſſimam excitant tempeſtatem, unde fiebat, ut fluctuum ad littora repercuſſu jactatæ, ac inter ſe concurrentes naves, ruptis anchorariis funibus, inſpectante ac gemente exercitu

tu cum rebus pretioſiſſimis, ingenti commeatus copia, ac generoſiſſimis equis mari abſorberentur. Triremibus quindecim in littus adactis, aquamque per rimas admittentibus, cum homines abjectis armis in ſervitutem ſe offerrent, à ſævis Numidis interficiuntur: nihilque toto littore, præter hominum equorumque cadavera, navium fragmenta, ac natantis ſupellectilis diverſas ſpecies ſpectabatur. Cum Turcæ etiam ac Numidæ, qui Algieræ in præſidio erant, variis locis caſtra invadentes ſtationes cæderent, omniaque ſibi adverſa Cæſar proſpiceret; cum Deo inprimis reconciliationem quæſivit, ſacrâ cœnâ uſus: & ut idem faceret exercitus imperavit. Cæpit quidem confligere cum barbaris loco acclivi ac ſalebroſo: ſed cum ventorum impetus nihil remitteret, de reditu in Europam cogitavit: *malo*, inquiens, *unum Chriſtianum ſervare: quam mille Turcas aut Pœnos trucidare.* Humanitatis atq; commiſerationis illud ſingularis fuit: quod milites claſſem conſcendere, equos verò omnes etiam generoſiſſimos in mare eijci, ut eorum loco vel viliſſimus calo reciperetur, ſeriò mandavit. Claſſes cum reflantibus ventis certum tenere curſum, nec altera alteram expectare, juvareque poſſet, in varias disjectæ plagas, rebus omnibus amiſſis, pervenere: Cæſar ſub finem tandem Novembris in Hiſpaniam rediit, famâ de morte ejus paſſim diſperſâ. *Pont. Heut. Matth. Dreſſerus. Author.*

NUMMUS VOTIVUS

FERDINANDI ROMANORUM REgis: Cuſus ante expeditionem Ungaricam & Budam obſeſſam: Anno Chriſti 1541.



QUO tempore Carolus V. Imperator conventus Ratisbonæ agebat, Ferdinandus Rex Budam obſidet, & oppugnat: in qua tunc erat Vaivodæ Johannis uxor Vidua, cum filiolo Stephano. Quia verò jam pridem pupilli tutores cæterique proceres hæredem Regni Turcæ commendaverant, ipſeque in ſe pueri patrocinium receperat, rebus ita poſtulantibus, legatum mittit cum copiis, quæ menſe Julio Budam venerunt, ipſe verò cum reliquo exercitu, non multò poſt ſubſequitur. Itaque Ferdinandici rejecti, Germani, Bohemi, Moravi, relictâ obſidione, & ingenti acceptâ clade: Peſto etiam amiſſo, quod eſt oppidum contra Budam; reliqui fugâ ſalutem ſibi quæſiverunt. Turca ſub exitum Auguſti, munera mittit infanti Stephano, ac matri nunciat, cupere ſe puerum videre, petitque ut in caſtra eum ſibi mittat. Mulier perterrefacta cùm aliud non poſſet, hortatu procerum mittit una cum nutrice, comitatum turba nobilium. Ille perhumaniter excipit, ac deinde per ſuos, Reginæ Conſiliariis oſtendit, velle ſibi Budam tradi: nam ſe, non illam poſſe ab hoſte eam defendere, & ſibi ſubinde redeundum huc eſſe cum exercitu: quod valdè ſit & moleſtum, & ſumptuoſum: itaque multò præſtare, ut ipſe teneat. Hi de ſuo periculo ſoliciti muſſant. E veſtigio Janizarorum præfecto negotium datur urbis occupandæ, neque prius ad matrem Reginam miſſus eſt filius, quam re perfectâ. Cum jam urbem tenerent, & cives omnes exarmaſſent, arcem quoque ſibi tradi poſtulant, in qua Regina tum erat. Eam Turca jubet interim per internuncios animo eſſe præſenti, & Tranſylvaniam

vaniam ei, atque filiolo concedit. Quum igitur omni conquiſita ſupellectile tumultuariè abiiſſet, à præfectis, & à milite barbaro deducta, Budam, Turca cum duobus filiis venit ſeptembris die ſecundo, & templum ingreſſus, expiatum, actisque gratiis Deo ſuo, propter rem benè geſtam in caſtra revertit, & relictis Budæ, Peſtique præſidiis, reliquum exercitum domum reducit. *Biceps in nummo aquila imaginem crucifixi hominis repræſentans, Ferdinandum Regem proponit, ſe ſuaq; omnia præpotenti Deo committentem.*

Sleidanus. Author.

NUMMUS CASTRENSIS
JOACHIMI II. ELECTORIS
Brandenburgici: Cuſus ante expeditionem Hungaricam, totius imperij nomine auſpiciisque ſuſceptam. Anno Chriſti 1542.



JOACHIMUS Secundus, Marchio Brandenburgenſis Elector, Dux Pomeraniæ, Stetini Caſſubiorum, &c. prima militiæ tyrocinia in Hungaria, vivente adhuc patre Joachimo Anno 1532. feliciter poſuit: Turcam in prælio ad vicum Leopoldianum cum duobus equitum millibus fudit, fugavitque, unde à Carolo V. Imperatore cingulo equeſtri donatus eſt. Poſtea in bello Hungarico, quod Ferdinandus Rex non tam cum vidua Johannis Sepuſij, quam cum ipſo Turcarum Imperatore, Budâ jam paulò ante captâ, geſſit Anno 1542. decreto Procerum Imperij, in Comitiis Spirenſibus Dux belli electus, apparatu bellico, & milite copioſo validiſſimè inſtructus, nulli parcens ſumptibus, qui ad bellum cum tanto hoſte gerendum requiruntur, ſpretis difficultatibus & periculis omnibus, magno & invicto animo in Hungariam contendit. Ac licet tunc quidem multis de cauſis ſuſceptæ expeditionis impedita felicitas fuit: attamen Joachimus id ſaltem præſtitit, ne hoſtes factâ impreſſione latius progrederentur. Itaque Ferdinandi fines in Hungaria, à latrociniis, vaſtationibus, incendiis ac ſævitia barbarorum tutos ſervavit. De Pericle Athenienſium Duce legimus, quod, quoties Prætor creatus Chlamydem indueret, ante omnia ſeipſum ſolitus ſit affari, quaſi commonens: *Attende tibi Pericle, liberis imperas; Græcis imperas; Athenienſibus imperas. Fallor, aut ſimilem ad modum ſeipſum in ſymbolo exuſcitat Princeps laudatiſſimus? Cogita, Joachime, quod de fortitu-*

dine

Digitized by Google

dine tua reiq. militaris peritiâ ſit factum judicium: Leonis animum induens communem Orbis Chriſtiani hoſtem fortiter aggredere.

Spe (Scaligeri verba) *deterior ne fueris*
tuâ, quod optas
Accinge te ad id: viribus excute & tuis te.

Jacob. Schrenck à Notzing. Author.

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

JOHANNIS FRIDERICI ELECTORIS Saxoniæ: Cuſus ſub Wurcenſis belli initium. Anno Chriſti 1542.



G*Ladium Magiſtratui pio prudentiq́, non eâ ſaltem de cauſa traditum à Deo fuiſſe, Princeps innuit laudatiſſimus: ut cives improbos aliosq́, facinoroſos è medio tollat: ne reliquo corpori Reip noceant: verum etiam, ut regiones, ſubditos, jura, privilegia, immunitates, quas ſalvas, legum judiciorumq́, metu, obtinere non poteſt, vi, armisq́, aſſerat, tueatur, cuſtodiat, protegat.* Faciendum utique hoc ſibi exiſtimavit, cum Anno Chriſti 1542. in controverſiam cum Mauritio veniret Duce Saxoniæ, de Wurcena, Miſnenſis Epiſcopi oppido: à quo, cum tributum ad bellum Turcicum conferendum exigeret, Mauritium Ducem acriter in eo repugnantem habuit. Exarſit, parvâ hâc è ſcintillâ, præter opinionem omnium, celeriter bellum; & quidem alieniſſimo tempore, quod Paſcha antecedit, quo ſc. meditanda Chriſti paſſio erat: unde etiam à placentis der Fladenfrieg/ nominatum fuit. Elector oppidum Wurtzen cum quadringentis equitibus, & aliquot peditum ſignis deditione cœpit: Mauritius autem brevi ad decem peditum millia, & quingentos equites coegit. Sed tempeſtivâ & fideli interceſſione Philippi Landtgravij Haſſiæ bellum diremptum, at animorum offenſiones non ſublatæ ſunt. Conſentaneum eſt, acri ac vehementi quadam incitatione inflammatum utriusque Principis animum ab iis fuiſſe: quos paci conſulere magis decuerat. *Sleidanus. Dreſſerus. Author.*

NUM-

NUMMI CASTRENSES

JOANNIS FRIDERICI ELECTORIS Saxoniæ, & Philippi Landtgravij Haſſiæ, armis contra Henricum Brunſuicenſem ſumptis. Anno Chriſti 1542.



CUm Henricus Dux Brunſuicenſis graviſſimis calumnijs atque invectivis, repurgatæ religioni addictos peteret: ortiſque varijs per Saxoniam locaque finitima incendijs complures depræhenderetur: qui habitâ quæſtione à præfectis & familiaribus Henrici Brunſuicenſis ſe conductos, atq; ſubmiſſos fuiſſe, confiterentur: Inſuper etiã Henricus ipſe Goſlariam & Brunſuicum Smalcaldici fœderis civitates, perpetuis excurſionibus, atque rapinis vexaret, neque Cæſaris & Ferdinandi Regis parêret edictis, qui rogatu Proteſtantium, vt ab omni vi temperaret, mandaverant: bellum ei Saxo & Landtgravius communi ſociorum nomine indicũt, breviq; tempore ſuam in ditionem ipſius agrum omnem perducunt, & arcem non procul ab Urbe Brunſuico poſitam Wolfebutelum, in quâ ſpem omnem collocaverat, deditione capiunt. Ipſe non diu commoratus: adventante jam hoſte fugâ ſibi ſalutem petit, & ad Bavaros, cum natu maximo filio Carolo Victore contendit. In ea quam diximus arce complures repertæ ſunt literæ, quibus liquidò doceri poteſt, quid ipſe, quid Bavari, quid Moguntinus, quid Heldus, & alij nonnulli conati ſint. *Sleidanus.*

O NUM-

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES

GVILIELMI DUCIS JULIÆ, CLIviæ: Cuſi belli tempore, quod contra Carolum V. Imperatorem geſſerat: Anno Chriſti 1542. 1543.





CAROLUM V. Imper. graviter Guilielmus Dux Juliæ, Cliviæ, Montium &c. & quod Gallorum Regi militis in ditionibus ſuis ſcribendi ſubinde poteſtatem fecerat: & quod Iohannam Navarream, Franciſci ex ſorore Margareta Valeſia neptem ſibi deſponſaverat: Rege nuptias illas vel maxime urgente, volente. Neque ſub cineribus iracundia Cæſaris reſedit: erupit, inque manifeſtum bellum exarſit: dum ſcilicet Anno Chriſti 1542. Ducatum Juliæ, Duce Wilhelmo & ſubditis nihil hoſtile timentibus invaſit: ferro & igne omnia latè vaſtavit: loca plurima ſuam in poteſtatem redegit. Temporis non longi interjectâ morâ Dux Wilhelmus conſcripto ſuarum ditionum milite, exceptis Marcoduro, Heniſberga, quam tentavit, & Suſteren, urbibus: quæ validis Cæſareanorum præſidijs tenebantur: omnia recupevit: ſubſidiũ Marcoduranis à Cæſareanis miſſum in agro Aldehonenſi oppreſſit: & menſe decẽbri aſperrimâ hyeme Cæſarianos Marcoduri agentes aliquot

Digitized by Google

aliquot dieb. obſeſſos, libero ipſius arbitrio ſe dedere coegit. Inde pace rurſus ſed fruſtra initio anni 1543. per Electores & Landtgravium Haſſiæ tentatâ, Cæſariani ingente militum numero Ducatum Juliæ rurſus inundaverunt: ſed pridie Paſchatis Guilielmi auſpicijs cæſi ſunt fugatique. Victoria hæc Clivenſis ad Sittardum magnam excitat in Gallia lætitiam: juſſuque Regis publica decernitur ad templa Divorum ſupplicatio. Qua re magis exacerbatus Cæſar ex Hiſpania in Belgium contendit: Bonnam venit Moguntiâ ſecundo flumine. Inde Marcodurum (dura vulgò appellatum) Auguſti 22. die venit, eamque ſecuudo poſt die ui atque impetu capit: captam diripit, fruſtra reluctantibus acriter Clivenſibus, quibus animum auxerat conſtans quædam opinio à Gallis excitata, quod Cæſar ad Algieram ſubmerſus jam pridem factus fuerit eſca piſcium. Occupatis & aliis, iiſque præcipuis ditionis Clivenſis oppidis princeps ipſe venit Venlonum ad Cæſarem, cum deprecatoribus Henrico Brunſuicenſi & Colonienſis Archiepiſcopi legatis: quorum aſſiduâ & obnixâ deprecatione ipſi tandem eſt parcitum. Victo Granuellanus & Auraicæ Princeps leges imponunt.

A Centauro, in Emblemate, aut monſtro quovis alio abripi ſeſe libertas patitur, fœminæ ſimulachro expreſſa[illegible]e vini ulteriorem patiatur. Confugiunt, libertate ſua oppreſſa, ad Gallos Belgæ, odio Hiſpanorum: à quibus ſemper ante, haud ſecus atq; à monſtris abhorruerant. Sleidanus. Jacob. Schrenckius à Notzingen.

Author.

NVMMVS AVGVRALIS
CAROLI V. IMPE: CVSVS SVB VLtimam expeditionem Gallicanam. Anno Chriſti 1644.



ILluſtriſſima victoria erat, quâ Gallus per Franciſcum Anguineum Vindocinenſis ducis fratrem, Alpinarum gentium Proregem, potitus fuerat, Carigniano ſuam in poteſtatem redacto. Eâ nunciatâ clade cum Cæſarem multi putarent, non recuſaturum actionem pacis, obfirmatè ipſe bellum parat: cumq; Regem Franciæ in comitijs Spiræ celebratis, magnâ contentione hoſtem imperij pronunciari curaſſet, collectis ingentibus exercitibus in Galliam irrumpit. Lucemburgum militibus in præſidio relictis fame laborantibus deditione primùm recipit. Hinc tranſgreſſus in Campaniam Ligniacum in convalle montibus intercluſum expugnat: Sandeſirium oppugnat, immiſſo milite: ſed deſideratis circiter quingentis cum oppidani fortiſſimè ſeſe defenderent, nihil agit. Secundo demum menſe cum & Landræus, ruinâ domus oppreſſus, interijſſet, & puluis tormentarius deeſſet, deditione capitur. Eâ durante obſidione Renatus Auraicæ Princeps, tormento percuſſus, altero pòſt die, cum Wilhelmi Naſſovij filium, patruelem ſuum feciſſet hæredem, vitam finit, non ſine mærore Cæſaris. Capto Sandeſirio Cæſar pergit, & Catalauno relicto (quod eſt oppidum Campaniæ) caſtra ponit ad Matronam; cujus ad fluminis alteram ripam excubabant aliquot equitum Gallorum cohortes. Ibi Wilhelmus Fürſtenburgius, qui Galliæ ſitum & aditus omnes nouiſſet, uno tantum ſervulo comitatus, de nocte procedit è caſtris, ut, quo loco flumen vado tranſiri poſſet, & exercitus traduci, cognoſceret. Vbi iam ductore quodam homine ruſticano, vadum reperiſſet, & in alteram ripam evaſiſſet, interceptus ab equitibus Gallis Lutetiam pertrahitur. Res ea Cæſari omnino præter expectationem accidit, & ſuſpenſum aliquandiu tenuit. Galliæ Rex quod Helvetij nondum advenerant, prælium declinabat: & Cæſar promotis caſtris iuxta flumen Matronam progreditur. Eſt ijs locis oppi-

oppidum Epernæum; ubi multũ erat alimoniæ & ſupellectilis militaris: ea, ne veniret in hoſtium manus, flumine ſecundo tumultuariè devehitur: quod aufferri non potuit, igni corrumpitur, ipſiſmet oppidum incendentibus Gallis. Itaque Cæſar nemine reſiſtente, Caſtroteræum venit, caſtellum Theodorici vulgo vocant, ad idem flumen ab vrbe Lutetia, non bidui viâ poſitum oppidum. Et quanquam erant in caſtris Cæſaris, legati regis Galliæ, de pace miſſi, Cæſar tamen progrediebatur nihilominus: & cum iam hucuſque perveniſſet, incredibilis fuit orta Lutetiæ trepidatio. Fugiebant omnes, qui paulo eſſent lautiori fortuna, nec regis edictis fugam prohibentis contineri poterant, & fex modo hominum manebat. Itaque periculum erat, ne ab his ipſis vrbs omnium longè maxima, & inprimis opulenta diriperetur. Eorum, qui dant operam literis, ingens erat ibi numerus, ex omni ferè Europa: hi quoque fugiebant, & alioqui rex edixerat, ut omnes externi confeſtim diſcederent, capitis denunciatâ pœnâ. Cæſar iterum Cathalanum ubi perveniſſet, de ineunda cum rege concordia Monacho Hiſpano internuntio agit. Concepta pacis capita cum rex non aſpernaretur, quibus omnia hoc novo bello ablata utrinque reſtituebantur, & eo loco, quo ante bellum futura erant, Cæſar per Sueſſiones Cameracum & in Flandriam ſe recipit. Cæterum, ſimilitudines ac ſymbola, à rebus Cœleſtibus petita (cum alioquin præcipuam ex aſtrorum & motus ſyderum contemplatione voluptatem caperet) ſæpè multumque uſurpabat Imperator. Ex his non poſtremum, quod hic nobis nummus exhibet. *Sicuti enim maximus receſſus ſolis à terra eſt, quum ad quartum ferè gradum Cancri pervenit: ac tum in Auge ſive Apogæo eſſe dicitur: ſic aliquò quidem uſq; nominis ſui famam ſeſe extendiſſe ſtatuit Carolus: nondum autem ad apicem faſtigiumq; ſummum perduxiſſe: res à ſe geſtas præclaras: partas cedro dignas victorias: gerendas, parandas longè adhuc majores, celebriores. Sleidanus. Iohan: Tilius in Chronico Regum Franciæ.*

Author.

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS HENRICI DUCIS BRUNSUICENſis: Cuſus in expeditione contra Saxoniæ Electorem & Haſſiæ Landtgravium ſuſcepta: Anno Chriſti 1545.



HENRICUS Dux Brunſuicenſis, è ditione ſua ejectus, militem conducit, quàm poteſt occultiſſimè: Gallo ipſi belli nervum, ut dicebatur, ſubminiſtrante. Facto itinere per agrum Luneburgenſem, non ſine maleficio ſuam in provinciã ingreditur: Steinbruccum arcem deditione capit: vicinis ciuitatibus Brunſuico, Hanobriæ, Mindæ, Bremæ, denuntiat, ut ſibi de injurijs ſatis faciant, & à conjuratione Smalcaldicâ (ſic enim fœdus Proteſtantium vocabat) diſcedant: ſin minus, diraminatur. Primariam ſuæ ditionis arcem Wolfebutelum obſidet: paſſim ſuam in fidem jurejurando populum adigit. It contra Landtgravius mandato ſociorum, cum Genero ſuo Mauritio, ac Erneſto Brunſuicenſi. Dum non procul utrinque abſunt copiæ, agitur de pace à Brunſuicenſi, intereſſore Mauritio: verum interim levibus aliquot prælijs utrinque decernitur. Impetrantur tandem induciæ, quò de pace facilius ageretur: ſed eæ ſtatim à Brunſuicenſi violantur, eoque res deducitur, poſt aliquot prælia, ut de ſumma rei, cum toto Landtgravii exercitu ſit ei decernendum. Hic ipſe metuere, & quas antea repudiarat, pacis leges graviſſimas, poſt longam deliberationem recipere. Leges erant hæ, quas ei tulerat Mauritius, ut ſe & filium natu maiorem dederet. Itaque paret, & ſeſe cum filio dedit: quibus cuſtodias ponit Mauritius: inſignia copijs hoſtilibus adimit: auectis ſecum machinis octodecim, omnique inſtrumento bellico alio, ut & Steinbruccâ recuperatâ, domum redit. *Sylvanus in nummo Principem denotat, ad omnia adverſa devoranda, ſuſtinendaq; paratum. Patientiæ namq; typus eſt, accenſus in læva foculus ductus fortè à facto Scævolæ, nulli non Romanâ ex hiſtoriâ, noto. Confector Tabularum in Sleidanum.*

Author.

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES

PAULI TERTII, PONTIFICIS ALter: alter legati ſui eque filio Nepotis Alexandri Farneſij Cardinalis: S. Rom. Eccleſiæ Vicecancellarij: Cuſi armis contra Proteſtantes ſumptis. Anno Chriſti 1546.





VT ſuum quoque zelum in defendendâ religione Romanâ teſtaretur Paulus III. Pontifex, Carolo V. contra Proteſtantes omnibus rebus inſtructum mittit exercitum: qui ad idus Auguſti anno 1546. Landiſhutum venit: tantò Imperatori gratior & acceptior, quod de Smalcaldicorum progreſſu certior factus, dimiſſis nūcijs illum, vt acceleraret, hortatus fuerat. Peditum erant millia decem: equites levis armaturæ quingenti. His omnibus copijs nepotem ſuum ex filio Octauium Farneſium Pontifex præfecerat. Octauio militabant magni nominis duces, Alexander Vitellius: Joannes Baptiſta Sabel-

Digitized by Google

Sabellus: Sfortia Palavicinus: Fridericus Sabellus: Paulus Vitellius, Julius Urſinus: Alexius Laſcaris: Hieronymus Piſanus: Ioannes Maria Padicanus: Nicolaus Plumbinus: Nicolaus Petilianus. Cum hâc manu Florentiæ Dux Coſmus Medices unà mittebat equites ducentos, Rudolpho Balione, & Ferrariæ, Dux Hercules, centum, Alphonſo fratre notho ductore. Octauio fratrem natu grandiorem, Cardinalem Alexandrum Farneſium, velut inſpectorem conſiliorum Cæſaris, Pontifex adjunxerat: promiſerat inſuper adhoc bellum ducēta millia Coronatorum: quinquies adhæc centena millia florenorum ex monaſtrijs, permiſſu ſuo, haurienda. *Juvenem in nummo priore Ganymedem conjicio, lilia, permiſſu Jovis, humectantem: cum inſcriptione, Dos Jovis exhilarat. Neq; enim inſolens Eccleſiam lilijs conferre inter ſpinas enaſcentibus. Hanc Syriopreſſam æſtu frigidâ fovet ac refocillat Pontifex: copias Cæſaris augendo: Duces peritos mittendo: pecuniam, nervum belli, ſubminiſtrando. In altero Farneſius Viro bono atq; cordato operam dandam monet: vt in conſiljis actionibusq; ſuis, ad ſcopum præfixum, quantum fieri poteſt, collimet: uſurpatis Agamemnonis apud Homerum verbis: quibus Teucrum ſubſcuto Aiacis latentem, & feliciter multos Trojanos ferientem, compellat.*

Iliad. Θ. Sleidan. Author.

NUMMI CASTRENSES

JOANNIS FRIDERICI, DUCIS ET Electoris Saxoniæ: Cuſi ſub belli Smalcaldici initium, Anno Chriſti 1546.



INcidit hos in annos bellū Smalcaldicum, ſive Proteſtantiū: *quod victis*, (uti Hiſtoricorum quidam ſcribit) *multis modis triſte fuit, ac luctuoſum: victori felicitatis finem & quaſi terminum attulit*. Multorum hoc in fœdere Principum ac magnatum ſacramenta legis, manus; opes, arma atque inſtrumenta bellica: duos tamen eiusdem primi pilos quaſi atque Centuriones: Johannem Fridericum Saxonem, Imperij Electorem: & Philippum Haſſiæ Landtgravium: reformatæ religionis aſſertores ſtrenuos: quos etiam præ reliquis Cæſar, diſpoſitis & inſtructis ad bellum rebus omnibus, proſcribit die Julij 20. Proſcriptioni cauſam non religionem prætexebat (illam enim Alberto, & Joanni Brandenburgicis, alijsque ſibi militantibus liberam relinquebat) ſed multiplicem fœderatorum contumaciam ac rebellionem: læſæ Maieſtatis crimen: quodque ijdem Henricum Brunſuicenſem, & Julium Naoburgenſem è ditionibus ſuis ejeciſſent, & judicij Cameræ Imperialis authoritati parere recuſarēt. Formulam Cæſar ad Mauricium Saxonem mittit: ipſe exercitum ducit Ingolſtadium: quo etiam Proteſtantes cum copijs

P

ſuis ubi veniſſent, communicato conſilio epiſtolam ſcribunt, & per tubicinem ad Cæſarem mittunt. Eâ cum injuſtum ſibi bellum inferri declaraſſent, multaque de cauſæ ſuæ æquitate attulliſſent, tandem defendendi ſui cauſa, & propulſandæ, non inferendæ injuriæ eam Cæſari, quâ devincti ſint, fidem renuntiant. Varia ad Ingolſtadium geſta usque ad anni 1546. finem: quæ lectori benevolo è Sleidano nota. Certum, præclaras aliquot adoriendi hoſtes occaſiones è manibus Proteſtantes emiſiſſe. Sed noluit Deus, ut Evangelium armis defenderetur, reſervatâ ſibi viâ ac modo, quâ propugnandum eſſet. Hyeme tandem appetente de pace quidem actum eſt: ſed ob conditiones duriores à Cæſare propoſitas, re infectâ diſceſſum. Redeunt itaque ad ſua Proteſtantes: Carolus diſcedentes lento gradu inſequitur. *Sleidanus.*

Matthæus Dreſſerus. Author.

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES FERDINANDI ROMANORUM REgis: & Mauritij Ducis Saxoniæ: Cuſi durante bello Smalcaldico. Anno Chriſti 1546.





FERDINANDUS Romanorum Rex, cum Fieſsâ & Erenbergo â Schertlino captis, Oenipontem in magno periculo verſari cognoviſſet, repentè magnam manum ſubditorum ex agro Tirolenſi contrahit: qui ductore Franciſco Caſtelalto Tridenti præfecto oppidum defendunt, ſimulque vias & aditus occupant. Idem poſtea ex Boëmia, Pannonia atque Sileſia militem evocat, eidemque Sebaſtianum Weittenmullum ducem præficit. Dederat vero jam antè Cæſar in mandatis Mauritio Saxoni, vt jure agnationis Provinciam Johannis Friderici Septemviri ſibi vendicaret, idque niſi faceret, minatus eſt, ſe alij poteſtatem occupandi eſſe daturum. Mauritius verò, quanquam Cæſaris mandato parere in animo habebat, properare tamen noluit, usque dum Ferdinandus per Hungaros & Boëmos præſidium, quod in Sudetis montibus ſeptemvir collocarat, fudiſſet, & agrum ſeptem-

Digitized by Google

viralem cædibus incendijsque quantis poteſt maximis, vaſtaſſet. Hâc demum vi ac tempeſtate perculſos, & ad ſe confugientes in fidem recipit, ſuoque cum Ferdinandi copijs exercitu juncto Zuiccaviam in Miſnia, Schnebergam, Alteburgum, plæraque alia Electoris oppida, præterquam Gotham, Isenacum, Wittebergam, in ſuam fidem adigit. Eius rei nuntius in caſtra Cæſaris perlatus magnam excitavit lætitiam, quam & tormentorum tonitru Cæſar ſignificari curavit.

Sleidanus, Dreſſerus. Author.

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

CHRISTOPHORI CARDINALIS

Madrucij, itidem ſub initium belli Smalcaldici cuſus, Anno Chriſti 1546.



MADRUCIORUM fidem atque induſtriam cum multis documentis exploraſſet Carolus Imp. clementiâ eos ſingulari proſequitur: ornat honoribus: ad res magni momenti ac ponderis adhibet. Alibrandi operâ in contrahendis contra Proteſtantes copijs feliciter utitur: Eundem pôſt Germanicæ legationis Duçem ſupremum deſignat. Chriſtophorum, quem amœni virum ingenij Thuanus appellat, ſub id ipſum temporis ad Pontificem mittit, evocaturum promiſſa contra Evangelicos auxilia. Eundem Anno 1555. mortuo Joanne Jacobo Medicino Meleniani Marchione, ſummæ rerum in ſtatu Mediolanenſi præficit: quod Septem virorum, & reliquorum Imperij Principum amicitiâ floreret: attributo ei Piſcariæ Marchione, qui rei bellicæ ſub ipſo præeſſet. *De Phœnice naturæ referũt ſpeculatores, quod ſexcentos annos ubi vixit, voluntario ſe committat incendio, pyrâq; congeſtâ, quam eminentiori loco ſitam Sol incendat, ſpontanea ardeat: ex his verò ipſis cineribus ſuis tandem reviviſcat. Pari modo viri magni & vel literis, vel armis clari ſemetipſos quaſi curis atq; laboribus comburunt: ſed fini eâ, ut æternam poſt ſe nominis famaq; celebritatem relinquentes, ſeræ etiam vivant poſteritati.*

Thuanus, Sleidanus Author.

NUMMUS CASTRENSIS

OCTAVII FARNESII, DUCIS

Placentiæ, Parmæ, & Caſtri: Marchionis Novarriæ. S. Eccleſ. Generalis, Cuſus durante bello Proteſtantium: Anno Chriſti 1546.





OCTAVIUS Farneſius, cujus modò facta mentio, in Germaniam ubi veniſſet, ſtrenui Ducis munere præclarè functus eſt. Nam ubi Cæſar Donaverdam expugnare decreviſſet, lectiſſimis equitibus prius vrbe exploratâ, Farneſium cum equitatu peditatúque Italo, & Schaumburgium Comitem cum Germanis, ac duodecim bellicis tormentis eò mittit. Probavit hominis conſilium fortuna: cumque de nocte profectus eò prima luce veniſſet, admotis ſcalis oppidani ſeſe dedunt: præſidiarij fugâ ſibi ſalutem quærunt. Diſtabant inter ſe caſtra non plus mille & quingentis paſſibus: tantâ attamen diligentiâ, tamque occultè res geſta fuit: ut hoſtes neque opportunè ſuccurrere, neq; ſcire, quid factum ſit, niſi peracto negotio, potuerint. Exeunt per conditiones deditionis duo vexilla præſidiariorum militum: quæ à fœderatis ibi relicta fuerant, quorum in locum duo vexilla rurſus introducta ſunt Cæſarianorum. Emblemate ſignificare voluit Octavius, *nullam arcem, caſtrum, turrim aut civitatem tam munitam eſſe, cuius porta virtuti non pateat*: *Invia enim virtuti nulla via. Sleidanus. Author.*

NUM-

NUMMUS CASTRENSIS

CAROLI V. CÆSARIS DONATIvi loco exercituum præfectis diſtributus, ſoluto Proteſtantium exercitu. Anno Chriſti 1546.



CAROLVS auditis, quæ à Ferdinando Fratre & Mauritio Saxoniæ Duce feliciter in Saxonia gererentur, caſtra Lavingæ mutare decrevit: copiásque in duas partes diviſas movit, cum in alterâ peditatus procederet cum tormentis: in alterâ adverſus hoſtem, equitatus. Etenim vix fieri poterat, ut diutius in ijsdem caſtris Cæſariani morarentur, cœno ita profundo, ut annona propius plauſtris advehi non poſſet. Sermo plærorumque fuit, potuiſſe ea die Landtgravium tot difficultatibus oppreſſos, & propè circumvẽtos Cæſarianos invadere, non ſine maxima ſpe rei præclaræ gerendæ: ſed non paſſa fuit Cæſaris fortuna, tantam ei cladem infligi: paulo enim poſt, cum paucæ omnino civitates atque ordines conferrent auxilia in bellum, pax vero à Cæſare niſi duriſſimis conditionibus impetrari non poſſet, Proteſtantes decernunt, vt reliquis omnibus abductis copijs in Saxoniam Equites mille & ad octo millia peditum relinquantur in hybernis. Ita deinde ad 22 Novemb.

vemb: diſcedunt. Cæſar inſequitur, cumque eos in Franconiam cogitare putaret, Pophingam, Norlingam, Octingenſem agrum, & Dinckelspulum, ut eis antevertat, deditione capit: ac poſtea Rotenburgum magnâ celeritate contendit. Landtgravius interea domum ſe recipit: Saxo verò ingreſſus iter cum ſocijs, civitates & principes, ad quos venit, pecuniâ mulctat. *Confector Tabularum in Sleidanum.*

Com. Natal.

Digitized by Google

NUMMUS ICONICUS:

CAROLI V. IMP. EFFIGIEM REferens, ſolerti depictam manu in caſtris ad Mülbergam ſitis: Cuſus Anno Chriſti 1547.



SOluto Proteſtantium exercitu, Cæſar Norlingâ Noribergam: inde Egram venit in Paſchate: ubi Mauritius & Auguſtus ſuas copias cum illo conjungunt. Obviam quoque it appropinquanti Cæſari Joachimus Brandeburgicus Elector cum 400. Equitibus: quibus filium ſuum Joannem Georgium præfecerat. Inde digreſſus Cæſar Saxoniæ fines attingit. Saxo cognito Cæſaris adventu, Albim tranſgreſſus pontem ſublicium, qui Miſnæ eſt, incendit, ne exercitum ſuum traducere Cæſar poſſit. Ipſe verò Witebergam contendit. In itinere ad Mülbergam prope Albim conſidet, flumenque ratibus jungit. Sed appropinquante Cæſare injectis flammis eas incendit. Hiſpanorum in

Digitized by Google

adverſa ripa inſequentiũ unus & alter, ut flammas reſtinguant, & rates ſervent, Albim tranant, gladios tranſverſos ore deferentes. Tum ex ijs navigijs, quæ ſecundo flumine devecta, Saxones à reliqua parte pontis avulſerant, ut & illis, quæ Cæſar plauſtris adduxerat effecto ponte, fluvius fuit conſtratus, ut pedites & impedimenta tranſirent. In hoc rerum ſtatu Saxo, qui tunc ſacram concionem audiebat, præmiſſis impedimentis, ipſe poſtea ſubſequitur, & Wittebergam iter habet. Cæſar autem qui in celeritate momentum omne poſitum eſſe videret, vado reperto, primum Huſſaros, & leviorem omnem equitatum tranſire flumen jubet: pòſt ipſe quoque cum gravi armatura tranſit incolumis, neque cunctandum ratus, donec impedimenta ſimul & peditatus adeſſent, progreditur, & tribus trans Albim milliaribus ad ſylvam Lochanam Saxonem offendit, ibidemque ſuos ad virtutem cohortatus, initium prælij facit. Exercitus omnis equeſtris erat bipartitus: in prima acie erant Albanus Lanoius: Antonius Toletanus: Baptiſta Spinellus: Mauritius: alterum agmen Cæſar & Ferdinandus cum duobus filijs, & Sabaudiæ ducis filio ducebant. Gravis oritur pugna: in quâ vulneratus per ſiniſtram maxillam Elector, & circumfuſus undique hoſtibus, nulli tamen, neque Hiſpanorum, neque Huſſarorum ſeſe dedere voluit, niſi Germano Nobili, Tiloni à Trota. Captus non ſtatim ad Cæſarem, ſed ad Albanum ducem prius ducitur, ubi voce miſerabili, oculis in cœlum ſublatis, ex animo Deum compellat, his verbis: miſerere mei Deus, Nos ſumus jam hic. Ad Cæſarem adductus loquitur & audit ea, quæ prolixius narrant Hiſtorici. Captus cum eo fuit Erneſtus, Brunſuicenſis, Philippi filius: natu verò maximus filius Electoris accepto vulnere, Wittenbergam pervenit. *Sleidanus. Matth. Dreſſerus.*

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS ALBERTI, COMITIS MANSFELDICI: in bello Smalcaldico Electoris Saxoniæ partes ſequentis, cuſus Anno Chriſti 1547.



ALbertus Comes Mansfeldius Agnatum ſuum Joannem Georgium cum fratribus Cæſarianarum partium eſſe, cumque Mauritio Saxone Duce Joannis Friderici Electoris provincias infeſtare, cognoſcens, ſibi non cunctandum ratus (præſertim cum Heldrungenſis ditio ab Electore Saxoniæ cognatis erepta diceretur) Islebium ex inopinato adoritur: populo ſacris dedito arcem capit: quatuorq; tormentis bellicis in forum adductis cives ad deditionem cogit. Iudæorum, & aliorum, quibus infeſtus erat, domibus vaſtatis, bonisque direptis ex oppido diſcedit. Bornſtetio inſuper & Alſtetio, Stolbergiorum Comitum oppidis potitur. Dehinc ſubditos omnes cognatorum in comitatu Mansfeldico ſuam in poteſtatem recipit. His peractis Halam Saxonum cum duobus filijs, & omnibus contractis copijs ad Electorem Saxoniæ proficiſcitur: qui vbi in itinere domum verſus civitates & Principes, ad quos venit, pecuniâ mulctaſſet, ulturus inſuper injuriam ſibi illatam, Lipſiam obſidet: graviterque oppugnatam tormentorum vi ac multitudine diverberat, laceratque: Albertum Marchionem Mauritij ſocium & adiutorem Rochlitij capit: amiſſa denique per Thuringiam & Miſniam non ſolum recuperat, ſed Mauritium quoque omnibus ſuis oppidis exuit, Lipſiâ & Dreſdâ exceptis.

Sleidanus, Chronicon Mansfeldicum Spangenbergij. Dreſſerus.

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS
NICOLAI BARONIS MADRUCII,

Cuſus in honorem Caroli. V. ob fœdus Smalcaldicum diſſipatum: captos primos eius Proceres: Anno Chriſti 1547.





WITEBERGA obſidione cincta, Saxonem capitis condemnat Cæſar: verum Electoris Brandeburgici deprecatione, impoſitis duriſſimis conditionibus, vita ei redonatur. Non multo poſt Witeberga ex juſſu captivi Joannis Friderici ſe tradit Cæſari: qui educto Saxonico præſidio, ſuorum militum cohortes tres intromittit, ijsdemque ut & toti oppidi illius

illius cuſtodiæ hunc Nicolaum Baronem Madrucium præficit: ſurrogatum non ita pridem in locum Albrandi fratris, ardentiſſimâ febri Ulmæ extincti. Is in communi gaudentium atq; congratulantium fervore, ob virtutem Cæſaris felicitatemque, ſuum quoque affectum prodit, nummo hoc in honorem eius cuſo. *Sunt ipſi,* uti vides, *Gigantum inſtar Principes Proteſtantes: qui Saxis ingentibus congeſtis, admotisq; ſcalis cœlum conſcendere, deq; ſede ſua Deos immortales deturbare conantur. It obvìam conatibus eorum Iupiter, qui Cæſar eſt Carolus: cæteriq; ſuperi, qui eius Symmachi. Hi miſerè mulctatos Laſtrigonas (ut putabat) iſtos, deq; cælo, fractis ſcalis, præcipitatos, verſu monent Virgiliano: cautius deinceps mercari diſcant: non Magiſtratum ſpernant ſuperiorem: quodq; calidè inconſulteq; per vim ſuſcipitur, inauſpicatò plerumq; cedere, & uberem poſt ſeſe pœnitendi ſegetem relinquere ſtatuant. Author.*

NUMMI TRIUMPHALES

CAROLI V. IMPERATORIS: CUSI poſt confectum bellum contra Proteſtantes, & partam ad Mülbergam victoriam. Anno Chriſti 1547.



CApto Saxone, cum Philippus Haſſiæ Landtgravius, qui ex eo tempore, quo Ingolſtadio Proteſtantes diviſis copijs diſceſſiſſent, quietus belli Saxonici finem expectarat, per generum Mauritium cum Cæſare, de pacis conditionibus pro ſe agere permittit: ipſe etiam Halæ commoranti Cæſari ſe ſiſtit, delicti ab eo veniam deprecatus: præter ſpem tamen captivus detinetur. Erant enim certæ conditiones ei latæ, inter quas etiam illa erat, ne vita ei eriperetur, neque carceris condemnaretur. Quod ipſe cum ſuis de nullo, Cæſariani verò de perpetuo carcere intellige-

intelligebant. A Genero & non nullis alijs Germaniæ Principibus interceditur, ſed fruſtrà: ipſe neceſſitati paret, ut verò citius libertatem promereretur, præſcriptam pecuniariam mulctam paulo poſt numerat: munitiones arcesque diruit: ducenta ænea tormenta tradit: quibus juncta, quæ civitatibus Cæſar extorſerat, quingentorum tormentorum numerum exceſsêre: quæ cum aliquaudiu Francofurti in triumphi modum ſtetiſſent, tandem pars Mediolanum, Neapolim, pars in Hiſpaniam ac ad Belgas in devictæ Germaniæ teſtimonium ſunt avecta Cæſar abducto Wittenbergâ præſidio oppidum Mauritio Saxoni tradit: è Thuringia Norimbergam deflectit, Boëmis è propinquo formidinem injecturus: ſed hi, conſternati victoriâ Cæſaris, veniam petentes mulctantur parte privilegiorum, pecuniâ, armis: nonnulli etiam vitâ atque exilio. Lubecenſium legati, qui nunquam Proteſtantium fœderi ſubſcripſerunt, ad Cæſarem gratulatum de victoriâ venerunt. Bremenſium & Hamburgenſium Oratores operâ Regis Daniæ, gratiam, multati pecuniâ, obtinuere. Soli Magdeburgici non ſatisfecerant, in quos paulò poſt molem belli transfert. Et quid ni triumpharet exoptatiſſimo hoc rerum ſucceſſu Cæſar? Facit: *inq; nummo altero, Aquila veluti orbi inſidens oleam pacatis & morigeris porrigit: pacis utique & clementiæ Symbolum: rebellantibus fulgura atq; fulmina immittit. In altero Herculis ſub imagine Saxonem cum ſociorum quodam clava ſua contundit, proſternit: ſupprimit: Landtgravio Satyri ſub typo ad arborem alligato: unitis civitatibus, quas Hydra repræſentat, fruſtrà conatibus ejus reſtentibus. Pont. Heuterus. Dreſſerus. Author.*

NUMMUS HONORARIUS
REINHARDI COMITIS SOLMENſis, in bello Smalcaldico contra Proteſtantes, Cæſaris caſtra ſequentis· Cuſus Anno Chriſti 1547.



NEque hic etiam nummus Generoſi & Illuſtris Herois, Comitis Reinhardi Solmenſis obliterandus mihi eſſe videtur: qui Cæſari in bello Smalcaldenſi ſtrenuam, cum Friderico Fürſtenbergico (cujus effigiem habere non potui) navarat operam. Gliſcentibus belli rumoribus, quod contra Proteſtantes ſuſcepturus Cæſar dicebatur, audierat Comes ex Navio Imperatoris Cancellario, hoſpite tum ſuo, conſultum ſibi videri, ſi Landtgravius ad Cæſarem veniret. Sic enim futurum, ut omnis ſuſpicio & diffidentia, quæ ex delationibus utrinque factis nata ſit, tolleretur. Ex eo Comes optimus non deſiit monere Landtgravium, conſilio pareret: cuncta etiam alia tentare atque juvare, quæ reconciliandis Cæſari Principibus inſervire poſſe videbantur. Exorto belli incendio, licet religioni reformatæ addictiſſimus eſſet, Cæſaris tamen potius, quàm Principum caſtra ſequi maluit: vel quia imperatorem clementiſſimè de ſe meritū honeſtè deſerere non poſſet: vel quia ſanctiora tutioraq; arma ea ſtatueret, quæ ſeditionis, rebellionisq; labe carerent atq; vituperio. *Quid ſi & Symbolo hoc Principes monet, patientiam à Deo flagitent potius ad tolerandas, ſi quæ religionis cauſa, devorandæ, injurias, quàm Evangelium armis defendendum: quandoquidem documentis aliquot illuſtribus monſtrarit Deus: nolle ſe verbum ſuum gladio propugnari: tutelâ eius ſibi reſervatâ: viciſſim palmam nunquam non reportarit animus ærumnarum tolerans, ſoliq; Deo, inter incendia & naufragia: inter fluctus decumanos, & monſtra ſævientia confiſus? Thuanus.*

Author.

NUM-

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS
ERICI, DUCIS BRUNSUICENSIS,
Cæſarianarum copiarum Præfecti in obſidione Bremenſi: Cuſus Anno Chriſti 1547.



SOcia erat Brema fœderis Smalcaldici: ideoque cum Jodocus Gruningus juſſu Imperatoris bellum in locis Saxoniæ conterminis gerens, Oſnaburgenſes, Mindenſes, Comitem Lippienſem, alios imperata facere coegiſſet, ad vexandam quoque Bremam accedit. Eodem in velitatione quadam pilâ interempto, ſuccedit Urisbergerus: paulò poſt etiam ſubſidio venit miſſus â Cæſare hic Ericus Dux Brunſuicenſis: qui cōjunctis viribus urbem obſederunt, nec multò pòſt tamen eandem ſolvere coacti. Albertus enim Mansfeldius cum Heidecco Barone, Ringravio, Bichlingo, Tumſerno, & Conrado Pfenningo Hamburgenſibus copijs, quæ Bremenſibus auxilio venerant, conjungitur, tranſmiſſoque Albi Brunſuicum aggreſſus fundit, antequam Urisbergerus adveniret: qui ſub id momentum, ſuperato flumine, ut ſe Brunſuico conjungeret, jam in fugam verſis Brunſuicanis, in Mansfeldiorum impedimenta fortè incidit: & equis ad duo millia captis, magnâ inſuper præda: & quod magis victori, qui interea Brunſuicum inſequebatur, doluit. Tumſerno centū millia aureorum adimit. Brunſuici clade hoc Urisbergero lucrum conciliante. Is ergo tantâ prædâ potitus jam nocte adventante, pedem retulit, & in Friſiam ſe recepit. Brunſuicus in Viſurgim cum toto equitatu compulſus, multos è ſuis deſideravit, ipſe, tormentis omnibus amiſſis, incolumis evaſit: rejectâ in Urisbergerum culpâ, qui loco & tempore non veniſſet: unde poſt multas altercationes, altero perfidiam, altero rei militaris imperitiam exprobrante, cum res ad duellum ſpectaret, vix tandem amicorum interventu compoſita eſt. Confectis in Saxonia rebus Cæſar, qui Boëmorum proterviam coërcere in animo haberet, & metueret, ne Brunſuici ſtrage inflati Mansfeldiani Boëmis animos adderent, omnem cogitationem eò convertit, ne ingentis victoriæ fructum, tam

R parvo

parvo momento amitteret. Verùm fœderati plus Saxonis fortunâ conſternati, quàm ſuâ erecti, quod in eo uno Principe omne robur Germaniæ collocatum eſſe exiſtimarent, adhæc amiſsâ grandi illâ pecuniâ, quam alendo diu exercitui ſuffecturam ſperaverant, ubi reſciverunt, Saxonem, interventu amicorum, cum Cæſare transegiſſe, copias diſſolvunt: & Mansfeldius quidem cum ſuis Bremam, Tumſernus cum reliquis Ducibus Brunſuicum, dilapſo ſtatim milite, conceſſit. *Hieroglyphon arcum monſtrat, cum ſagitta in cælum deſtinata. Extollitur namq; viri illuſtris fama nominisq; celebritas ad aſtra uſq;: ſed arcus intentione, certaq; ad ſcopum collimatione eſt opus ei, quem*

——multis gloria terris
Tradat, & omnes; fama, per urbeis
Garrula laudet, cæloq; parem
Tollat & aſtris. *Thuanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS AUGUSTALIS CAROLI V. IMP. CUSUS DURANtibus Comitijs Auguſtanis: Anno Chriſti 1548.





HIC verò quis non illud uſurpet, Pſalm. 133. *Ecce quàm bonum & jucundum habitare fratres in unum?* Neque enim fratres eos duntaxat verſiculo eo indigitat vates Regius, qui eodem parente prodierunt, eademque ſuxerunt ubera: verum omne aliud, quod inter parentes eſt, & liberos: quod inter avunculos & nepotes: quod inter fratres & ſorores: paucis quod inter Chriſtianos eſt cõcordiæ, conſenſus, amoris, ſocietatis vinculum. Amorem hoc modo in ſuos, ſuorum in ſe viciſſim cultum atq; obſervãtiam oſtenſurus Carolus Imperator, non ſolus hoc in nummo conſpici voluit: ſed eodem hauriri intuitu Philippum filium, quem, valetudinis in deterius ruentis causâ, ad ſe ex Hiſpania acciverat: & Maximilianum fratris filium: quem Hiſpaniæ

Digitized by Google

regno præficere conſtituerat: & Mariam filiam primogenitam, quam, ut Germaniæ vires Hiſpanicis arctius conjungerentur, Maximiliano deſponſare decreverat: veniâ ejus rei prius à Pontifice impetratâ. Cuſus is fuit durantibus Comitijs Auguſtæ Vindelicorum, Anno 1548. celebratis: quæ in memoria hominum iccirco magis, quàm fortè alia hærent: quod in ijs Saxoniæ Electoralis dignitas publico & ſolenni ritu à Cæſare confertur Mauritio: quod Sebaſtianus Vogelſpergerus, notus ſatis miles, ob cauſas ab Hiſtoricis allegatas, capite mulctatur: quod formula religionis, Interim appellata, Lutheranis offertur: quod profugus ac miſer ad Cæſarem ex Hiſpania venit Rex Tunetæ Muleaſſes: quem filius natu major, occupato regno, exoculaverat.

Sleidanus. Author.

Digitized by Google

NUMMI NUPTIALES

MAXIMILIANI, FERDINANDI Filij Boëmorum Regis: & Mariæ Caroli V. filiæ; Cuſi Anno Chriſti. 1548.









QUO tempore Philippus Hiſpaniarum Princeps, gratulatum legationem ad patrem Cæſarem de partis aliquot victorijs, miſerat, ſtatutum fuerat, ut Maximilianus in Hiſpaniam: Philippus in Belgium proficiſceretur. Præmiſſus Albanus in Hiſpaniam, quæ profectioni forent Philippi neceſſaria comparat: Maximilianus Genuam per Mantuam contendit: ut ibi Cæſareas triremes conſcenderet: cui Princeps Philippus gratulatum obviam mittit Barcinonem usque, citatis equis Petrum Cordubenſem. Maria verò Diegum Cordubenſem. Felici vento, navigationéque uſus Barcinonem applicuit, indeque paulò pòſt Pintiam Carpetananorum verſus iter cæpit, ubi multi fiebant ad nuptias apparatus. Princeps Philippus, Admirante Celtiberiæ, & Albano, multiſque aliis principibus comitantibus circiter viginti, & quatuor millia paſſuum citatis equis, ad urbem uſque Olivareſam obviam properat: Pintiæ die poſtero magna cum pompa nuptiæ celebrantur: confirmantur contractæ in oppido

Digitized by Google

Aranſuero non procul à Mantua Tarraconenſi civitate, per Cardinalem Tridentinum: peractis ſolennibus regia convivia multaque ludicra fiunt, ad oblectandos hominum animos. In Emblematibus explicandis te non moror Lector: obvia hæc, & ſine tenebris. *Caſta Deus mens eſt, caſtâ vult mente vocari: puta, ut in ordinibus vitæ alijs, ita pio legitimoq́; inprimis conjugio. Id Veſtalis virgo innuit, thus caſtè ſuppliciterq́; in ara ſuccendens. Arctus ſit neceſſe eſt, & indiſſolubilis amor conjugalis. Quid ſtrictius, quàm in nominibus conjugum horunce ſereniſſimorum Initiales literæ M. alterum Maximilianum: alterum verò Mariam denotans? Natal. Comes. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS

ANNÆ MOMORANTII, MILITIÆ Gallicæ Præfecti, imaginem Symbolumque referens: cuſus poſt devictos à ſe Aquitanos, & Burdegalenſes: Anno Chriſti 1548.



ANNAS Momorantius ex illuſtri & per antiqua Momorantiorum familiâ progenitus, fidam adeò fidelemque Franciſco Galliarum Regi operam navavit: ut proximo à Rege, Coneſtabiliatus honore dignitateque eum ornarit. Sub finem tamen (*ut ſunt rerum humanarum vices*) faſtidio quodam animi benevolentiâ regiâ excidit: cum argueretur; quod Carolum Imperat: ab Hiſpania usque per mediam Franciam, tutum ad Belgas traduxiſſet. Curiæ ſe odioſum cum videret, privatam degens vitam ſexennio toto latuit: usque dum, Franciſco è vivis ſublato, regni ſumma ad Henricum II. devolveretur: qui poſtliminio quaſi revocatum nō modò dignitati priſtinæ reſtituit: verùm etiam majori honore atque benevolentiâ, quàm feciſſet pater, fuit proſecutus. Apparuit inſigniter, quæ eius prudentia, animi celſitudo, inque rebus agendis dexteritas fuerit, cum Anno 1548. Aquitaniam univerſam, maximè apud Burdegalam, propter vectigal auctum Salinarium, orta ſeditio eſſet: ubi non ſolùm civitatis ſtatus à concitata multitudine immutatus: ſed etiam Triſtanius Manius, Regis in eâ provincia Vicarius, ſeditioſorum quorundam manibus ſublatus è medio fuit. Ad ſopiendos eos motus Rex ſtatuit ſibi cito ex Italia eſſe ad fines properandum: antè tamen Regis adventum ſedati fuerunt Annæ huius Momorantii regali operâ: qui duobus equitum, & octo peditum millibus, repentè finitimis è locis collectis, eò convolavit: inque ipſo propè articulo temporis ſurgentia, recen-

Digitized by Google

recentiaque adhuc turbarum ſemina oppreſſit. Authores ſeditionis cum prius Triſtanij cadaver digitis & unguibus effodere coacti fuiſſent, capite plectit: & quoniam ad turbam ciendam tinnitu campani æris uſi fuerant, omnem ijs campanarum uſum interdicit. Fidem ſe & Franciſco defuncto præſtitiſſe, & viventi Regi ſine omni fuco doloq; ſe ſuaq; omnia devoviſſe ſymbolo ſuo teſtatur. *Neq; enim globo lubrico ac verſatili inſiſtit conſtantia: ſed quadrati lapidis firmâ nititur baſi. Eſt annulus quem manu prætendit, vinculum: quo ſponſus ſponſam ad perpetuam fidem atq; caſtitatem devincire ſibi & quaſi ſubarrhare conſuevit. Jacob. Thuan: Comes Natalis. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS TRIUMPHALIS

HENRICI II. GALLIARUM REGIS:

Cuſus poſt expeditionem contra Eduardum VI. Angliæ Regem ſuſceptam: receptam Boloniam: Anno Chriſti 1549.



D*EUS ex improviſo apparens in eos dicitur, quibus in rebus perplexis præter ſpem exoritur aliquis, qui ſalutem adferat, negotijq; difficultatem expediat. Sumptum eſt à conſuetudine Tragædiarum, in quarum pleriſq; machinis quibusdam Deus oſtendebatur: idq; non in ſcenâ ipsâ, ſed è ſublimi, qui repentè commutatis rebus, fabulæ finem imponeret.* Haud inconcinnè itaque hoc adagium pro ſymbolo uſurpavit Henricus II. Rex Galliarum, cum præter omnium expectationem, celeritate incredibili Anglos invaderet: præterque facinora edita alia, Bolonienſes, peregrini pertæſos imperij, ſibi regnoque ſuo recuperaret. Cùm enim Anglos civilibus laborare diſſidijs, bellisque videret, in Scotia verò res proſperè cedere intelligeret, arreptâ hâc occaſione Gallos adoritur: primum, in Sequallenſem munitionē facit impetū: captâ ea Lamberti-montis eò adigit præſidiarios, ut effuſis in aquam foſſarum omnibus cadis tormentarij pulveris ac reliquo apparatu, ne in hoſtium poteſtatem veniret, obſcurâ nocte ſeſe Ceſoniacum navale receperint. Rẹliqua erat Turris Ocdæ expugnanda, verum, ad lucrandum tempus, mole illam ſaxorum, & navium demerſarum hoſtibus inutilem reddit. Ceſoniacum navale cingitur obſidione, ubi Rex juvenis, cum tantæ bellorum moli non poſſet reſiſtere, poſt

S

multas contentiones & ſumptus pacem cum Gallo facit his præcipuè conditionibus: Eduardus Boloniam Gallo reſtitueret: Gallus Eduardo 400000 nummûm diſſolveret pro ſumptibus bellicis: Eduardus primogenitam Henrici duceret uxorem, ubi ad aptam legitimamque ætatem matrimonij perveniſſet.

Comes Natalis. Eraſmus in Chil.

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

ANDREÆ AURIAE MELPHI PRINcipis: Admiralij Generalis Caroli V. Imperatoris: Cuſus Anno Chriſti 1550.




Cum Dragutes, humili quidem vico Rhodi inſulæ natus, magnam attamen ſeu virtute, ſive rei navalis & locorum peritia famam conſecutus, infeſtam admodum negotiatoribus Italiæ & Africæ oram adverſam redderet: Cæſar Carolus Andreæ Auriæ dat negotium, ut claſſe collectâ prædonem inſequatur, & quoquo modo poſſet, aut tollat, aut in ſervitutem redigat. Accedebant ad Auriæ claſſem non modò Johannis Vegæ, Siciliæ Proregis, ſed & plurimorum aliorum copiæ: & quoniam Aphrodiſium Africæ urbs (Mahadia à Mauris dicta) præcipuum videbatur piratarum receptaculum, ad id expugnandum, occupatâ prius Clupeâ direptaque, miles adducitur: quatitur terra marique, uſque dum ruinæ viſæ ſunt ſatis facilem invaſuris aditum eſſe daturæ. Cum verò cognitum per transfugam quendam fuiſſet, foſſam ad ipſa mœnia profundam ductam, cujus ima in parte tabulata cum eminentibus clavibus terræ eſſent affixa: quibus invadentes urbem delapſi transfigerentur, viſum eſt per ampliores ruinas murorum negotium facilius & minore cum periculo confici poſſe. Protracta hoc modo oppugnatio in menſem uſque ſeptembrem: multis commiſſis levioribus prælijs, murisque tribus jam locis disjectis. Cum autem urbanis præſidijs nullum ſpacium, ut ſe interius munire poſſent, datum eſſet, ab equitibus tandem militiæ Melitenſis, & Italis Hiſpaniſque copijs, per eas ruinas obſeſſi invaduntur: urbs per ſummam virtutem poſt atrox certamen capitur: non ſine victorum clade. Dragutes amiſſo Aphrodiſio, cum 6. triremibus, & 14. biremibus, ad inſulam Aegimurum navigat, eas Turcarum reliquias ſecum avehens, quæ è tanta clade Aphodiſienſi evaſerant. *Succeſſibus exoptatis Herois fœliciſſimi nummi Symbolum reſpondet. Is namq; dum expeditionem*

Digitized by Google

hancce Tunetanam moliretur, non tam virtuti ſua confidebat: aut ulli apparatui bellico: quàm ſupremo illi Exercituum Duci ac Domino ſe ſuaq; omnia committebat: utpote quem vigilare ſemper, nunquam ut cuſtodes alios, vel dormitare, vel dormire noſſet. Thuanus. Comes Natalis. Author.

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES, CUSI DURANTE OBSIDIONE Magdeburgenſi: Anno Chriſti 1551.



IN Hiſtoria belli Magdeburgici hæc ferè ſunt præcipua : quod rebellionis accuſati urbis ejus cives, ſcriptis aliquot ſatis nervosè ſeſe purgarunt: quod proſcripti à Cæſare edictis, expoſitique in prædam omnibus, moriendum prius ſibi eſſe ſtatuerunt: quàm ut ſe decreto Auguſtano, aut Concilio Tridentino ſubijcerent: quòd ab Henrico Brunſuicenſi: Mauritio Saxone: Electore Brandeburgico & ejus patruele Alberto obſeſſi, hoſtes aliquoties magna clade repulerunt: quòd urbis partem, novam dictam, occupatam à Mauritio exuſſerunt: quod decembris die 19. de nocte profecti, hoſtilem equitatum fuderunt: obviumque habentes Georgium Megapolenſem cum copijs ſuperarunt, ſecumque captivum in urbem abduxerunt: quòd dempta facultate importandi cōmeatus, famem penè Saguntinam tolerarunt: quòd poſt multas deniqueærumnas miſeriasque devoratas conditionibus his cum Mauritio transegerunt, ut ſupplices deprecentur Cæſarem: Cameræ ſe ſubmittant: Auguſtano decreto poſtremò pareant: urbis munitiones ad Cæſaris arbitrium diruant, & ipſius præſidia admittant; Aureorum 150000 dependant; 12. belli tormenta majora Cæſari tradant, Mechelburgum Ducem & captivos dimittant. Duræ in ſpeciem conditiones: revera tamen ipſis per privatas literas & de religione & libertate, ſicuti poſtulaverunt, fuit cautum. Liberati hunc admodum Magdeburgici præter multorum expectationem ſummam nominis gloriam adepti ſunt apud exteras nationes: quod propè ſoli per omnem Germaniam exemplo ſuo docuiſſent, quid poſſet conſtantia. *Sleidanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMI CASTRENSES

JULII III. PONTIFICIS: OCTAvij Farneſij, Parmæ Principis: Cuſi durante bello Parmenſi. Anno Chriſti. 1551.



PRæcipua belli Parmenſis, quod in annum Chriſti 1551. incidit, capita ac Duces fuerunt Cæſar: Rex Galliæ: Pontifex Julius III. Octavius Farneſius. Cæſar & Gallus jam antè in nummis exhibiti: poſteriores ab illis hâc pugnâ conjunctos intueri licet. Octavius Dux Parmæ & Placentiæ, inimiciſſimus Ferdinando GonZagæ Cæſaris per Inſubriam præfecto, propter cædem patris, & ereptam ſibi Placentiam, veritus, ut Parmam ſuis ipſe viribus retinere poſſit, in clientelam Henrici II. Galliarum Regis ſeſe dedit. Indigniſſimè id ferens Julius, qui in Parmæ præſidium ſumptus aliquandiu contulerat, Romam citat Octavium: citatus hic non comparet: ſed Galliæ Regis præſidjis confirmatus Parmam contra Cæſarem & Papam ſuſcepit defendendam. Diuturnum inde bellum oritur, diverſoque ſæpius Marte pugnatur, donec Cæſaris interventu pax tandem ſancita fuit. *Pondus non eſt gravius univerſo orbis globo, quem humeris fulcire ſuis Atlas fingitur. Simile quid Pontificatus eſſe munus Julio videtur: grave ſcilicet, one-*

roſum,

Digitized by Google

roſum, laboribus, curis, moleſtijs atq́; anxietatibus refertum: gaudet interim ſibi vires eſſe infractas: quibus ſuffultus opprimi ſeſe onere officij malit: quam quod ſibi cum fide ſemel eſt impoſitum, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere. Farneſius cum perfidia ab Aulâ Pontificia accuſaretur, innocentiam ſuam conſcientiæq́; tranquillitatem rupe iſtâ nubes excedente, ſignificare voluit. Ut enim Olympi cacumen Poetæ ſemper quietum eſſe dicunt: quod altius ſit, quam ut eò vis ventorum, tempeſtatumq́; pervenire queat: ſic viri boni ac innocentis animus ſublimior eſt, quam ut flatus ſentiat furentium, inq́; ſe debacchantium obtrectatorum. Author.

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS HENRICI II. GALLIARVM REgis: Cuſus ante Expeditionem in Germaniam ſuſceptam. Anno Chriſti 1552.

HENRICUS II. Rex Galliæ ſcripto edito, qua mente, quove conſilio bellum ſuſcipiat in Germania, declarat: nempe ut Principes captivos liberet: effrenatam Cæſaris cupiditatem coërceat, afflictæ Germaniæ priſtinam libertatem reſtituat: Rempublicam conſtituat. Viderat is numiſma D. Bruti interfectoris Cæſaris: inſignitum pileo & duobus pugionibus: cujus imaginem, è penu noſtra numiſmatica depromptam, communicandam tibi (Lector amice) putavimus:



Cum itaque Germaniam in libertatem ſeſe vindicaturum promitteret, Emblema ſimile literis, quas diximus ſuis præfixit: inque id quod polliceretur, totis ſe viribus incumbere, videri voluit: re verò ipsâ quid ageret, eo tempore manifeſtavit: cum Tullum, Virodunum, Metimque Imperio Romano ſurreptas juris ſui ac poteſtatis faceret.



In Alſatiam ingenti cum exercitu ubi veniſſet, ſperavit fore, ut, quemadmodum amicitiæ quadam oſtentatione Metim ingreſſus fuerat, ſic etiam ab Argentorato non excluderetur. Spe verò hâc ſuâ dejectus Haganoam inde


Digitized by Google

inde Wiſſenburgum petijt: ubi monitus à Mauritio Electore de Lincianæ pacis actione, biduo pòſt principibus reſpondet: quando liberationis captivorum certa ſpes ſit, ſe, ut ipſis ac toti Germaniæ gratificetur, redire in Galliam. Tulit ſane permoleſtè pacis actionem: ſed dolorem cautè dſſimulavit. *Sleidanus. Author.*

NUMMI CASTRENSES

ALBERTI BRANDEBURGICI:

cuſi dum urbes Germaniæ ſuperioris miſerè affligeret: Noribergenſes obſideret. Anno Chriſti 1552.



CUm ALBERTUS Marchio Brandeburgenſis Wolfgangum ordinis Teutonici Magiſtrum direptionibus & incendijs, uti plurima loca alia, ad ſuas conditiones perduxiſſet, eodem agit modo cum Noribergenſibus. Lichtenavum arcem & oppidum ditionis ipſorum deditione capit: captam ſolo æquat; oppidanos pecuniâ mulctatos in ſuam fidem adigit: caſtella villasque ad ſeptuaginta, templa quam plurima: ex ſylva tria jugerum millia, Noribergenſium ditionis ſpoliat, diripit, exurit. Sueviæ civitates inter Albertum ac Noribergenſes pacem, ſed fruſtra ſolicitant: Hæc tamen legatorum tandem Mauritij ac Landtgravij filij operâ conciliatur. Pacis conditiones hæ fuêre præcipuæ: ut Noribergenſes aureorum millia ducenta pendant: tormenta magna ſex inſtructa tradant: Principes confœderatos, ut Auguſtani favore proſequantur: ipſi viciſſim illis ablata reſtituant. Solvitur hoc modo obſidio: Albertus ad Ulmenſes ſe convertit. *Sleidanus. Author.*

NUMMUS CASTRENSIS MAURITII ELEECTORIS SAXOniæ: Cuſus expeditione contra Carolum V. Imp. ſuſceptâ, Anno Chriſti 1552.





EST Batænæ, monſtro maritimo, ea corporis vaſtitas: ea in effundendis per narium ſpiracula procellis, vehementia: ut nautæ armis telisque nullo ei modo reſiſtere queant. Cæterum ſtratagemate ſupplent quod viribus decedit: objiciunt dolia, pilas, trabes, bacillos, belluæ, ut, dũ in hęc vires vanè ſuas exercet, elabendi interim atque effugiendi occaſionem habeant. Sed & tractum hac ex hiſtoria monitum: eſſe per cuniculos ſupplantandos, qui viribus ac potentia nobis ſunt longè ſuperiores: non aperto Marte oppugnandos. Et His quidem ARTIBUS uſus quoque fuit Mauritius Elector, contra Carolum Imp. in manus arma ſumpturus: diſſimulavit, quantum potuit, ægrimoniam è Landtgravij ſoceri captivitate diuturna, ſpretisque tot à Cæſare precibus, contractam: miſit legatos ſuos ad concilium Tridentinum, quod ex Principibus fecêre pauci: tectè habuit fœdus, cum Gallo ictum: in ſpeciem multa egit alia, quibus conſiliarijs quoque ſuis in tanto rerum molimine, glaucoma objiceret. Conſtititutis tandem ex ſententia rebus ſuis, probeque ſtabilitis, preces in arma vertit: cogit exercitum è milite potiſſimum, quo Magdeburgum oppugnaverat: jungit ſibi ſocios Guilhelmum Heſſi filium: Joannem Albertum Meckelburgi Ducem: Albertum Brandenburgium: omnes fœderi militiæq; Franciæ aſſcriptos. Hi primo in Sueviam irrumpunt, liberas paſſim civitates occupant: tormenta aurumq; extorquent: proteſtantiũ Magiſtratũ, rejecto Pontificio reſtituũt. Idem Auguſtæ admiſſi faciũt, reſtitutis etiã civium tribubus, à Cæſare diſſolutis. Ulmam Cæſaris præſidio munitam, fruſtra oppugnant: mulctatâ octodecim aureorum Rhenenſium millibus ad Alpes contendunt. Menſe demum Junio certior factus Cæſar de Mauritij ſociorumque ejus conatu,

Digitized by Google

militem conſcribi, ac ad oppidum Rutam in Alpium congreſſu ſitum, convenire jubet. Sed Mauritius, earum munitionibus ſuperatis, octingentos in fugam conjecit, Fieſſamque contendens obvias munitiones expugnat: multis hinc inde occiſis, pluribus captis. Tum Erenburgum progreditur, magnoque militum labore in proximos arci montes evadens, præſidiariosque tormentis oppugnans, mox ad deditionem cogit, captis tribus virorum millibus: cæteris fugâ elabentibus. Hinc eâdem uſus celeritate exercitum Insbruckum, ubi Cæſar erat, convertit: qui de capto præter opinionem Erenburgo certior factus, cum ſe ſine milite cõſpiceret, nec in Italiam iter pateret, quod nunquam in vita ipſi contigerat, fugam capere cogitur. Intempeſtâ igitur nocte cum fratre Ferdinando, omniq; aulico comitatu, relictâ impedimentorum maximâ parte, magno cum tumultu abitum parat, ac Villacum in Carinthiam iter, fugæ ſimile, inſtituit, dimiſſo prius ac in libertatem reſtituto Joanne Friderico Saxone, qui Cæſarem deſerere noluit, ſed ſumma cum fide fugientem eſt comitatus. Mauritius Insbruckum ingreſſus, quicquid in oppido rerum erat Cæſarianarum, Antiſtitis Auguſtani, ac qui hos ſequebantur, militi dat diripiendũ: â Romanorum Regis ac civium bonis abſtinuit. Interea Paſſavij Cæſariani ac Mauritiani pridie Cal. Auguſti inter ſe pacem faciunt, ac Landtgravius Haſſiæ ad duodecimum Auguſti diem in arce Kyneſelda liber conſtituitur. *Pontus Heuterus. Sleidanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS FERDINANDI REGIS, MAURITIO Electore Saxoniæ contra Turcas proficiſcente: Cuſus Anno Chriſti 1552.



INter cætera Pacificationis Paſſavienſis capita haud poſtremum erat: ut confœderatorum Principum copiæ Ferdinando Regi militent, ſi velit. Miſſis itaque nuncijs, Machometum duobus exercitibus firmiſſimis Pannoniam invaſurum, Mauritius Elector Saxoniæ Germanico militi Dux ſummus præficitur: qui ad Danubium copias præmittit: pedites quidem ſecundo flumine: equites autem per continentem: ipſe rei privatæ cauſa domum recurrit: poſt tamen ad eos revertitur. Machometes cognoſcens Mauritiũ B. egetij conſediſſe, & ponte ſupra Danubium jacto, cum ſe urbem Strigoniam obſeſſurum ſignificaret, purpuratum Budenſem cum copijs huic oppoſuit: non ad pugnam quidem: ſed ut hoſtis conſilia exploraret: & ſicubi auxilijs opus eſſet, opportunè ſucurreret: & ne Mauritius arbitraretur, ſe poſſe pro arbitrio quocunque placeret, ita liberè palari, conſilium Caſtaldi erat, dum Agria à Turcis obſidetur, ut Mauritius ab unâ parte; ipſe ab alterâ Turcicum exercitum fatigarent & invaderent; eâque de re ad Ferdinandum ſcripſerat: cui conſilium ſuum probare non potuit, quod noluit prudens princeps rem totam prælij aleæ committere: ſed è re præſenti viſum, ut uterque cum copijs ſuis Albam Regalem, & Veſprimium uſque excurrerent, quo citra diſcrimen hoſtem ac obſidione averterent. Cum autem Ferdinandi præſidiarij & milites paſſim ob non ſoluta ſtipendia tumultuarentur, culpa à Caſtaldo in Mauritij adventum reiecta eſt, ut qui exercitu ſuo numeroſo totum regis ac provinciæ ærarium exhauſiſſet. Mauritius recriminando Caſtaldi avaritiâ, ac rapacitate factum dicebat, ut alienatis provincialium animis, ejus in Pannoniam deſcenſus rei Chriſtianæ minus utilis fuerit. Diſſenſio certè iſthæc cauſa non minima fuit: quod nihil eâ in expeditione geſtum memoriâ dignum aut imperio fructuoſum. *Thuanus. Natalis Comes. Author.*

NUMMUS CASTRENSIS

CAROLI V. IMP. SUB IPSAM URbis Metenſis obſidionem cuſus: Anno Chriſti 1552.



VT Carolus V. Imperator Metim ab Henrico II. Galliarum rege Imperio ereptam, recuperaret; validâ manu Argentoratum petit: dehinc Haganoicâ viâ Lotharingiam verſus proficiſcitur. Galli interim ductore, Guiſio Metim & Nanceium muniunt: frumentum omne atque pabulum ex agris eò convehunt. Cæſar Landavio ſupra 16. dies, pulcherrimo cœlo, non ſine multorum admiratione commoratus, tandem iter ingreditur Metenſe: & ad 22. diem Octobris Urbem obſidet: plerique cives ac ſenatores permiſſu Gallorum diſcedunt, alij in Lotharingiam: Argentoratum alij. Militabant Cæſari Joannes Marchio Brandeburgicus: Adolphus Holſatij Dux Daniæ regis frater: Philibertus Sabaudiæ Ducis filius. Albertus etiam Brandenburgicus, cum ei de ſtipendijs exercitus, cum Galliæ rege non conveniret: ad Cæſarem ſe convertit: ac cum eo reconciliatur. Eum Aumalius Gallus cum ingenti exercitu adoritur: ſed ſucceſſu prorſus infœlici. Profligatus quippe ab Alberto vulneratur: captivus abducitur. Cæſar auditâ hac victoriâ Dedenhovio, quod eſt ad Moſellam 4. infra Metim milliaribus, 20. Novembris die in caſtra cum veniſſet, longè validius, quam prius factum, urbs tormentis concutitur, fragore non Argentinenſium ſaltem, ſed & trans Rhenanorum aures verberante. Defendebant Urbem lectiſſimi duces, crebras eruptiones, in Alberti præſertim caſtra facientes: rei vero ſummæ præerat Guiſius. Sub exitum Decembris Cæſar hyemis ſæviſſimæ intemperie coactus obſidionem ſoluit, & Dedenhovium profectus, ac inde reverſus in Belgium, legiones aliquot apud Treviros hyemare jubet. Ex contagione autem atq; frigore propè tertia pars exercitus deſiderata fuit. Suſceperat quidem Cæſar hanc in Mediomatrices expeditionem, *cum jam nominis famæq́; ſua celebritate utrunq́; ſeſe polum complevisse exiſtimaſſet*: ut Meti ſubjugatâ felicem curis laboribusq; ſuis finem imponeret: & *Hercules velutì alter has ad columnas clavam ſuam deponeret, leoninam ſuſpenderet*: verùm ſucceſſu parum proſpero expertus fuit, conſilia humana divinis reprimi non rarò atque retundi. *Sleidanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMI VOTIVI AC TRIUMPHALES: CUSI IN HOnorem memoriamque Henrici II. Galliarum Regis, ob res præclarè fortiterque geſtas. Anno Chriſti 1552.



TRes tibi (lector benevole) eâdem in charta nummos exhibemus, qui triumphum, & quæ hujus ſunt inſignia, Henrico II. Gallorum Regi tribuunt, ob res feliciter, diverſis in locis, eodemque penè anno, geſtas. Et quæ illæ? Lauro dignus judicabatur (verbo ſingula attingimus) quod è Rhemis in vicinos Leucos, quos hodie Lotharingos vocant, cum exercitu movens, Tullum & Nanceium occupavit: Principem puerum deduci in Galliam: matrem ejus amitamque Lotharingia cedere juſſit. Quod Mediomatricum urbem, Imperio addictam, per Coneſtabilium regni ſui Momerantium cepit: captam præſidio firmavit. Quod terrore militis ſui (hoc namque etiam ſibi Rex arrogabat) effecit, ut Cæſar Saxonem & Landtgravium vinculis tandem ſuis liberaret. Qnod Veromanduos ingreſſus, (Lucenbergenſem hodie agrum vocant) Aſtenæum, Dannvillerium Verodunum, Iuoſium, Lumeſinam ſui juris fecit:

Quod





Quod denique Belgas, qui Picardiam depopularentur, repreſſit: deflectens in Hannoviam, Trelonem, Glanionemque, arces in poteſtatem ſuam redegit: Cimeum urbem cum arce excidit, ſoloque æquavit. *Tot*, inquam, *victoriarum monumentis ſuperbus, publicâ populi gratulatione applauſuq;, & planè regio triumpho, Lutetiam, ut vides, ſuam ingreditur. Sleidanus. Thom. Freigius in paralipomenis ad Ferronum. Author.*

NUMMUS TRIUMPHALIS JOANIS BAPTISTÆ CASTALDI, Summi Exercitus Cæſariani præfecti: Lippâ Turcis ereptâ, inque Chriſtianorum poteſtatem redactâ: Anno Chriſti 1552.



Lippam à Turcis per vim captam Joannes Baptiſta Caſtaldus Italus, Ferdinandi Imp. militiarum Præfectus, acerrimè cum obſideret, Germanos primum & Hiſpanos miſtim ad ruinas murorum collocat, eosque ad ultionem cæſorum amicorum adhortatur: ex altera parte videns hoſtes aliquo modo retrocedere, jubet cataphractos ex equis deſcendere: alios ſtrictis gladiis ſcutisque arreptis: alios captis ſariſſis conari per fracta verberatione mœnia irrumpere. Omnes imbelles præterea, qui caſtra ſequerentur, haſtatos, ad morem Pannonum, ſupra collem urbi imminentem vult conſiſtere ad decipiendos Turcas urbem defendentes: quaſi milites ibi ſunt collocati ad invadenda mœnia: dato hoc ijs negotio: ut cum urbem acrius invadi viderent, cum clamore ipſi & ſtrepitu deſcenderent. Turcæ visâ innumerabili propè multitudine deſcendentium à colle, animis concidunt: nudant omni præſidio muros: irruit ingens Chriſtianorum multitudo parte eâ, ubi ſcalæ hæſerant. Turcæ qui reliqui erant, in arcem fugiunt; qui remanſerant, trucidantur; urbs diripitur. Oppugnantur validè etiam qui arcem tenebant Turcæ, commeatus preſſi inopiâ cum hoſte paciſcuntur, ut ſibi cum armis, ſocijs, vexillis, impedimentis liceret tutò excedere. *Exceſſit*, ut in nummo vides, *ſedibus ſuis Lippa: mæſtâ ſedet convaſatis armis, quidq; nunc capiendum ſit conſilij meditatur.*

Digitized by Google



Ad ſupplendam, quam promiſimus hiſtoriam, Caſſani Baſſæ quoque effigiem in nummo exhibemus, qui cum 5000 equitum millibus à Mahumete Baſſa, totius exercitus Turcici præfecto, ad Lippæ obſidionem miſſus: arcem illam flammis corruptam invenit: ſed munitiones non omninò deſtructas eſſe cernens, igne prorſus extincto, eas inſtauravit: Mahumetumque ejus rei certiorem facit. Solimorum quoque arcem vicinam ſitu inexpugnabilem, à præſidiarijs tamen alieno pavore conſternatis deſertam occupavit: quos fugientes adſecuti Turcæ ad unum omnes ſine certamine trucidaverunt: excepto centurione arci ab Aldana impoſito, qui captivus ad Caſſan Baſſam perductus fuit. *Natalis Comes: Author.*

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS EIDEM HENRICO II. GALLIArum Regi, de rebus proſperè in bello geſtis, congratulans: Anno Chriſti 1652.



EJusdem, cum ſuperioribus, argumenti atque tenoris hic Nummus eſt: ut qui ob virtutem fortunamque militarem Henrico Laurum deberi communi orbis conſenſu atteſtetur. Temporis non nihil ordo in ejus inſcriptione turbatur, quem ſic reponimus.

I. Octavium Farneſium, ne Gonzaga præfectus Mediolanenſis, Parmam ſibi eriperet, metuentem, in ſuum recipit patrocinium: & Parmæ Gallicum militem imponit præſidio. Pontifex Julius factum Octavij fert indignè, eumque Romam citat: rogatus à Cæſare ad ferendas ſuppetias Minandulam obſidet: hujus, ut & Parmæ capiendæ ſpe cum fruſtraretur certis conditionibus cum Gallo tranſigit, deſerto ſocio Cæſare. *Sleidanus.*

II. Potinus dux belli Gallicus naves aliquot Belgicas, pretioſis mercibus onuſtas in Oceano mari cæpit: Briſſaccus in Pedemontio & Taurinis oppida multa, inprimiſque Cherium & Sandamianum. *Idem.*

III. Senenſes a Mendoza Præfecto Cæſariano durius habiti ad Gallos deficiunt: Præfecto & Hiſpanis urbe ejectis. Cum enim prius è Cæſarianis Montacutus cum octingentis peditibus Senam fuiſſet ingreſſus, id adeò indignum Senenſibus viſum fuit, ut ſummum ſtudium in colligendis copijs poſuerint: ac paucis inde diebus Nicolaum Petilianum Comitem cum 4000 peditum ex compoſito clam in urbem intromiſerit, Senenſibus cunctis pro patria libertate arma capeſſentibus: Iis ingreſſis, Cæſariana præſidia, non ſine magna utrinque clade, ſunt ejecta. Superſtites Hiſpani partim ſeſe in oppidulum partim ad Cænobium Divi Dominici quod munierant, receperunt. Poſtridiè Comes Sancti Florius cum duobus millibus recentium peditum ingreſſus cænobium & oppidulum multis Hiſpanis trucidatis expugnavit. *Com. Natalis.*

IV. Metim Mediomatricum urbem non ob præſidiarios modo

Digitized by Google

Cæſar optimè inſtructos, quorum ad octo millia equitum ex flore juvẽtutis Gallicæ, ſub Franciſco Lotharingo Guiſio duce militabant, ſed aeris etiam intemperiem relinquere, & obſidionem ſolvere cogebantur. Bruma enim continuo gelu corpora urebat: cui incommodo cum mox pluviæ continuæ ſupervenirent, reſoluta nive omnia aquis tegebantur: milites indies magno numero ex alvi ſolutione interibant. Quippe enim de centum peditum millibus, quæ Cæſar ad urbem deduxerat, ſupra quadraginta millia hyemis iutemperies abſumſerat. *Pontus Heuterus.*

V. Hesdino à Cæſarianis, duce Roſſæo, capto, Henricus maximis copijs contractis Vermanduorum finibus propinquat. Roſſæus viribus diffidens copias retrò deducit, relicto filio cum firmis præſidijs. Cæterum ubi id acceſſiſſent Gallicæ copiæ, Vandomius tormentario negotio præfectus tormenta eo attrahi jubet: quo facto tanta vehementia tantoque ſtudio arx concuti cæpit, ut quatuor globorum millia in muros contorta ſint, nullâ tamen parte muri humiliore patefacta, cum verberatio diſtaret ab imo pluribus viginti pedibus. Tandem præſidia arcis atque cives ita ſe dedunt, ut præter libertatem & impedimenta cuncta victoris arbitrio committerentur, atque ut exire liceret cum vexillis ad profectionem explicatis, & cum duobus mediocribus tormentis. Roſſæi filius quamvis ſatis diu obſidionem pertuliſſe ſibi viſus eſt: tamen quia nondum hoſtes arcem invaſerant, veritus paternam indignationem à patris præſentia diu abſtinuit. Galli ita recuperatum Heſdinum ſingulari diligentiâ muniunt, omnibusque neceſſarijs inſtruunt. *Comes Natalis.*

Digitized by Google

NUMMI ICONICI

ALBERTI MARCHIONIS BRANdenburgici, & Philippi Ducis Brunſuicenſis referentes imagines · Cuſi ante pugnam ad Viſurgim commiſſam: Anno Chriſti 1553.







HEnricus Dux Brunſuicenſis, qui certis de cauſis cũ Mauritio Electore Saxoniæ, muniendi ſui cauſa, fœdus feciſſet: contra Albertũ Brandenburgicum: Epiſcopis atq; Norimbergicis auxilia promiſiſſet, magnãq; exercitus Mansfeldici partẽ ad ſe traduxiſſet, per Philippum filium vicinis bellum infert: graſſatur per Epiſcopi Monaſterienſis, Mindenſis, Erici principis agnati ſui, & Bremenſium fines, ab ijsque vim pecuniæ permagnam extorquet. In Franconiam tandem exercitu translato, Suinfurtum obſidet, quod Albertus valido præſidio firmaverat. Ubi vero Albertum in Saxoniam bellum transtuliſſe cognovit: periculum domi eſſe videns, ac Henrici patris ditionem devaſtari audiens, obſidionem ſolvit: Saxoniam repetit. Idem faciunt Mauritiani, quibus præerat Hedeccus, & propè Northuſium Mauritio ſeſe conjungunt. Et quoniam Albertus in agrum Mindenſem deflexerat

Digitized by Google

Mauritius quod putaret illum per Haſſiam iturum, & in Franconiam denuò facturum impetum, Northuſio petit Embecum, ut illum anteverteret. Tandem omnibus conjunctis copijs in agro Hildeſemonſi caſtra ponit ad Oſterodum, & calendis Julij cum ſocijs Philippo Brunſuicenſi, & Boëmiæ Cancellario Henrico Plavio, Ferdinandi Regis nomine bellum ei denunciat: Is conditionem accipit, & legatos interceſſores à ſe dimittit: orat etiam Cæſarem, adductis in perduellionis ſuſpitionem adverſarijs ſuis, ut pacta ſua cū Epiſcopis eſſe rata velit. Nono die Julij à meridie ad Viſurgim flumen præliū inter Mauritium & Albertū committitur: hic vincitur: ille victor globuli ictu in latere dextro ad ilia accepto proſternitur, in caſtra relatus biduò poſt vitam finit. Henricus Brunſuicenſis duos eâ in pugnâ amiſit filios, Carolum Victorem, & Philippum Magnum. Deſiderata ſunt quatuor circiter millia, plærique equites: captivorum ingens numerus.

Albertus fugâ elapſus Hanobriam pervenit incolumis. *Sleidanus. Thuanus.*

NUMMUS CASTRENSIS PHILIBERTI, DUCIS SABAUDIÆ Cæſarianarum copiarum, in obſidione Heſdini, Præfecti: Cuſus Anno Chriſti 1553.




HENRICUS Gallorum Rex, auditâ Tervannæ jacturâ, magnoperè turbatus eſt: quod tot præclaros Duces uno tempore cum urbe amiſiſſet. Veritus igitur, ne Heſdinum ijsdem artibus caperetur, cui Robertus Dux Bullionæus cum præſidio præerat, mittit eò quoque Horatium Farneſium, cum multis Italis Galliæque Proceribus. Vice verſâ, Philibertus Allobrogum hos apparatus percipiens, incredibili ſtudio Cæſarianas copias Heſdinum adducit, arctiſſimâ, tribus lateribus, oppidum cingit obſidione: concutit plus minus ſeptuaginta tormentis bellicis: facit cuniculos ubique ad evertenda mœnia: nullum quietis ſpacium obſeſſis neque interdiu, neque nocte relinquit. Gallorum eâ in expugnatione licet fortitudo enituerit evidenter: Cæſariani etiã multa ſuorum jacturâ coacti fuerint in caſtra recedere: renovatâ tamen verberatione, atque per has pugnas paulatim defenſoribus imminutis, Bullionæus deditionem certis conſilijs decernit. Dux Sabaudus cum appareret illis pactionib. aſſentiri, nec quicquã de eſſet præter obſides, & ſubſcriptiones, Cæſariani, qui rem ægrè ferebant, quia vel gloriã, vel prædã, per hanc compoſitionẽ ſibi exiſtimabant è manibus præripi, levia certamina cũ Gallis committunt: paulò poſt etiam per ignem ſuppoſititium graviter læſi, tantâ corripiuntur indignatione, ut omni ſermone de fœdere neglecto conatus priſtinos renovarint, obſeſſis aggeres disjectos ſingulari diligentia reficientibus. Interim Dux Allobrogum ad expugnationem oppidi mirum quoddam ſtratagema excogitat: jubet verberationem acerrimè renovari: quæ cum per biduum facta fuiſſet, omnibus defenſionibus proſtratis, atque cuniculo ſub ijsdem mœnibus excavato, quo locus erat invadendus: ſtatutum eſt, ut cum primum phalanx ad murum accederet, aperiretur: alteraque ejus pars ad dextrã, altera ad ſiniſtram diſtribueretur, atque ita vacuum ſpacium in medio relinqueretur. Ubi dies ad pugnam deſtinatus adventaſſet, Allobrox Cataphractis in acie conſtitutis: addit agmen confertum peditum, milites jubet ad invadendum accurrere,

illi

illi ſimulantes ſe velle adoriri, bifariam dividuntur: tormenta continuo in obſeſſos diſploduntur: atque ignis ſubijcitur cuniculis, qua erat irrumpendum. Illuc Horatius Farneſius cum omni nobilitate confluxerat, quorum major pars cæſa eſt, aut vulnerata: atque Horatius ipſe globo trajectus interijt. Inexpectato hoc eventu muris collabentibus & aggeribus planâ prope viâ factâ eſt Cæſarianis: quo ſpectaculo territi reliqui defenſores, quamvis ſtrenuè pugnarent, diuque impetum ſuſtinuerant, viribus tamen impares cedunt tandem: Cæſariani oppidulo potiuntur, omnia ferro, cædibus, incendiis, populationibus, rapinis deſtruentes. Dux Bullionæus, cum multis præclariſſimis nobilibus, capitur. *De Elephanto naturæ produnt ſpeculatores, quod provocatus grave cum Dracone, Rhinocerothe, grandioribus animalibus alijs bellum gerat: erga debiliora ſit miti adeo placidoq; ingenio ut congregatim occurrentia proboſcide paulatim removeat ac ſegreget: ne forſan imprudens eorum aliquot proterat: Sic Infeſtus Infeſtis dux hic erat ſereniſſimus: turpe ducens lædere non læſum: aut minores gravius ulciſci injurias. Comes Natalis.*

Author.

NUMMUS CASTRENSIS HENRICI JUNIORIS, DUCIS Brunſuicenſis, cuſus poſt partam, de Alberto Brandenburgico, victoriam: Anno Chriſti 1553.



TRiſtis omnino, plenaque funeſti luctus pugna erat ad pagum Süverſhuſen 9. Julij Anni 1553. commiſſa: utpote in qua Albertus acie victus ægrè evaſit: Mauritius victor globo trajectus biduo poſt expiravit: occubuerunt Carolus & Philippus Brunſuigi Duces, Henrici filij: Fridericus Dux Luneburgenſis vulnus lethale accepit, Cellamque deportatus, aliquot inde diebus expiravit. Sed ne ſic quidem ſanguinis humani ſatis hauſerat Bellona ſæviens: oritur ex priore illo bellum recens ac novum: dum veterum offenſorum memores Henricus Brunſuicenſis, & Albertus Marchio pro ſe quisque colligunt atque reſtaurant copias. A re pecuniariâ laborabat Henricus: qua abundabat Albertus, mirantibus omnibus, unde illi tantum nervorum ad damnoſum adeo bellum ſuppeteret. Ea res ſummas in anguſtias Brunſuicum redegit, tumultuante milite, & ob ſtipendia non perſoluta jam propè ad Albertum, à quo interea ſolicitabatur, deficiente. Sed peropportunè accidit, ut ab Epiſcopis & Noribergenſibus pecunia ſubmitteretur: cujus interventu, ſeditionis æſtu reſidente, tempeſtas omnino conquievit. Duodecimo ſeptembris Albertus Brunſuico ſuas educit copias, & cum in hoſtem incidiſſet quod fuit non procul ab urbe, manus conſerit: funditur: quippe cum equitatu omni careret: Henricus autem ad viginti ſigna peditum haberet. Interea Albertus ab adverſo prœlio, in urbem Brunſuicum redit: verum ubi per indicem accepit, vi Henricus

Digitized by Google

ad urbem caſtra poneret, inde diſcedit: quosque potuit equites recolligit atque ut in Thuringia adventum ſuum expectent, jubet: quo paulo poſt, coactis undique copijs, contendit. *Henrici nummus fortunæ exhibere imaginem videtur: quâ tamen non tam confiſus fuerat Heros magnanimus: quam præpotentis Dei auxilio atq; præſidio. Id enim Symbolum innuit literis duntaxat initialibus expreſſum:* In Gottes gewalt/ hab ichs geſtalt. *Thuanus. Author.*

NUMMUS CASTRENSIS

PETRI STROZZÆ GALLICI EXercitus, qui in Italia & Atrebatibus regi militabat, ſummi Præfecti: Cuſus Anno Chriſti 1553.



HENRICUS ſecundus Rex Galliarum, cum parum ei feliciter hoc anno res in Gallia Belgioque ſucceſſiſſent, non malè rebus conſulturus ſuis videbatur, ſi vires Cæſarianæ, uno eodemque tempore, ad Italicum, Belgicumque bellum diſtraherentur. Statuit igitur pluribus in locis Cæſarem vexare, eoque conſilio Petrum Strozzam, ſummum Ducem in Italiam mittit, cum proregia poteſtate, qui præeſſet cum ſummo imperio omnibus regijs copijs, magnumque equitatus & peditatus numerum, undique ex Italis urbibus acciret ad ſtipendia: quin & ipſe promittit, magnas ſe ei copias è Gallia, proximâ æſtate, in Italiam miſſurum. Non deeſt rebus gerendis Petrus, uti videre apud Hiſtoricos, Jacobum inprimis Thuanum, licet: cum à Cæſare viciſſim Jacobus Medicæus Marchio Mariniani, ſummo imperio rerum militarium præficitur, qui clam inſtructis quibusdam Hiſpanorum cohortibus præcedens, Chamoliam munitionem Senæ urbis, à paucis negligenter cuſtoditam occupat. Strozza qui in Galliâ Subalpinâ faciendis bellicis apparatibus occupatus fuerat, citatis equis Senam convolat: urbem ingreſſus omnibus neceſſarijs reparationibus inſtruit: poſtea optimis firmiſſimisque præſidijs munit claſſium, Roſetum Montem Alcinoi, & reliqua Senenſis ditionis oppida. Longum ac periculoſum eo tempore bellum geritur, donec Regis tandem exercitus, cui Strozza præerat, in Hetruria à Cæſariano milite interceptus, ingenti clade mulctatur. *Conabatur magni*

Herois illius virtutem, ſæpè quidem mors terrere: coronam ei monſtrans: ut qui ne Regibus parcit: falcem ſtringens procurvam, quâ omne genus mortalium, ſeni inſtar reſecat: reſecuit etiam Petrum huncce Anno 1558. 22. Julij: cum in obſidione Dietenhovianâ globo trajectus occumberet. Sed quid illa? *Mihi* inquit, *non dominaberis!* Eleganter. Ut enim verè moritur, qui nihil in vita egit, quo ſe vixiſſe oſtenderet; ſic poſt obitum etiam

— Benefacta manent, æternaq; virtus
Non metuit, ſtygijs ut rapiatur aquis.

aut veluti vatum alius canit:

Diſcite virtutem Juvenes: nam ſola beatos
Nos facit, & diræ non timet arma necis,
Fortunæve minas, aut ſævi ſpicula fati
Quæq; facit tremulâ, curva ſenecta, manu.

Natalis Comes: Author.

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS

MARIÆ REGINÆ ANGLIÆ: CUſus reſtauratâ Pontificiâ religione in Anglia: unà cum monetâ aureâ, ſub inaugurationis feſtum in vulgus ſparsâ: Anno Chriſti 1553.



MOrtuo Eduardo Angliæ Rege, teſtamentique tabulis reſeratis apparuit, quod Mariam & Eliſabetham ſorores Germanas exhæredarit: Joannam, Henrici Ducis Suffolciæ filiarum natu maximam, ex aſſe hæredem ſcripſerit: quæ cum literis, judicioque, prudentiaque præſtaret, non admodum honoribus hiſce, præviſo quod ſibi immineret periculo, delectata fuit: parentis attamen voluntati repugnare noluit. Tulit hoc iniquiſſimè populus, non tam ſtudio Mariæ, quam odio Northumbrij Ducis, quum nemo ferè dubitaret, quin hujus ipſe author eſſet conſilij: nimirum, ut hâc viâ regnum, tanquam in ſuam domum derivaret. Maria interim in Norfolciam confugit, & opem implorans pro reginâ ſe gerit. Northumbrius collecto milite comprehendere eam ſtudet: qui verò in ur-

be erant conſiliarij, cum offenſionem ordinum non ignorarent, & magnæ manus ad Mariam confluerent, mutatâ voluntate regni ad eam ſceptrum deferunt, Joannam aſſervant cuſtodiâ. Capto inſuper Nothumbrio, & ſecuri percuſſo: Maria, ſummo populi applauſu, Regina renunciatur: adhibitis ceremonijs ſolennibus inauguratur. Cum paulò poſt etiam, ſopitis aliquatenus regni turbis, Philippo Caroli V. Filio deſponſata fuiſſet, totam ſeſe ad religionis negotium convertit: fert leges, quibus, quicquid ſupererat adhuc Evangelici inſtituti, tollitur, abrogatur: quotquot ad Pontificiam religionem redire nollent, ad ignem, ſuppliciaque alia rapiuntur.

Cæcis itaq; viſum reſtituit, ut emblema ejus habet: *timidis, & ſub Edoardo de religione Pontificia ne hiſcere quidem audentibus, libertatem pacem, quietem. Sleidanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

HENRICI II. GALLIARUM REGIS, cuſus expeditione in Belgium ſuſcepta: Anno Chriſti 1554.





AD exitum Junij Anni hujus 1554. Galliæ Rex, cum exercitu Campaniæ finibus egreſſus, ad Moſam flumen iter habet: & Cæſaris provinciam, extremis Nervijs conjunctam, invadens, Bovinum oppidum, & Dinantum inter alia multa cæpit, diripit, arces ibi demolitur: Mariæ delitias

itidem cæptas opere præſidioque munit. Cæſar autem Bruxellâ digreſſus cum ſuis copijs Namureum venit, quod eſt ad Sabim flumen, infra Dinantum, quinque milliaribus oppidum. Rex videbatur ad prœlium ſpectare, cumque duceretur tempus, in Hannoniam deflectit: & Binſium oppidum, arcemque reginæ Mariæ delitias deditione cæpit, & longè lateque rapinis ac incendijs omnem illam regionem devaſtat: in Arrebatũ tandem finibus Rentini oppidũ obſidet. Adventante autem Cæſare, & factis utrinq; levioribus prœlijs, ab obſidione tandem, Auguſto menſe, diſcedit. *Halece* (cum enim piſcem, non Delphinum eſſe arbitror) *Belgium Rex denotat: quod piſcis illius frequens ibi captura. Annulo cingit, & quaſi ſubarrhat ſibi politiſſimas ejus provincias Holandiam ac Selandiam. In pala annuli Adamas conſpicitur, Symbolum infracti invictiq; animi: quem & palma ramus denotat: ut victoriam laurus. Sleidanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMI VOTIVI

HENRICI II. GALLIARVM REGIS:

Cuſi plerique (ut ego conijcio) poſt confœderationem cum Imperatore Turcico factam: Anno Chriſti 1554.



IN propagandis regni ſui terminis, augendâve in immenſum potentiâ ardens patris æmulus Henricus II. Valeſius, Rex Francorum erat: *notârat tribus ſemilunis inter ſe complicatis, cupiditatem occupandi tres orbis partes: plenilunio orbem totum.* Certè, luminibus aliorum, & inprimis Auguſtalis domus Auſtriacæ ut obſtrueret, extrema quæque tentare: cum Turcâ quoque fœdus inire, inque viſcera Europæ hoſtem ſæviſſimum attrahere non dubitavit. Exemplo ſit Hariadenus Ahenobarbus, qui Solymanni juſſu infauſtas Gallicis rebus ferens ſuppetias, vaſtatâ Liguriâ: Iluâ, Igylio, Ænariâ & Liparâ inſulis, crudeli populatione afflictis, ingentem hominum miſerorum prædam ſub intolerabile Turcicæ ſervitutis jugum miſit: cum non pauci ex antiquioribus Galliæ Regibus in Aſiam & Africam lilia victricia, contra Mahumetanos, pro chriſtianorum ſalute & incolumitate gloriaque, laudabiliter inferre conſueviſſent. *Author.*

Digitized by Google

NUMMUS TRIUMPHALIS

PHILIPPI II. HISPANIARUM

& Angliæ Regis: cuſus poſt ſuppreſſam conjurationem Anglicanam: Anno Chriſti 1554.



CUM multâ Cardinalis Poli diligentiâ concluſum & ſtabilitum eſſet inter Philippum Hiſpaniarum Regem, & Mariam Reginam Britaniæ, certis conditionibus, matrimonium, complures ex Proceribus graviter id ferentes ad eas remorandas nuptias animum adjecerunt. Summa initæ conſpirationis capita fuerunt Thomas Viatus: Henricus Suffolcius: Petrus Carrus, præcipuæ authoritatis ac potentiæ viri. Carrus ad urbem Cornubiorum ſe conferens, immaturè tumultuari cœpit: ſed à reginâ accerſitus in Galliam aufugit. Viatus conſilia veritus ſua aperiri, auxiliis amicorum adjutus repentè Londinum verſus iter capit: Maria, ne quid detrimenti urbs caperet, Suffolcium ad ſe acciri jubet, quem rebus militaribus cum ſummo præficeret imperio: verùm regulus ille clandeſtina conſilia detecta eſſe metuens, cum ducentis equitibus Londino egreſſus in regionem Varoichiam ſe recipit, ibique pluribus auctus viribus ſtudet aliqua munitione potiri. Sed irriti omnes hi conatus: fruſtraneæ machinationes, cum Regina urbium munitionumque præfectos, ne illum admitterent, per literas monuiſſet, & Huntingtonium Comitem cum ſatis validâ manu peditum, equitumque contra eum miſiſſet. Diſſipatis, cæſiſque copiis hoſtilibus hiſce Suffolcius & Viatus hoſtes Reipub. judicantur, capiuntur, ultimoque ſupplicio unà cum Joanna Graia Suffolcia ejuſdemque maritò Northumbrij filio, afficiuntur: Eliſabetha Reginæ ſoror, quod & ipſa conjurationis rea diceretur, carceri mancipatur. In nummo

Rex

Digitized by Google

Rex Philippus *Bellerophontis imagine repræſentatur: quaſi Chymaram vicerit, hoc eſt, curâ ac vigilantiâ ſua clandeſtinam trium Angliæ Procerum conjurationem indagarit: irrita eorum conſilia fecerit: magno Angliam periculo liberarit.*

Thuanus. Author.


Digitized by Google

illi ſimulantes ſe velle adoriri , bifariam dividuntur: tormenta continuo in obſeſſos diſploduntur: atque ignis ſubijcitur cuniculis, qua erat irrumpendum. Illuc Horatius Farneſius cum omni nobilitate confluxerat, quorum major pars cæſa eſt, aut vulnerata: atque Horatius ipſe globo trajectus interijt. Inexpectato hoc eventu muris collabentibus & aggeribus planâ prope viâ factâ eſt Cæſarianis : quo ſpectaculo territi reliqui defenſores, quamvis ſtrenuè pugnarent, diuque impetum ſuſtinuerant, viribus tamen impares cedunt tandem : Cæſariani oppidulo potiuntur, omnia ferro, cædibus, incendiis, populationibus, rapinis deſtruentes. Dux Bullionæus, cum multis præclariſſimis nobilibus, capitur. *De Elephanto naturæ produnt ſpeculatores, quod provocatus grave cum Dracone, Rhinocerothe, grandioribus animalibus alijs bellum gerat: erga debiliora ſit miti adeo placidoq; ingenia ut congregatim occurrentia proboſcide paulatim removeat ac ſegreget: ne forſan imprudens eorum aliquot proterat: Sic Infeſtus Infeſtis dux hic erat ſereniſſimus: turpe ducens lædere non læſum: aut minores gravius ulciſci injurias. Comes Natalis.*

Author.

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS HENRICI JUNIORIS, DUCIS Brunſuicenſis, cuſus poſt partam, de Alberto Brandenburgico, victoriam: Anno Chriſti 1553.



TRiſtis omnino, plenaque funeſti luctus pugna erat ad pagum Süverhuſen 9. Julij Anni 1553. commiſſa: utpote in qua Albertus acie victus ægrè evaſit: Mauritius victor globo trajectus biduo poſt expiravit: occubuerunt Carolus & Philippus Brunſuigi Duces, Henrici filij: Fridericus Dux Luneburgenſis vulnus lethale accepit, Cellamque deportatus, aliquot inde diebus expiravit. Sed ne ſic quidem ſanguinis humani ſatis hauſerat Bellona ſæviens: oritur ex priore illo bellum recens ac novum: dum veterum offenſorum memores Henricus Brunſuicenſis, & Albertus Marchio pro ſe quiſque colligunt atque reſtaurant copias. A re pecuniariâ laborabat Henricus: qua abundabat Albertus, mirantibus omnibus, unde illi tantum nervorum ad damnoſum adeo bellum ſuppeteret. Ea res ſummas In anguſtias Brunſuicum redegit, tumultuante milite, & ob ſtipendia non perſoluta jam propè ad Albertum, à quo interea ſolicitabatur, deficiente. Sed peropportunè accidit, ut ab Epiſcopis & Noribergenſibus pecunia ſubmitteretur: cujus interventu, ſeditionis æſtu reſidente, tempeſtas omnino conquievit. Duodecimo ſeptembris Albertus Brunſuico ſuas educit copias, & cum in hoſtem incidiſſet quod fuit non procul ab urbe, manus conſerit: funditur: quippe cum equitatu omni careret: Henricus autem ad viginti ſigna peditum haberet. Interea Albertus ab adverſo prœlio, in urbem Brunſuicum redit: verum ubi per indicem accepit, vi Henricus

X

Digitized by Google

ad urbem caſtra poneret, inde diſcedit: quosque potuit equites recolligit atque ut in Thuringia adventum ſuum expectent, jubet: quo paulo poſt, coactis undique copijs, contendit. *Henrici nummus fortunæ exhibere imaginem videtur: quâ tamen non tam confiſus fuerat Heros magnanimus: quam præpotentis Dei auxilio atq; præſidio. Id enim Symbolum innuit literis duntaxat initialibus expreſſum:* In Gottes gewalt/ hab ichs geſtalt. *Thuanus. Author.*

NUMMUS CASTRENSIS

PETRI STROZZÆ: GALLICI EXercitus, qui in Italia & Atrebatibus regi militabat, ſummi Præfecti: Cuſus Anno Chriſti 1553.



HENRICUS ſecundus Rex Galliarum, cum parum ei feliciter hoc anno res in Gallia Belgioque ſucceſſiſſent, non malè rebus conſulturus ſuis videbatur, ſi vires Cæſarianæ, uno eodemque tempore, ad Italicum, Belgicumque bellum diſtraherentur. Statuit igitur pluribus in locis Cæſarem vexare, eoque conſilio Petrum Strozzam, ſummum Ducem in Italiam mittit, cum proregia poteſtate, qui præeſſet cum ſummo imperio omnibus regijs copijs, magnumque equitatus & peditatus numerum, undique ex Italis urbibus acciret ad ſtipendia: quin & ipſe promittit, magnas ſe ei copias è Gallia, proximâ æſtate, in Italiam miſſurum. Non deeſt rebus gerendis Petrus, uti videre apud Hiſtoricos, Jacobum inprimis Thuanum, licet: cum à Cæſare viciſſim Jacobus Medicæus Marchio Mariniani, ſummo imperio rerum militarium præficitur, qui clam inſtructis quibusdam Hiſpanorum cohortibus præcedens, Chamoliam munitionem Senæ urbis, à paucis negligenter cuſtoditam occupat. Strozza qui in Galliâ Subalpinâ faciendis bellicis apparatibus occupatus fuerat, citatis equis Senam convolat: urbem ingreſſus omnibus neceſſarijs reparationibus inſtruit: poſtea optimis firmiſſimisque præſidijs munit claſſium, Roſetum Montem Alcinoi, & reliqua Senenſis ditionis oppida. Longum ac periculoſum eo tempore bellum geritur, donec Regis tandem exercitus, cui Strozza præerat, in Hetruria à Cæſariano milite interceptus, ingenti clade mulctatur. *Conabatur magni*

Herois illius virtutem, ſæpè quidem mors terrere: coronam ei monſtrans: ut qui ne Regibus parcit; falcem ſtringens procurvam, quâ omne genus mortalium, fœni inſtar reſecat: reſecuit etiam Petrum huncce Anno 1558. 22. Julij: cum in obſidione Dietenhovianâ globo trajectus occumberet. Sed quid illa? *Mihi* inquit, *non dominaberis!* Eleganter. Ut enim verè moritur, qui nihil in vita egit, quo ſe vixiſſe oſtenderet; ſic poſt obitum etiam

— Benefacta manent, æternaq; virtus
Non metuit, ſtygijs ut rapiatur aquis.

aut veluti vatum alius canit:


Diſcite virtutem Juvenes: nam ſola beatos
Nos facit, & diræ non timet arma necis,
Fortunæve minas, aut ſævi ſpicula fati
Quæq; facit tremulâ, curva ſenecta, manu.

Natalis Comes: Author.

Digitized by Google

NUMMUS VOTIVUS
MARIÆ REGINÆ ANGLIÆ: CUſus reſtauratâ Pontificiâ religione in Anglia: unà cum monetâ aureâ, ſub inaugurationis feſtum in vulgus ſparsâ: Anno Chriſti 1553.





MOrtuo Eduardo Angliæ Rege, teſtamentique tabulis reſeratis apparuit, quod Mariam & Eliſabetham ſorores Germanas exhæredarit: Joannam, Henrici Ducis Suffolciæ filiarum natu maximam, ex aſſe hæredem ſcripſerit: quæ cum literis, judicioque, prudentiaque præſtaret, non admodum honoribus hiſce, præviſo quod ſibi immineret periculo, delectata fuit: parentis attamen voluntati repugnare noluit. Tulit hoc iniquiſſimè populus, non tam ſtudio Mariæ, quam odio Northumbrij Ducis, quum nemo ferè dubitaret, quin hujus ipſe author eſſet conſilij: nimirum, ut hâc viâ regnum, tanquam in ſuam domum derivaret. Maria interim in Norfolciam confugit, & opem implorans pro reginâ ſe gerit. Northumbrius collecto milite comprehendere eam ſtudet: qui verò in ur-

be erant conſiliarij, cum offenſionem ordinum non ignorarent, & magnæ manus ad Mariam confluerent, mutatâ voluntate regni ad eam ſceptrum deferunt, Joannam aſſervant cuſtodiâ. Capto inſuper Nothumbrio, & ſecuri percuſſo: Maria, ſummo populi applauſu, Regina renunciatur: adhibitis ceremonijs ſolennibus inauguratur. Cum paulò poſt etiam, ſopitis aliquatenus regni turbis, Philippo Caroli V. Filio deſponſata fuiſſet, totam ſeſe ad religionis negotium convertit: fert leges, quibus, quicquid ſupererat adhuc Evangelici inſtituti, tollitur, abrogatur: quotquot ad Pontificiam religionem redire nollent, ad ignem, ſuppliciaque alia rapiuntur.

Cæcis itaq; viſum reſtituit, ut emblema ejus habet: *timidis, & ſub Edoardo de religione Pontificia ne hiſcere quidem audentibus, libertatem pácem, quietem. Sleidanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

HENRICI II. GALLIARUM REGIS,

cuſus expeditione in Belgium ſuſcepta: Anno Chriſti 1554.




AD exitum Junij Anni hujus 1554. Galliæ Rex, cum exercitu Campaniæ finibus egreſſus, ad Moſam flumen iter habet: & Cæſaris provinciam, extremis Nervijs conjunctam, invadens, Bovinum oppidum, & Dinantum inter alia multa cæpit, diripit, arces ibi demolitur: Mariæ delitias

itidem cæptas opere præſidioque munit. Cæſar autem Bruxellâ digreſſus cum ſuis copijs Namureum venit, quod eſt ad Sabim flumen, infra Dinantum, quinque milliaribus oppidum. Rex videbatur ad prœlium ſpectare, cumque duceretur tempus, in Hannoniam deflectit: & Binſium oppidum, arcemque reginæ Mariæ delitias deditione cæpit, & longè lateque rapinis ac incendijs omnem illam regionem devaſtat: in Arrebatū tandem finibus Rentini oppidū obſidet. Adventante autem Cæſare, & factis utrinq; levioribus prœlijs, ab obſidione tandem, Auguſto menſe, diſcedit. *Halece* (cum enim piſcem, non Delphinum eſſe arbitror) *Belgium Rex denotat: quod piſcis illius frequens ibi captura. Annulo cingit, & quaſi ſubarrhat ſibi politiſſimas ejus provincias Holandiam ac Selandiam. In pala annuli Adamas conſpicitur, Symbolum infracti invictiq; animi: quem & palma ramus denotat: ut victoriam laurus. Sleidanus. Author.*

NUMMI VOTIVI

HENRICI II. GALLIARUM REGIS:

Cuſi plerique (ut ego conijcio) poſt confœderationem cum Imperatore Turcico factam: Anno Chriſti 1554.



IN propagandis regni ſui terminis, augendâve in immenſum potentiâ ardens patris æmulus Henricus II. Valeſius, Rex Francorum erat: *notârat tribus ſemilunis inter ſe complicatis, cupiditatem occupandi tres orbis partes: plenilunio orbem totum.* Certè, luminibus aliorum, & inprimis Auguſtalis domus Auſtriacæ ut obſtrueret, extrema quæque tentare: cum Turcâ quoque fœdus inire, inque viſcera Europæ hoſtem ſæviſſimum attrahere non dubitavit. Exemplo ſit Hariadenus Ahenobarbus, qui Solymanni juſſu infauſtas Gallicis rebus ferens ſuppetias, vaſtatâ Liguriâ: Iluâ, Igylio, Ænariâ & Liparâ inſulis, crudeli populatione afflictis, ingentem hominum miſerorum prædam ſub intolerabile Turcicæ ſervitutis jugum miſit: cum non pauci ex antiquioribus Galliæ Regibus in Aſiam & Africam lilia victricia, contra Mahumetanos, pro chriſtianorum ſalute & incolumitate gloriaque, laudabiliter inferre conſueviſſent. *Author.*

Rex Philippus *Bellerophontis imagine repræſentatur: quaſi Chymaram vicerit, hoc eſt, curâ ac vigilantiâ ſua clandeſtinam trium Angliæ Procerum conjurationem indagarit: irrita eorum conſilia fecerit: magno Angliam periculo liberarit.*

Thuanus. Author.

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

GUIDOBALDI DUCIS URBINI:

ſummi exercitus Pontificij Imperatoris ſeu Capitanei: cuſus Anno Chriſti 1555.



CLaruit literis ſimul & armis hic Guidobaldus Roboreus vel Monfeltrius: Dux Urbini IIII: Piſauri Dynaſta: Soræ & Senogalliæ dominus. Habetur quippe in elogio ejus, quod pacis tempore ſtudia calidè habuerit: Hiſtoricus, Muſicus, Architectus fuerit inſignis: Martis verò atque armorum peritiæ bellicæ documenta plurima dederit: factus Capitaneus ſeu Imperator totius exercitus Pontificij, cum bellum arderet in Hetruria, Anno Chriſti 1553. à Cæſare verò Carolo V. Eques ordinis Toſani creatus. Verum ut nulla felicitas firmo ſemper immotoque ſtat pede; ſic neque hujus perduravit. Corruptus namque à miniſtris malignis, exactionibus ſubditos, inprimis Urbinates ac Eugubinos, oneravit: ideo in odium populi incidens, tumultum ejus expertus eſt, & melancholiâ gravatus in febrim quartanam incidit, quâ menſe integro laborans moritur tandem in Piſauro, Anno Chriſti 1578. 29 Septembr: ſymboli ei loco fuere *Pyramidei ſeu Obeliſci tres, ordine caveæ quadratæ impoſitæ: cum inſcriptione φιλαρετοτάτῳ virtutis amantiſſimo: & alterum quod hic vides propugnaculum Senogalliæ referens, ita à ſe extructum, ut ad omnem orbis plagam vim impetumq́; hoſtilem arceat.*

Henninges in Chronologia: Author.

NUM-

NUMMUS MEMORIÆ SACER

COSMI MEDICIS, DUCIS FLORENTINI: cuſus Inſulâ Iluâ, contra Turcarum incurſiones, munitâ: Anno Chriſti 1555.



CUm Saba Rais Turcarum Archipirata, biremibus aliquot ac myobaronibus, univerſa littora maris mediterranei devaſtaret: proxima quæque littoribus prædationibus, latrocinijs, incendijs repleret: multa caſtella Chriſtianorum acerrimè popularetur, catenatis ad tranſtra colonis: non mediocris terror Italicis littoribus injectus fuit. Veneti prædationibus hiſce excitati Pandulphum Contarenum, Præfectum claſſis (quæ erat deſtinata cuſtodijs ſinus Adriatici) mittunt ad audaciam, & incurſiones Piratarum reprimendas, reſtinguendaque tantarum calamitatum incendia. Sed neque partibus ſuis defuit Coſmus, Magnus Dux Hetruriæ: princeps perpetuâ dignus memoriâ. Præterquam enim, quod pacificatâ Hetruriâ ordinem militum S. Stephani, qui Piratas toto mari proſequerentur, inſtituit, annuiſque proventibus ornavit: quod Regi Hiſpaniarum, adverſus Turcam exercitum paranti, auxiliares copias miſit: quod militiam perpetuam, quam Ordinanrzam appellant, quadringentis levis armaturæ, & ducentis Cataphractis Equitibus, quorum virtute regni fines tueretur, publico ſtipendio alendis, conſtantem erexit, hoc inſuper beneficijs Reipublicæ præſtandis adijciendum putauit: ut in Inſulâ Ilua (Elbam hodiè dicunt) non procul à Plumbino Tuſciæ promontorio ſitâ, urbem è fundamentis excitaret, firmamentis ac propugnaculis munitiſſimam: Coſmopolin appellatam: quò non ſolum ſe, ac ipſam Inſulam: ſed etiam Thuſcos vicinoſque his Ligures adverſus externos hoſtes immunes & ſecuros redderet. Facti illius memoriam poſteris, hoc nummo, relinquere voluit. *Jacob: Schrenck à Notzingen. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS CASTRENSIS

COSMI MEDICI, DVCIS FLOrentini: Cuſus durante obſidione Senenſi: Anno Chriſti 1555.



SEnenſes graviter à Cæſarianis obſeſſi (obſidionis cauſa ex Hiſtoricis tibi nota eſt, Lector amice) quotidiè multiplicatis munitionibus magis magisque premebantur, ut mira eſſet omnium rerum victui neceſſariarum penuria. Licet autem ſolicitarentur obſeſſi, monerenturque per literas Ducis Hetruriæ, ut ſe Cæſari dederent: nec expectarent acerbitatem victoriæ, quæ vel moderatiſſima valdè ſolet eſſe inſolens: tantus tamen erat priſtinæ conſervandæ libertatis ardor, ut neque conſilia amicorum, neque inimicorum minæ quicquam proficerent. Marinianus tam obſtinatos eſſe ſentiens, nova tormenta imperat attrahi Florentiâ, atque ad eam partem murorum dirigit, quam Pius ſecundus Pontifex reficiendam curaverat: quod illam putarat debiliorem: ſed cum tanta eſſet obſeſſorum in reſtaurandis reparationibus adverſus ruinas diligentia, ab incepto deſtitit. Tandem cum milites æquè atque cives victus inopiâ defatigati, afflictique non poſſent diuturnam obſidionem inediamque perferre, ulterius certis conditionibus ſeſe Cæſari dederunt. Cum verò intellexiſſent, urbem in poteſtatem Ducis Hetruriæ, de Cæſaris conſenſu, perventuram eſſe, ita animo fuêre perculſi & conſternati, ut omnis ætatis homines, relictâ patriâ, paterniſque ſedibus una cum Gallicis præſidiis exiverint: quippe cum nativa quædam æmulatio & malevolentia jam multos annos inter Senenſes & Florētinos duraret. Quoniam verò multa oppida à Philippo Hiſpaniarum rege poſſidebantur in Hetruria, ita Anno demum 1557. compoſita res fuit, ut Coſmus Dux Florentiæ omnia Senenſis ditionis poſſideret, præter Urbatellum, Portum Herculis, ac Telamonium. Inprimis autem ob perpetuas Turcarum incurſiones Philippus Rex, & ante eum Carolus V. Cæſar urbem Senenſem eidem Coſmo commendarunt, utpote cujus potentiam cognoviſſent, & induſtriam in omni genere publicæ adminiſtrationis. Illud enim mediocre

ſolatium,

Digitized by Google

ſolatium, in tantis moleſtiis, occurrebat prudentioribus Senenſium è civilegio: quod erant futuri ſub ejus Principis tutela, cujus neque prudentiam, neque juſtitiam, in publicis privatiſque rebus, ne hoſtes quidem auderent reprehendere. Hanc præcipuam ſententiam conceperunt populares, nobiliorum tyrannide liberati: ad quorum calamitates quidam alludens hæc carmina compoſuit:

Leno Diegus erat: Sena ſed Caſar amator:
Hanc, ad amatorem, dum violentus agit,
Fugit ad Henrici, Virgo, indignata petentis
Blanditias: Galli deinde fovetur ope.
Hanc cupit: hanc petit: impatiens fit Caſar amorum,
Mittit ad hanc, Medices, protinus inde, Ducem.
Nititur is ferro morbum depellere, & igni:
At Medicâ multo plus valet arte malum.
Additur huic tenuis victus, tenuiſq; dieta
Exanguis, pallens, & macilenta fit hac.
Deformem ſenſit Caſar, pertæſus amorum,
Hanc donat Coſmo: reddidit ille decus.

Nummi Emblema quid velit, explicationis expeditæ eſt. *Offert quippe obſeſſis Senenſibus pacem Coſmus; ſi eam amplecti velint: exitium & interitum, ſi repudiarint. Illius olea hieroglyphicon: hujus Clypeus, thorax ferreus, haſta, armatura reliqua. Natalis Comes.*

Author.

NUMMUS HONORARIUS

FERDINANDI, FRATRIS CAROLI:

Cuſus in comitiis Auguſtæ Vindelicorum habitis: Anno Chriſti 1555.



CÆſar, Anno ſuperiore, comitia Vlmam indixerat: dein Auguſtam Vindelicorum transtulerat, quibus cum propter valetudinem ipſe adeſſe non poſſet, Ferdinando Fratri partes ſuas committit. Profectus itaque Auguſtam Ferdinandus cum multa de turbato, & religionis, & Reipub. ſtatu, verba feciſſet, oſtendit, quantum utilitatis in omnem non modo Germaniam, ſed etiam univerſum Chriſtianum orbem ſit redundaturum, ſi Germaniæ Eccleſiæ Romanæ reconciliarentur: nihil verò magis ad pacem ſpectare & tranquillitatem, quam ſi omnes de religione controverſiæ, univerſarum gentium Chriſtiani nominis, ad Synodum deferantur. Nec caruit effectu oratio ejus, prudensque conſilium, ſiquidem iisdem in comitiis pax religioni in conventu Paſſavienſi promiſſa publico imperij decreto confirmata fuit: ne ſcilicet ulli Principi, Comiti, aut civitati Imperiali bellum inferretur, propter doctrinam religionis. Fuitque hic annus 35. ab Anno 1521. quo primùm Edicto Caroli V. Lutheri doctrina damnata, atque ut hæretica proclamata fuit. *Sleidanus. Author.*

Digitized by Google

NUMMUS HONORARIUS PHILIPPI SECVNDI HISPANIÆ Regis; Cuſus, regnis & Provinciis omnibus, à Carolo V. Imper. patre, ſibi traditis: Annò Chriſti 1555.



Carolus V. Imper. annum ætatis agens quinquageſimum quintum, rebus compluribus feliciter peractis, cum ſe animo, corporeque deficere ſentiret, quod dudum propoſuerat, exequi, Filioque Philippo regna ditionesque omnes tradere ſtatuit. Octavo igitur Septemb. ex Anglia (ubi hactenus cum nova nupta degerat) in Belgium evocatum, cumque honorifico Hiſpanorum Anglorumque comitatu advenientem recipit: 7. Cal. Novembris Bruxellam ordines Belgarum omnes convenire jubet, iisque præſentibus conſentientibusque, rem Principibus raram, mirante mundo, perfecturus, certâ ad vitam ſervatâ pecuniæ annuæ ſummâ, in filium omnia regna transferre decernit. Fratri quoque Ferdinando Romanorum Regi Imperij jura, dignitatemque cum Cæſaris titulo concedenda cenſuit. Rebus igitur neceſſariis ad hanc rem conſtitutis in præſentiâ ordinum, Procerumque Belgarum, certis adhibitis ceremoniis, ſupremam familiæ Burgundiæ authoritatem in filium Philippum transfert, Principem eum Equitum aurei velleris conſtituens. Sumpto prandio ad ampliſſimam Palatij aulam deſcendit comitatus filio Philippo, Sorore Maria, Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, Procerum turbâ, Regum Principumque confœderatorum Legatis. Tum in paratam paulò altiori loco ſedem conſidet, & per Philibertum Bruxellium arcani conſilij Senatorem, Proceribus voluntatem ſuam exponit. Finitâ oratione Cæſar ipſe quædam, à Bruxellio omiſſa, ſubjungit: comprimis Filium Philippum Belgis: hos filio, multis cum lachrymis, commendat. Auditus eſt ab omnibus ſummâ cum attentione, cumque dicendi ſuavitate, gravitateque omnium animos commoviſſet, magno numero præſentes lachrymas fundebant, ſingultusque adeò ſonoros edebant, ut ipſum Cæſarem Reginamq; Mariam collachrymari cogerent. Exinde Jacobus Maſſius Antuerpien-

Digitized by Google

ſium Syndicus, juſſu ordinum, prolixâ oratione reſpondet, gratias agens Cæſari, & cm ipſi, tum ejus ſororibus fœlix tutumque iter precatur. Mox Philippus Rex è ſede ſurgens coram patre Cæſare in genua ſe mittit, indignumque ſe tanto honore munereque profeſſus, gratias agit: & Ordinibus per Antiſtitem Atrebatenſem Antonium Perenotum promptam animi voluntatem indicat. Cæſar poſtea cum ſororibus, ſalutatis Regum ac Principum Legatis, navem conſcendit, & cum quindecim Cantabricis onerariis, viginti Belgarum Hulckis, viginti & uno inſtructiſſimis Anglicis onerariis, optimè armatis, feliciter tandem Laredium, Biſcariæ oppidi portum appulit, terramque, in genua procidens, exoſculatus gratias Deo de itineris felicitate agit. Emblema nummi, eodem in conventu diſtributi, elegans eſt. *Suſtinere Atlantis in morem, cœlum dicuntur, qui onus ſubeunt grave atque moleſtum: cujusmodi regnorum multorum ac Provinciarum eſt gubernatio. Onus tale multos per annos tulit Carolus, robore niſuq; prorſus Herculeo: idem, ut quieſcat tandem, quicquid humeris ſuis hactenus erat inædificatum, in filium reponit. Pontus Heuterus. Author.*

NUMMUS MEMORIÆ DICATUS

PAVLI IV. PONTIFICIS: CVSVS bello, ob regum Neapolitanum, contra Philippum II. Hiſpaniarum regem, ſuſcepto, Anno Chriſti 1556.





GRaviter hic Johannes Petrus Carafa, qui Papa creatus, Paulus IIII. nominari voluit, de Eccleſiæ Romanæ corruptelis cōqueſtus fuit, edito libro, quem Pontifici Paulo III. inſcripſerat. Idem poſtea 44. Cardinalium ſuffragiis creatus Pontifex, quam tantoperè urſerat & exoptaverat, Eccleſiaſticam morum emendationem inſtituit: fuit author, ut inquiſitionis Romanæ tribunal ſanciretur: Simoniacas nundinationes ſuſtulit: datariatus reditus ſuſpendit: Judæorum avaritiam corripuit: Eccleſiarum bona alienata reſtituit. Et fuit hic ipſe Pauli zelus diuturni gravisque belli cauſa: cum regnum ſcilicet Neapolitanum, per fiſcum, ad Petri ſpectare patrimonium, pronunciari curaſſet: Rex Hiſpanus id ſibi eripi nolens, Albanum contra Pontificem miſiſſet: hic rurſus Gallorum Regem in auxilia ſua pellexiſſet. Vario Marte hoc in bello, ut prolixè id referunt Hiſtorici, dimicatum fuit: captæ utrinque urbes nonnullæ: multæ oppugnationibus tentatæ. Ferrarienſis Dux, miſerè agro ſuo ab Hiſpanis vaſtato; verum illud ſenſit: Malum accipi non tarò, ob vicinum malum. Tandem cum Hiſpanus victoriam contra Gallum ad S. Quintinum obtinuiſſet, Pontifex ad pacis conditiones

tiones facilè ſe pertrahi paſſus fuit. Pacis lætum nuntium turbat calamitoſa Tyberis, quæ mox inſecuta fuit, inundatio. *Sumit itaque hoc ſibi laudis, in nummo, Pontifex, quod ſuis partim armis, partim libris ac literis revixerit Roma atque reſurrexit.*

Author.

NUMMUS CASTRENSIS
FERDINANDI ARCHIDVCIS AV-ſtriæ, expeditionem in Ungariam, contra Turcas, ſuſcipientis: Cuſus Anno Chriſti 1556.



Ferdinandus Imper. certior factus de rebus ad Sigethum & Babozam; in inferiori Ungaria, per Turcarum exercitum geſtis, magnâ conceptâ ſpe, ubi occaſioni non deeſſet; hoſtem eo anno debellari poſſe, copias ex novis tam peditum quam equitum delectibus, in ſuæ ditionis atque imperij provinciis cogi, curâ intentiſſimâ, jubet: quibus qui præeſſent, tam ex Ungaris, quam Germanis, & magnitudine rerum geſtarum, & militari gloriâ clariſſimi; non deerant. Unus tamen inter cæteros, magno incenſus gloriæ æſtu, Imperatoris filius Ferdinandus, blandâ precum elegantiâ patrem eò adduxit, ut paternâ dignatione huic expeditioni deſtinaretur. Imperator filium pientiſſimè adhortatus eſt, ut Dei, victorias largientis, auxilio anniteretur, communemque patriam à Turcarum impiis armis, & imminente exitio vindicaret. Anno igitur præſignato, Haly Baſsâ, Solymanni juſſu, arcem Sigethenſem obſidente, cum exercitu in Ungariam profectus, tale fortitudinis & induſtriæ militaris ſpecimen edidit: ut hoſtis, magnanimi Principis hujus adventu, conſternatus, obſidionem ſoluerit, & cum univerſo exercitu retrò cedere coactus fuerit. Ferdinandus verò aliquot locis, partim expugnatis, partim receptis, arcem commeatu bellicisque tormentis, & firmiori militum præſidio firmans, ad patrem victor rediit. Idem poſtea, cum Solymanno poſtremam ſuam, ſibique fatalem expeditionem, in Vngariam ſuſcipiente, & Maximiliano ſecundo Imper. cum Imperij copiis, poſitis ad Jaurinum, caſtris, ei obviam proceſſuro, fratri validam equitum turmam, cum inſigni nobilitate ſuis ſtipendiis in auxilium adduxit, ſupremique legati munere laudabiliter functus eſt. Fortitudinis inſigne hoc documen-

Digitized by Google

tum in Principe laudatiſſimo: illud pietatis: quod non virtuti ſuæ, prudentiæque, ſed præpotentis Dei voluntati ſecundos rerum ſuarum ſucceſſus aſſcribit. *Vincit potentia Fati. Rectè vereq́. Apparuit namq́, quid potentia divina poſſit, cum grandis balæna Jonam Prophetam reddere terræ cogeretur, quem penitus in viſcera ſua deglutiverat. Apparuit, quid divina valeat potentia: cum Turca immanis, nilq́, niſi cædem & ſanguinem ſpirans, vix conſpecto Chriſtianorum exercitu, fugam arriperet. Schrenckius à Notzing.*

Author.

Digitized by Google

NUMMUS TRIUMPHALIS PHILIPPI SECVNDI HISPANIArum Regis: Cuſus poſt victoriam ad S. Quintinum (quæ olim Auguſta Veromanduorum erat) partam, Anno Chriſti 1557.



CUm Philippus Hiſpaniarum Rex, impetrato adverſus Gallos auxilio Anglico, ingentem cùm equitatus, tum peditatus exercitum conſcripſiſſet, Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, generalis Hiſpani Vicarius, & ſummus Imperator, cum toto exercitu Picardiam, ejusque finitimas urbes ac vicos infeſtat: denique munitiſſimam etiam urbem S. Quintinum obſidione cingere tentat. Coneſtabilis, & ſummus Gallici exercitus Imperaror, hoſtis adventum ubi cognoviſſet, quàm primum urbi annonâ & milite proſpicere voluit. At cùm ob hoſtis præſentiam incaſſum laboraret, copias diſſoluit, ac pedites cum tormentis retroducit. Gallos ilico ſubſequuntur Hiſpani, & duobus à S. Quintino milliaribus 10. Aug. fortiter aggrediuntur, prælioque admodum memorabili ſuperant. Partæ victoriæ cauſa præcipua perhibebatur Philippi Momorantij Comitis Hornani virtus atq; induſtria: qui cum mille cataphractis equitibus Egmundanum Comitem (*vides hic lector amice utriusq; imaginem*) ſequebatur.

Hi enim





Hi enim unà cum Petro Erneſto Mansfeldio tanto impetu hoſtium frontem aggreſſi fuerunt, ut turbatis primum ordinibus; cæteri aucto tumultu in ſeſe revoluti, confuſis atque apertis itidem ordinibus, inutiles ad pugnam redditi ſint. Principium fugæ à lixis, negotiatoribus, & cæterâ imbelli turbâ quæ caſtra ſequitur, factum, quod ſecum etiam extemplò militares viros traxit. Itaque profligato equitatu peditatus ſe denſatis ordinibus continebat, ſed diſploſis eminus tormentis fracti ac diſſipati inter Eſſinum pagum & Rizerollam caſtellum poſt longam cruentamque ſtragem; (nam quatuor ferè horas pugnatum) omninò deleti ſunt: qui ſuperfuerunt ex peditatu, agminatim in hoſtium poteſtatem pervenerunt. *Continuatio Sleidani. Thuanus.*

NVMMVS TRIVMPHALIS PHILIPPI SECVNDI HISPANIArum regis: cuſus victoriâ ad Gravelingam partâ: Anno Chriſti 1558.





CVM Thermus Regis Galliarum Mareſcallus, occupatâ Dünkerkâ, indignisque modis direptâ, arthritide vexaretur, Villabonio exercitum tradit: qui non minus atque ille, nimiâ licentiâ militibus conceſsâ, viciniam incendiis ac direptionibus crudeliſſimè fœdat: Neportum usque excurſiones faciens. Philippus itaque Hiſpaniarum Rex, ut tantam crudelitatem ac vaſtitatem à ſuis averteret, Gallos inſolenter palantes, prædâque onuſtos, antequam novis auxiliis firmarentur, adoriri ſtatuit. Vocato itaque è Flandria Egmondano ſummam rerum committit: qui paucorum dierum ſpatio ingentem equitum peditumque manum contrahit: exceptâ ingenti agricolarum multitudine: qui recentibus injuriis laceſſiti ad ulciſcendum ſe in caſtra contulerunt. Thermus cognito hoſtis adventu, diſperſas vires ſuas undique revocat: & licet æger, equo tamen vectus caſtra initiò juxta Gravelingam metatur: viribus paulò poſt ſuis diffidens elabi Caletum verſus ſtatuit, maris æſtu recedente. Quod cum Egmondanus animadvertiſſet, & ipſe cum copiis ſuis trajicit: exercitum inſtruit: admiſſo equo impetum in hoſtes primus facit. Ancipiti diu pugnatum prælio: donec decem naves Brittanniæ majores, quæ à longinquo pugnam aſpexerant, appulerunt ad dextrum latus, in quo Galli ſe tutos exiſtimabant: agnitisque Gallorum inſignibus tormenta in eos ſua diſploſerunt. Quo facto ſolutis peditum ordinibus, diſperſisque equitibus Gallorum acies nutare cæpit, tandem-

que in fugam ſe conijcere. Cecidiſſe eo in prælio ſcribuntur ultra 1500. Gallorum: compluribus inſuper ab agricolis ob incendia & direptiones ſibi illatas, exquiſitâ immanitate contrucidatis. Capti primarij Gallorum duces, interque eos, belli hujus faces ac tubæ, Thermus ac Villabonius. In ſymbolo obſcuritatis parum, vel nihil potius. *Luminare magnum illud roſeis quadrigis invectum cuncta hæc inferiora illuſtrat. Titanes ſunt hunc ad modum fortes belloclariq; viri, nominis ſui famaq; radios longè lateq; proÿcientes. Pulchrè hinc Rex Latinus apud Maronem lumina tot cecidiſſe Ducum conqueritur. Continuat.*

Sleidani. Author.

NUMMUS TRIUMPHALIS

JOANNIS A FIGEROA, PRODVcis Mediolanenſis: ob Gallos ex finibus Inſubriæ profligatos: cuſus: Anno Chriſti 1558.



IN finibus Inſubrum Joannes à Figueroa, Produx Mediolanenſis, auditâ clade Gallicâ (de qua modo verba facta) cùm Henrico Regi Galliarum parum feliciter res ſuccederent, adverſus Philippum Regem Hiſpaniarum, & ipſe collectis conſcriptisque veteribus copiis, & nonnullis recentibus, adventu repentino caſtella quædam recuperat in agro Dertonenſi, quæ capta fuerant à Gallis, quorumque præſidia ferro, prædationibus, incendiis paulò priùs devaſtata fuerant. Caſtris itaque poſitis ad Ponzonem, quod eſt oppidi nomen, illo brevi potitur: eoque factum, ut Dertonenſis, Alexandrinusque ager, & proxima omnia tuta à rapinis & moleſtijs Gallorum reddita fuerint. Philippus Rex, poſt pacem à Pontifice compoſitam, recuperataque caſtella in Inſubria, Figueroam decernit aſſiduum Oratorem apud Pontificem, qui regio nomine negotiaretur: ſubrogato in Mediolanenſem præfecturam Conſaluo Ferrando Sueſſano regulo. Figueroæ propius ad urbem Romam profecto, ſignificatur, ejus adventum moleſtiſſimum accidere Pontifici: Quamobrem ad dedecus regium, & incommoda ipſius devitanda, cavendam eſſe ſenis iracundi indignationem. Mutato itaque conſilio Cajetam contendit, donec indignatio Pontificia deferveſceret. Offenſionis cauſa fuit, quod in præfectura Mediolanenſi paſſus fuerat ſupellectilem quandam opulentam Reidetti Ludovici, viri Pontifici gratiſſimi, diripi: qui Mediolanum ad ducendam vxorem, cum quibusdam Gallis Pontifici familiaribus, acceſſerat. Figueroa tantâ indignatione conſternatus in graviſſimum morbum incidit, veruntamen multorum purpuratorũ patrum precibus impetratur poſtremum, ut in legationẽ ſit admiſſus,

Digitized by Google

NUMMUS MEMORIÆ SACER

GEORGII FRIDERICI, MARCHIOnis Brandenburgici: cuſus receptis ditionibus ſuis ab Epiſcopis Franconiæ & Norimbergenſibus: Anno Chriſti 1558.



FErdinandus Imp. inauguratione ſuâ Francofurti ad Mœnum feliciter peractâ, rebus agendis ſe accingere cæpit, præterque alia controverſiam, inter Epiſcopos Franconiæ, & Norimbergenſes, qui, Marchionis Alberti defuncti territorio occupato, arces illius demoliti fuerant, ſingulari moderatione & æquitate dirimit atque componit. Ex capitibus tranſactionis ferè erat præcipuum: ut Epiſcopi & Norimbergenſes Marchioni Georgio Friderico Alberti agnato, cui anni ſuperioris menſe Martio regionem à ſe occupatam univerſam reddiderant, centum inſuper & ſeptuaginta quinque aureorum millia, pro arcibus deſtructis, dependerent. Id etſi iniquè à ſe peti Franconiæ Epiſcopi & Norimbergenſes exiſtimabant, quod nihil alienum à conſtitutionibus pacis publicæ, & executionis in proſcriptum Marchionem feciſſent, nec ſumptus executionis ex proſcripti territorio recepiſſent: ut tamen majores moleſtias vitarent, & quieti ac tranquillitati publicæ ſimul ac privatæ conſulerent, ratum tandem habuerunt, quod Imperatori placuerat. Georgius Fridericus recuperatâ jam patruelis ditione, & pace cum vicinis confirmatâ, Franconici circuli Capitaneus ab equeſtri ordine conſtituitur. *Auguſtinus Brunnius Annæmontanus.*

recuperato non ſolum cladis, ad Fanum Quintini acceptæ, oblivionem animis hominum induxerat: ſed & Gallis, & Ferrarienſi ad majora audenda animos fecerat. Ac Galli quidem de Orbitello conſilium inierant, quod ad illos relatum eſſet, ab eâ parte, quæ ſtagnum reſpicit, infrequentiores excubias fieri. Eò igitur profecti, cum ad locum deſtinatum ſummo ſilentio veniſſent, ſcalæ quibus enitendum erat, juſto breviores repertæ ſunt culpâ ejus, qui illarum fabricandarum curam ſuſceperat: & ita re infectâ diſceſſum eſt, tormentorum diſploſione aliquot è Gallis amiſſis. Ferrarienſis verò, qui videret Cæſarianos magnis incommoditatibus conflictari, ob idq; in hyberna conceſſiſſe, cum ſuis egreditur: & Parmenſem agrum in prædam effuſus vaſtat: nec non Brixellenſes præſidiarij ad Vitalis usq; Fanum excurſione factâ octo cataphractos capiunt, & Aſculani Principis ſigniferum. Diverſâ parte Alphonſus Ferrarienſis cum Cornelio Bentivolo à Galliarum Rege miſſo cum quatuor millibus peditum, ac quatuor tormẽtis Pauli fanum recipit, paucis qui in eo erant exutis militibus. Inde ſummo ſilentio transmiſſo Niceâ fluvio, qui Regienſem agrum à Parmenſi dividit, Garnigionem caſtellum obſidet, & admotis tormentis quatit, cujus mox præſidiarij deditionem fecerunt. Tum Koſſena verberatur, Corrigienſium caſtellum: quâ captâ, & direptionibus ac poſtremò incendio deformatâ, Canoſſa petitur: quæ tormentis pulſata, cum deditionem facere nollet, impetu capitur: trucidatis ferè omnibus præſidiariis. In emblemate altero *Rhinoceros conſpicitur* cum inſcriptione *urget majora. Quemadmodum enim Rhinoceros Elephantum ſibi hoſtem eligit, omnium quadrupedum maximum: minora quævis contemnit animalia: victoriamq; ab illis partam ignominioſam potius, quam glorioſam ſtatuit: ſic Princeps ille magnanimus res non niſi arduas atq; difficiles urgendas exiſtimabat: quod, quò grandius periculum eſt: eò plus laudis & gloriæ victori parit.* Quid verò in nummo altero *ſol exoriens, ejusq; anteambulo Lucifer? Innuit ſine dubio Princeps pius, ſe in procelloſâ vitæ ſuæ navigatione, divinæ potiſſimum providentiæ navem committere: hujusq; ductu & auſpiciis in portum tandem deferri, qui eſt ab acceſſu ventorum immotus & ingens. Thuanus.*

Author.

NVM-

NVMMVS MEMORIÆ DICATVS

FERDINANDI ROMANORVM REgis: Tranſylvaniâ ex pacto receptâ: cuſus Anno Chriſti 1558. aut circiter.



IOhannes de Zepolia Vayvoda Tranſylvaniæ, Comes Sepuſienſis; poſt Ludovici II. Regis Ungariæ interitum, Anno Chriſti 1526. à quibusdam factioſis Proceribus Rex deſignatus, contra Ferdinandum Budam occupat: ſed à Nicolao Comite Salmenſi obſeſſus, civitatem & arcem deſerere cogitur: victus tandem per Johannem Catzianerum in Poloniam fugit. Deinde contra vim Ferdinandi Regis in tutelam ſe dat Solymanni Turcici: operâ Hieronymi à Laſco, viri Nobilis: unde Ilias malorum in Ungaria naſcitur. Turca enim poſt infelicem obſidionem Viennenſem, Johannem hunc, Budâ occupatâ, Regem conſtituit: qui regnum etiam usque ad mortem poſſedit. Uxor Iſabella Sigismundi Regis Poloniæ filia, marito mortuo, in Vngariam denuo Solymannum Turcicum accerſit, quo tutior cum filio eſſet: Budam attamen deſerere cum puero coacta, in Tranſylvaniam ablegatur. Sed ne ſic quidem rebus ſuis proſpectum videns, Tranſylvaniam Regi Ferdinando offert, certis conditionibus occupandam: quas cum ipſe non reſpueret, iterum tamen atque iterum à muliere, fractâ fide, deciperetur, injuriam hanc ulturus, militem in Vngariam duxit, aliquot vicibus: donec tandem conſentiente filio, pactis conventis Iſabella ſteterat. *Quemadmodum itaque*

Trajanus

Trajanus & Hadrianus Impp. ſecundo flumine Danubio ſæpiſſimè Dacos vicerunt: ſic ſpem Rex concepit fore: ut receptâ ex pacto Tranſylvaniâ, Vngariæ quoq; regnum, hæreditario ſibi jure debitum, recuperet: priſcum hoc modo, honorem non imminuat, ſed augeat atq; conſolidet. Notum eſt deſcriptiones fluminum, regiones ipſas, quas permeant, aut alluunt, denotare. De Vngaria itaq; hæc accipienda, quam mediam quaſi ſecat Danubius. Author.

NVMMI MISSILES

PHILIPPI SECVNDI HISPANIArum Regis: ſancitâ pace Cameracenſi: cuſi Anno Chriſti 1559.



IN comitiis Auguſtanis pax religioni data (cum de concilio Oecumenico & libero conveniri non poſſet) occaſionem nonnullam potentiſſimis Galliæ & Hiſpaniæ Regibus dediſſe putatur: ut & ipſi de ponendis tandem armis firmâque pace ſancienda cogitarent. Indictus eam ob cauſam congreſſus Samarobrigæ (alij Cameracenſem arcem vocant) inque has conditiones conventum eſt: ut pacta inter Carolum & Franciſcum Regis utriusque parentes Madriti, atque illud inprimis, quod Valedoliti factum ſit, ſerventur: pax firma ac concordia, qualem eſſe inter fratres decet, ſyncerè ac citra fraudem inter Reges coëat, quæ nihil habeat inſidiarum ſive externarum, ſive domeſticarum: Reges fidem ſuam interponant, ſeriò ſe, compoſitis civilium controverſiarum motibus, operam daturos: ut quamprimum Oecumenicum concilium ad Dei gloriam, & conſcientiarum pacificationem celebretur: ab utraque parte præteritorum oblivio ſanciatur: oppida ac civitates octennio ab hinc utrinque captæ, invicem reſtituantur: Philippus arctioris amicitiæ firmandæ causa Eliſabethum undecennem, grandiorem natu Regis filiam uxorem ducat: Margarita Henirici filia Sabaudo nubat.

bat. *Quia itaq;* (uti in nummis videre eſt) *arma comburebat pax inclita, vereque ut à Poëta indigitatur, aurea: dextras jungebant magnates ſibi ante hac infenſiſſimi, meritò ubiq; magnæ editæ ſunt lætitiæ ſignificationes: nocturni ignes accenſi: parata mutua civium convivia: ſupplicationes inſtitutæ.* Nam ita erant oppreſſæ, afflictæque provinciæ diuturnitate bellorum, ita vexatæ civitates tributorum magnitudine: ita regiones conquaſſatæ, propeque everſæ: ut multi ad fugam, relictis bonis & avitis laribus, proſpectarent. *Thuanus, Natalis Comes. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS FERALIS, ET VOTIVI DVO:
CVSI MORTVO HENRICO II.
Filio Franciſco II. Patri ſuccedente: Anno Chriſti 1559.



SCitè quodam in loco Plato ſcribit; Deum, cum voluptatem & dolorem conjungere vellet, neque id facere commodè poſſet, apices horum conjunxiſſe: fieri hoc modo, ut non ferè ullum ſit inter mortales gaudium: quod non aliqua mœroris procella obfuſcet atque contaminet. Ne abeamus longius, quam miſerandâ cataſtrophe, gaudia nuptiarum ſolennia Philiberti Sabaudi, & Margarethæ Valeſiæ, ſummum in luctum converſa fuère, morte Henrici Secundi, caſu improviſo ſublati. Cum enim peracto regali convivio ad equeſtria certamina perventum eſſet, poſtque varias decurſiones Rex, Mongo-

Mongomerium cuſtodiæ Præfectum ad certamen provocaret, hic reluctans diu, & non niſi lanceâ in manus ſibi à Rege traditâ in arenam deſcenderet; ecce conti impectus adacti fragmine, galeam non rectè clauſam ſubeunte, graviter Rex vulneratur: oculum primò, inde mentem, undecimo die vitam amittit. Patri in regno ſuccedit Franciſcus II. major natu filius: qui, cum vix decimum quintum ætatis annum attigiſſet, imperij conſiliorumque omnium ſociam matrem à curiâ regali accipit: coronatur pro cæterorum Regum conſuetudine 21. Sept. Anno 1559. at non cum ſolitâ Pompæ magnitudine; ut ærario parceretur, ut ſubditis propter diuturnos bellorum ſumptus planè exhauſtis. *Lancea ſeu haſta fracta triſtem ac luctuoſum Regis interitum notat: Ambulla ſacra inaugurationis ſymbolum eſt, Rhemis, de more, peractæ: nummo tertio Franciſcus pollicetur, fore: ut æquè fides ſua, in q. ſubditos benevolentia progreſſu temporis ſpectetur, atq; auri, ad Lydium lapidem attriti, exploratur ſynceritas. Author.*

NVMMI MEMORIÆ DICATI

PII IV. PONTIFICIS: CVSI POST inſtauratam molem Adriani: & Carolum Caraſſam Cardinalem laqueo necatum. Anno Chriſti 1 5 6 0. & 1 5 6 1.



ÆLius Adrianus, (Spartiano memorante) juxta Tyberim ſepulchrum extruxit, quod monumentum ſeu molem Adriani appellavit: ſibi aliisque Impp. ſepulturam ibidem parare volens. Hunc deinde locum Bonifacius Primus munire cæpit: Alexander verò Sextus foſſis, propugnaculis, tormentis æneis, firmiſque præſidiis penè fecit inexpugnabilem. Sed & D. Gregorio ſedem Pontificiam occupante, cum Litania, ſeu proceſſio (uti vocant) publica ad D. Petri inſtituta fuiſſet: Angelum in arcis hujus faſtigio conſpectum fuiſſe ſcribunt: gladium cruentum in vaginam

ginam condentem: quaſi qui augurio eſſet, Deum, poſt varias calamitates mitigatum denuò, & Pop. Romano conciliatum: Ex eo verò tempore molem iſtam Arcem S. Angeli nominatam. Cæterùm tanti fuit Pio IIII. Pontifici, *hanc Arcem, ruinas aliquot locis minitantem à ſe reſtauratam, noviſq; ædificijs ac propugnaculis ornatam fuiſſe:* ut nummum, ſuperiori loco poſitum, in ejus rei memoriam cudi fecerit. Qui huic adjunctus, moralis eſt, Aulicos monens, aliosque, quibus frequens cum magnatibus conſuetudo: *ne, veluti anſeres ſubinde clangentes, frena linguæ laxent: effutiant, quæ ingrata aliis, ſibi perniitioſa: verùm opportuno potius ſilentio utantur, ubi loqui periculoſum eſt: habeant præ oculis, quod Calliſtheni ſectatori & propinquo ſuo præcipit Ariſtoteles: ut quàm rariſſimè & id jucundè apud eum loqueretur, qui vitæ poteſtatem & necis in acie linguæ geſtaret.* Caroli Caraffæ nota hiſtoria; qui, quod liberius quædam contra Johannem Angelum Medices, in conclavi dixiſſet, ab eodem paulò poſt facte Pontifico, in Adriani molem detruſus laqueo ſuffocatur. *Lucius Faunus de Antiquitat: Vrbis Romæ. Author.*

NVMMI CASTRENSES

ERICI SVECIÆ REGIS: CVSI BELlo contra Fridericum Secundum Daniæ Regem ſuſcepto: Anno Chriſti 1562.



INTER ea, quæ de Erico XIIII. Sueciæ Rege ab Hiſtoricis recenſentur, memorabile comprimis eſt bellum ſeptennale, contra Fridericum Secundum, Daniæ Regem, terrâ mariq́ue geſtum. Primò namque naves Daniæ ſeptem Borſcholmiam verſus emiſſæ, Admiralio Jacobo Brockenhuſen, à Suecicis 19. navibus excipiuntur, & tres earum præcipuæ, Hercules, Hector, Cervus, ſuperatæ capiuntur. His adhunc modum geſtis Ericus Sueciæ Rex domeſticis diſſidiis occupatus, ſuis in tempore adeſſe non potuit. Joannem enim fratrem Finlandiæ Ducem, ob affectati regni ſuſpicionem, & cum hoſtibus colluſionem in cuſtodiam conjecerat, ejusque miniſtros aliquot capitis ſupplicio affecerat. Quibus motibus ſedatis, cum exercitu, qui triginta peditum ſignis, & 10. turmis equitum conſtabat, Halmſtedium oppugnat. Daniæ Rex intellecto ſuorum periculo ex hybernis militem educit: exploratoribus præmiſſis, ſine ullo tubarum clangore, & ſtrepitu tympanorum, primâ noctis vigiliâ rectà ad hoſtium caſtra ducit, eorum benè multos capit: aliquot occidit. Sueci collectis impedimentis caſtra movent, & quanta poſſunt celeritate, integris ordinibus recedunt noctis beneficio uſi. Dani fugientibus acriter à tergo inſiſtunt, & extremum agmen carpunt. Sueci ſigna convertunt, aciemq́ue explicant. Schwartzenburgicus primopilo præerat,

qui

qui cum Suecorum equitibus congreſſus pugnæ initium fecit, acriter v-trinque prælium conſeritur: dum ex altero cornu Rex cum ſuis illatus, equitum, peditumque ordines perturbat, ac in fugam compellit. Cæſa Suecorum quatuor millia: ſigna multa illis erepta: 45. machinæ campeſtres cum magna vi pulveris tormentarij captæ. Rex ipſæ Succiæ biduo antè à caſtris cum paucis ſuorum digreſſus fuerat, cujus *pium quidem ſymbolum: ductum, procul dubio, ex illo Divini vatis Oraculo: Deum eſſe in cælis, qui mutet tempora & tempeſtates: transferat regna & conſtituat Reges: quod verò id ipſum vita factisq; expreſſerit, negant Hiſtorici, crudelitatis extremæ atq; ſævitiæ eum accuſantes. Caſparus ab Ens in Hiſt. Dan. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS MONITORIVS CAROLI IX. FRANCORUM REGIS:

cuſus regni auſpicijs ob religionem turbatis: circa Annum Chriſti 1562.



QVanto religionis Catholicæ defendĕdæ ſtudio, ardoreque flagrarit Carolus Maximilianus Rex Galliæ, qui poſtea Carolus Nonus appellari voluit, teſtes varij ſunt Hiſtorici: faciunt fidem illa clariſſimi Antonij Mureti, in parentatione ejus, verba: *Generoſi* cum inquit *ſeminis Adoleſcens, qui amorem Dei & Eccleſiæ cum ipſo nutricis lacte ſuxiſſet, totaq; mente penitus combibiſſet, articulatim ſe prius concidi ac comminui paſſus eſſet, quam à rectâ illâ regulâ Patriæ & avitæ religionis abduci. Itaq; dum purgare Regnum ſuum illis peſtibus nititur, dum illius hydræ, & in ſuam & aliorum pernitiem contumacis aſſiduè renaſcentia capita amputare conatur, quatuordecim, tot enim regnavit, annos in perpetuis bellorum ſucibus, & in perpetuâ regni ac vitæ ſuæ dimicatione tranſegit.* Eſt evidens inſuper hujus rei documentum: *quod vix regnum ingreſſus reformatæ religionis hominibus (quos vulgo Hugonotas appellant) nummo hocce minitatur fore: ut licet ſub Condæis, Colignus, aliiq; latitent, ſuæq; religionis virus tectè ſpargat atq; diſſeminent: nihilominus indagine ſagaci ex antris ſuis cæciſq; receſſibus extrahantur: Et niſi ad mentem ſaniorem redierint, ut novatores puniantur. Cervum, Græcè ἔλαφον dictum putant, quaſi ἐλάειν διὰ [illegible] τοὺς ὄφεις quod, teſte Plinio, abditos ſpiritibus ſuis ſerpentes extrahat renitentes. Lucretius lib 6.*

Naribus, alipedes ut cervi, ſæpè putantur
Ducere de latebris ſerpentia ſæcla ferarum.

Author.

NVMMI ICONICI
CAROLI IX. GALLIARUM REGIS:
& Franciſci atque Henrici Momorantiorum: cuſi, uti videtur, poſt prælium ad Druidum urbem commiſſum Anno Chriſti 1562.



CAROLO IX. (*quem ex indole præclarâ ac generoſâ vel ipſo etiam Hercule maiorem futurum ſui ominabantur*) Momorantios duos adjungere placuit: quod fidelem admodum ipſi, cum alijs in prælijs, tum eo vel maximè, quod ad Druidum urbem geſtum fuit, navarunt operam. Henrici nobile factum, & qua virtutis, quà roboris ſpecimen egregium: quod cum Patrem Annam Momorantium jam captum, & aciem Regiam inclinare vidiſſet, ac Condæum Principem auctis jam ſuorum animis, pro victore ſe gerere animadvertiſſet, ipſe, facto cuneo, in peditatum iſtius irruit, neque ante pugnandi finem fecit, quam, viâ armis factâ, in ipſum invectus, equo globi ictu vulnerato, Principem cæperit. Non enim dubitavit, quin ex permutatione Parens pro eo facilè dimitteretur: quod & factum eſt. Adeò inſuper, obfirmato animo, prælium continuavit, ut à perſequendis hoſtibus vix multâ nocte in caſtra redierit, *Jacob. Schrenck à Nozingen.*

Digitized by Google

NVMMI AVSPICALES
MAXIMILIANI SECUNDI IMP.
cuſi in comitijs Francofurtenſibus: Anno Chriſti 1562. & 1563.



MAXIMILIANUS II. è Rege Bohemiæ, Romanorum, Hungariæ, Ferdinando Patre mortuo, electus Imperator, nummos hoſce fieri fecit, boni ominis augurijque plenos. *De Turcæ communis Chriſtianorum hoſtis, inſtingendis viribus ſpem eorum primus facit.*

Commi-

Digitized by Google

Comminuam, inquit Imperator laudatiſſimus, vel extinguam ſemiplenam Turcarum lunulam: idq; Chriſto comprimis auſpice: cujus lignum ſalutare faſtigium coronæ meæ exornat. Alter typis atq; imaginibus votum exhibet vatis Regij pſalm. 85. ver. 10 ut miſericordia & veritas ſibi obviant; juſtitia & pax ſeſe oſculentur. Reliqui miſſiles ſunt, ſparſi in plebem, cum in Regem Boemiæ & Romanorum coronaretur. Tralaticium ex antiquitate: ut novo creato Imp. aut re aliquâ bene præclareque geſtâ: aut ludis exhibitis atque ſpectaculis, miſſilia proijcerentur: hoc eſt, teſſaræ ligneæ, cum notis rerum, quas quisque conſequeretur: aut interdum res ipſæ, magno certamine à populo diripiendæ. *Author.*

NVMMVS CASTRENSIS FRANCISCI DUCIS GUISII: CUſus Aurelijs obſidione cinctis. Anno Chriſti 1563.



FRANCISCUS Guiſius, partâ victoriâ Drocenſi, efferri animo, eundemque ad ſimilia facinora adjicere cæpit: inprimis Aureliarum moliri obſidionem: cujus defenſionem Andelotus cum Paſſo Fequerio in ſe receperat. Olivetum, quo caſtra ſua promoverat Guiſius, non tam obſtinatè defendere decreverat Andelotus, quam Regios aliquanto tempore diſtinere, dum impedimenta & privatorum res in urbem recipi ac comportari poſſent: & poſtea igne injecto locum vaſtare. Cùm verò poſtridiè Guiſius per Sipetram vi maximâ ſuburbium oppugnaret: tanta Gallos ſimulatque Germanos invaſerat conſternatio, plæriſque in flumen ſubjectum ſe præcipitantibus: ut niſi Andelotus cum delectâ nobilitate accurriſſet, eodem impetu Turriculæ & Inſulæ ſubjectæ, & fortaſsè etiam urbs, conſternato metu milite, in poteſtatem victoris perveniſſet. Capto ſuburbio ex domibus vicinis, cum in Turriculas & Inſulas deſpectus eſſet, defenſores admodum infeſtabantur, donec doliario ſepto tumultuariâ operâ erecto, protecti ſunt. Aſſiduè interea ad Turriculas pugnabatur, quæ tandem defenſorum ſocordiâ ac ſecuritate captæ ſunt: duobus militibus per ſcalam, cum nullas vigilias animadverterent, in altum evadentibus, & inopinato ſuo ingreſſu præſidiarios terrentibus: qui relictâ ſcalâ, per quam præcipitanter deſcenderant, aditum ad pontem & Inſulas occupandas facilem inſequentibus fecerunt, tantâ conſternatione omnium, ut, niſi Andelotus rurſus accurriſſet, eo die de rerum ſumma actum fuiſſe credatur. Verum impetum ſuſtinentibus regijs, & ob tam ſubitam hoſtium fugam fraudem ſubeſſe ſuſpicantibus, obſeſſi geminatâ clade territi animos colligere, ac porrecto ponte


Digitized by Google

ponte, aggere, quo portæ, & Inſularum defenſores protegebantur, ac diſpoſitis in eo tormentis damno accepto utrumque proſpectum eſt. Urbs in 4 regiones diviſa, & ſingulæ ſingulis perſpectæ, virtutis Ducibus attributæ: Diſpoſita item in turre S. Amiani 4. tormenta, quæ infeſtum pontis egreſſum efficiebant. Parte aliâ Guiſius omnia ad invadendas Inſulas parabat, & 12. Cal. Martij cum Philippo Stroltzio Prætorianorum duce ea de re egerat: datis ad Reginam literis, quibus proſpera omnia, & brevi lætum de captâ urbe nuncium, ſe miſſurum ſpondebat: quo eodem die, cum inclinato jam ſole longius à ſuis, qui procedebant, in equo cum Triſtano Roſtinio à Regina miſſo, & qui curto mulo vehebatur, colloqueretur: à Joanne Boltrotto Meræo, ſclopeti ictu cominus per latus diſploſi, juxta axillam feritur, interficitur. Nummum ejus verè explicandum ſolertiori committo. In conjecturâ acquieſcere ſi lubet, *Natantes in mari forſitan ſunt Guiſiô Eccleſiæ Rom. aſſeclæ: Canes marini hos devoraturi, Hugonothæ: Ipſa Thetys, aut Dea maris alia, quæ Hæreticos trucidat: ſuos verſu alloquitur, quo ſocios Aeneas: Durate, & vosmet rebus ſervate ſecundis.*

Thuanus. Author

NVMMVS MONITORIVS FRIDERICI SECUNDI DANIÆ REgis; cuſus durante bello contra Ericum Suetiæ regem ſuſcepto: Anno Chriſti 1564.





EST multa eorum, qui in rebus arduis, cumprimis vero Regnorum atque Rerumpublicarum adminiſtratione verſantur, querela atque indignatio: quod lubricæ ac vacillantis fidei non rarò ij depræhendantur, in quorum candorem atque integritatem ſalutis ſuæ arcem atque præſidium tutò collocari poſſe, ſperaverant. Expertus idem, procul dubio, fuit Rex Daniæ Fridericus II. eaque propter in honore ac precio eos habendos ſymbolo ſuo monet: quos non vel honorum ſplendor: vel præmiorum ubertas: vel periculorum atrocitas à fide ſemel data inculpatâque ratione dimovere poteſt. *Syncera* namque *fides, minimeq́. variegata res admodum rara eſt: magna viciſſim eorum natio, qui haud ſecus atq́. vento circumagitur fortunæ velum, verſatilis eſt globus, cui inſiſtit: ſic, quo res ſecundæ vergunt, eò animum inclinant: Orientem ſolem.* (ut habet proverbium) *adorant: à tergo relinquunt. Author.*

NVMMVS TRIVMPHALIS SIGISMVNDI AVGVSTI, REGIS Poloniæ: Cuſus poſt partam de Joanne Magno Ruſſorum Principe victoriam: Anno Chriſti 1564.





Sigiſmundus Auguſtus Poloniæ Rex feliciter, hoc anno, rem adverſus Moſcos geſſit. Cum enim Joannes Magnus Ruſſorum Princeps Lithuanorum legatos de pace miſſos, dum ingentem conſcriberet exercitum, aliquandiu detinuiſſet: dimiſſos tandem ſummâ celeritate ſubſequitur bipartitis copiis: quarum pars, duce Serebernio Smolenco; pars Poloſcâ

Soiskio, in Poloni ditionem eodem tempore populabunda impetum fecit. Soiskio Nicolaus Rarevilius, Vilnenſis Palatinus, numero ſe imparem agnoſcens (quippe qui vix 15000. hominum armatorum penes ſe haberet) aſtu ac virtute parem ſe præſtat. Nam cognito hoſtes viribus fidentes ſecurosque ad prædas vagari, delectâ manu ſecum aſſumptâ, cum Gregorio Chodkievicio caſtrorum præfecto, inſidias locis idoneis ſtruunt: ac ſylvis locorumque anguſtiis tuti diſcurrentes fundunt, trucidant, & in fugam vertunt. Erant in exercitu Ruſſorum quadraginta millia, & Tartarorum conductorum triginta millia: ex iis vario peſtis genere triginta millia amplius abſumpta traduntur: fluminibus quæ glacie ſtabant, fugientium ac curruum fragore ac pondere reſolutis: quo caſu plerique hauſti ſunt. Tres duces primarij capti & alij complures. Soiskius graviter vulneratus cum fugeret à ruſtico ſecuri occiſus eſt. Ex Lituanis vix viginti deſiderati: 800. circiter ſauciati: Serebernius per ſylvas elapſus aufugit, cæteri plerique à ruſticis cæſi. *Emblemate Rex docet optimus, ſe & ab hoſte, cui viribus impar eſſet, nihil ſibi timere: & pacis, ſi hæc magis placeret, eſſe perſtudioſum.*

Fulgura belli: palmulæ ramus pacis ſymbolum. Thuanus. Author.

NVMMI MEMORIÆ DICATI.

CVSI POST CALICIS VSVM, IN Sacra Cœnâ, Eccleſiis Auſtriacis à Pontifice permiſſum. Anno Chriſti 1564.





TRidentino finito Concilio Pius IIII. Pontifex, Vintimilienſem Epiſcopum miſit in Germaniam: ut concilij illius edicta promulgâret. Ferdinandus Cæſar, quò promptius ad obſequia Pontifici ſeſe offerebat: hoc ſolicitus ab eodem petebat: primò ut Laici in Sacroſancta Synaxeos Cœna ad ſpeciei utriusque uſurpationem admitterentur. Deinde ut ratio iniretur, quâ non ſolum Sacerdotes, qui relicto cœlibatus voto, matrimonij leges ſubiiſſent, Eccleſiæ reconciliari poſſent: ſed etiam benignè concederetur, ut iis in locis, in quibus Presbyteri, eo numero qui ſufficiat, haberi non poſſunt, ab Epiſcopis Viri Laici juſtæ ætatis ac doctrinæ, vitæ ſimul inculpatæ, ac bonæ famæ, ad miniſterium altaris & alia Sacerdotalia munia admittantur. Conſentiente ad prius illud Pontifice, vehementer lætatus fuit Imperator pientiſſimus: & gratias Deo egit, quod id tandem impetraſſet, quod multis votis & ſupplicibus literis Auſtriacæ regionis populi flagitarunt: ipſe vero ad concilium Tridentinum: concilium ad Pontificem rejecerat. Judicavit enim beneficium ampliſſimum ſibi tributum eſſe à Pontifice, cum tot precibus rogatus certis tamen conditionibus id tandem conceſſiſſet: quod Chriſtus diſertè & ſeriò ſingulis ſuis Chriſtianis mandat. Poſterius quod denegaverat Pontifex, urget, Ferdinando paulò poſt mortuo, Maximilia-

nus Filius, literisque, per Proſperum Arcuenſem Comitem datis ad Pontificem, rogat, ut, quod ad Sacerdotum conjugia attinet, de ſeveritate aliquid remittat: & Noricis, Boiis, Quadis, Marcomannis & Pannoniis in ea re gratificetur. Nam calicis conceſſionem fructum, quem oportet, minimè afferre poſſe, niſi & ea in parte penuriâ Sacerdotum laborantibus Provinciis ſubveniatur. *In beneficij hujus, Eccleſiæ præſtiti memoriam, nummum hunc fieri fecit Imperator: alterius (qui ab incerto authore clàm ſparſus ac diſſeminatus fuerat) quod nam ſit votum, judicio Lectoris relinquo. Dreſſerus. Author.*



NVMMVS LVGVBRIS
FERDINANDI IMPERATORIS
obitum ac ſepulturam indicans : Cuſus Anno Chriſti 1565.



AVguſto huic Pio, Felici (plura non poterat capere Nummi lugubris anguſtia) ecquod dignum magis ac locuples Elogium ſubjecero : quàm illud Jacobi Thuani, facundiâ Livianâ redundantis Hiſtorici? *Ferdinandus* (verba modò laudari) *levi febri initio, mox vehementiore per ſemeſtre tentatus, accedente aquâ intercute, quâ maſſâ ſanguinis corruptâ, jam ſe per tumorem inſolitum prodebat, cum ſummum diem inſtare præſagiret, non tamen ſe ante feſtum Jacobi diem, fatis conceſſurum affirmavit. Nam ita Deum decreviſſe, ut quemadmodum, inquit, is peregrinus apud nos, ita Ego Hiſpaniarum infans extra ſolum natale, cum ipſo peregriner. Tandem 8. Cal. Sext. qui Jacobo ſacer eſt, ſicuti prædixerat, placidè in Deo obdormivit: cum LX. annos IX. menſes vixiſſet: Imperium ſolus 7. annos adminiſtraſſet, Princeps prudentiâ, juſtitiâ, liberalitate, aſſiduitate, vigilantiâ nulli ſecundus: ſed ſuper eas omnes virtutes, pietatis in illo & pacis in domo Dei conſtituendæ præcipuum ſtudium fuit. Nam ut in impetu Turcorum, cui impar viribus erat, ſuſtinendo ac frangendo morâ & arte uti optimum factum experientiâ didicerat: ſic & in religionis negotio non igne & ferro graſſari: ſed colloquiis, & diſputationibus: amicis collationibus, Conciliis denique, ſive Nationalibus, ſive Oecumenicis rem gerere tutius judicabat.* Plura mereris Imperator Optime: ſed laudes tuas, nec nummus (dixi ante) nec pagina hæc capit. *Hiſtoricus allegatus.*

Author.

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS JOANNIS SEBVSIENSIS SECVNDI contra Maximilianum Imperatorem arma moventis: Cuſus Anno Chriſti 1565.



IN pacta fœderis, quæ Ferdinandus Imp. cum Sultano Solymanno inerat Anno Chriſti 1560. conſenſerat quoq; Joannes Vaivoda Tranſylvaniæ: quem jam pridem Solymannus Regno Ungariæ, jure hæreditario poſſidendo, donârat. Mortuo itaque Ferdinando Cæſare ſolutas inducias ratus, miro ſilentio ad occupandum Zatmar contendit, oppidum in finibus Pannoniæ inferioris ſitum, quod Cæſar Melchiori Balaſſo propter res præclarè geſtas dono conceſſerat. Illud oppidum cum paulò negligentius cuſtodiretur, paucaque haberet præſidia, ſine pulvere & ſanguine repentino Vaivodæ copiarum adventu occupatur. Factum excuſavit Joannes, quod Balaſſum perfugam, & arcanorum ſuorum conſcium, à Ferdinando, contra decorum & pacis leges, receptum diceret. Aſtu in eo capiendo hoc utitur: magnum armentorum numerum præmittit, cum paſtoribus ac bubulcis, qui ingenti pulvere cum oppidum præterveherentur, excitato, conſpectum præſidiariis adimerent: ponè ſequebantur undecim delectorum militum ſigna. Ad repentinam illam nubem Balaſſus continuò mittit, qui quid eſſet viderent, cum illi armenta ſe tantum vidiſſe renũciarent, habitâ fide præſidiarij ſecuri quieverunt, donec præter vectis armentis, cum aer adhuc obſcurus eſſet, delecti antequam videri ac præveniri poſſent, impetum ab omni parte faciunt, & ita inopinato caſu territis præſidiariis locum exiguo negotio, & in eo ipſum Balaſſum cum uxore, liberis, ac theſauris capiunt. Quam injuriam ſub regni initium Maximilianus minimè ſibi ferendam ratus, ultra modum contra Joannem excanduit, coactasq; ſtatim copias Caſſoviam præmittit, ut eius impetum, ne ulterius progrederetur, retardarent, donec totis viribus, & cum juſto exercitu ipſe in Pannoniam deſcenderet. *Com. Natal. Thuanus.*

NVM-

NVMMI TRIVMPHALES

JOANNIS VALELLÆ, MAGNI ORdinis Melitenſium Magiſtri: Cuſi Melitâ Inſulâ magno quidem, ſed fruſtraneo conatu à Turcis oppugnatâ: Anno Chriſti 1565.



Solymannus Turcarum Imperator, equitum Melitenſium crebris excurſionibus irritatus, maximam claſſem ad Melitam expugnandam hoc anno mittit: ducibus exercitij præfectis Muſtaphâ & Pialio Baſſis. Non minus Joannes Valetta Gallus, ſummus ordinis Magiſter, de his antea per exploratores certior factus, omnia ad reſiſtendum neceſſaria præparat.

Digitized by Google

parat. Erant in defenſionem Inſulæ propugnacula tria: munitiſſima ſitu & arte loca: caſtrum S. Angeli: Arx S. Michaëlis: & S. Elmo. Munitionem S.Elmo Turcæ primo omnium occupant, tandemque expugnant. Poſt, civitatem arcemque D. Michaëlis concutiunt bombardis 70. varioque impetu aſſultuque aggrediuntur: muri magnâ parte dejectâ, unâ ſimul impreſſione irrumpere moliti, ſtrenuè propulſantur. Tandem S. Michaëlis civitas & arx diverſis oppugnantur viribus: bis ceſſant, quieſcuntque Turcæ; victoriam tertiâ impreſſione expectantes, deſideratis ſuorum pluribus, repelluntur. Interea Garcia Toletanus Siciliæ Prorex cum 72. triremibus appellit: magnum numerum militum in terram exponit: exploſis tormentis in Siciliam, copioſiorem exercitum (ſi opus foret) adducturus navigat. Turcæ cum poſtremam oppugnationem totis viribus ſtatuiſſent, certiores facti Chriſtianorum ſubſidia tunc appuliſſe, vaſa colligunt: tormentisque, prædâ & manubiis in naves delatis, fuga vitam redimunt. Rurſus tamen Turcæ numero circiter 10000. caſtra Chriſtianorum invaſuri, terga dare, & triremes ſuas repetere coguntur, magnâ ſuorum jacturâ factâ. Solvitur tandem obſidio Inſulæ 12. ſeptemb. Turcarum prælio, morbo, aliisque incommodis interfectorum numerus erat circiter 36000. Chriſtianorum nõ pauci: Rhodiorum militum 313. deſiderati. Ab hiſtoriâ ad ſymbola venio: in quibus magni Ducis pietatem veneror, exoſculor. *Carnifici præcidendam cervicem præbuit Johannes, Chriſti præcurſor, propter veritatem & juſtitiam. Hujus gerens nomen Valetta: gerens animum, paratus eſt cum ſuis, pro Dei gloria, patriæq́; ſalute ad ſanguinem profundendum. Non in fortitudine ſuâ, Dux bonus, ſibi ſumit cornua: confidit in curribus & equis: ſed in dexterâ Domini, quæ facit virtutem.* DEO JUVANTE *Inſulam, fidei ſuæ commiſſam, defendit Valetta. Partam victoriam non fortunæ, non ſuis artibus aut viribus, ſed auxilio divino fert acceptum dux bonus. Pulſis Turcis* ἐπινίκιον *Valetta canit, quo mulieres Davidem exceperunt à cæde Goliathi reducem: Proſtravit Saul mille: David decem millia. Meterranus.*

Author.

NVMMVS CASTRENSIS

LAZARI SCHWENDII BARONIS in Hohenlandſperg: Cæſarei exercitus, in Ungariâ & Tranſylvaniâ, ſummi Præfecti: cuſus rebus præclarè contra Turcas geſtis: Anno Chriſti 1565.



POſtquam Tranſylvanus violatâ pace Zatmarum occupaſſet: Lazarus Schwendius vir Illuſtris: conſilio, vigilantiâ, fortitudine, diſciplinâ militari, nominis denique celebritate inclytus, Cæſarianis copiis præficitur: ſummamque rerum agendarum poteſtatem nactus, caſtellis cæteris oppidisque relictis, Tockaium primò adoritur: quam arcem naturâ & arte ſatis munitam; Franciſcus Nemethius, non contemnendo præſidio, tum temporis tenebat. Oppugnatur caſtrum acerrimè, tertiâque ſtatim verberatione (poſteaquam Nemethius ictu glandis occubuiſſet) deditione capitur, ingenti rerum omnium copiâ ibidem repertâ. Utendum fortunæ ſucceſſu ratus pergit Heros laudatiſſimus: Zathmaram, Zerentium, Erdeudam, Kuvaram, Sendereviam, aliaque inſignia loca proſpero victoriæ curſu expugnat. Cæterùm *ſymbolo hoc numiſmatico virtus quid poſſit, infractusq; viri fortis animus declarat. Haud ſecus enim atq; Aetna mons Siciliæ; ignem ſuum favillasq; longè lateque proijcit: nec tamen ejaculatione ejusmodi aſſiduâ conſumitur: ſic virtus (bellica inprimis ac militaris) & lucet in tenebris, ſplendetq; per ſe ſemper: & rebus in adverſis illæſa perdurat: non naufragio, non incendio amittitur: non tempeſtatum, non temporum permutatione mutatur: ægreſcere poteſt: emori non poteſt.*

Author.

PRIOR MAXIMILIANI SECVNDI Imperatoris: Cuſus ante expeditionem in Ungariam ſuſceptam: Alter Federici Aſinarij Camerani Comitis, Cæſaris caſtra ſequentis: Annó Chriſti 1566.



MAximilianus Imperator, cum in propriis viribus non ſatis ſtabilimenti ac præſidij ſibi repoſitum eſſe videret, adverſus Solymanni copias, qui cum quingentis millibus armatorum in itinere eſſe dicebatur, comitia indicit Auguſtam univerſæ Germaniæ, in menſem Decembrem. Congregatis Principibus imminentis belli proponit magnitudinem: auxilia petit, quæ ei liberaliter ad certum tempus decreta. Inſuper verò, Turcarum ingentis exercitus famâ complures exciti reguli ac proceres, ex diverſis orbis partibus ultrò nomina dedere Cæſari (*qui plus tamen in divinâ providentiâ, quam humanis viribus confidebat*) inprimis autem Comes Cameranus cum quadringentis equitibus ſclopetariis egregiè inſtructis, à Sabaudo miſſus fuit. Viennam itidem venit ex Italia feſtinatis itineribus Adrianus Paleonus vir militari laude inſi-

gnis:

Digitized by Google

gnis: quem paulò poſt Alphonſus Caſtaldus eſt ſubſecutus cum ſuis copiis. Venère etiam à Coſino Florentino Duce copiæ auxiliares: ex Gallis Henricus Guiſius adhuc puer cum delecta Gallicæ juventutis manu : ex Britannicâ nobilitate Thomas Schmithus, Guilhelmus Georgius: Henricus Camberronus, alii: Albertus Laſcus è Sarmatia. Collecto hoc milite, cum , quid facto opus eſſet, conſultaretur, initio placebat , Strigonium ducendum eſſe militem. Verum alij contra diſputabant , obſeſſo Strigonio neceſſitatem aleæ prælij ſubeundæ imponi , tam vicino Solymanno : eâque propter obſidionem in aliud tempus magis opportunum differendam videri. Quam etiam in ſententiam abijt Maximilianus , & in præſentiarum ſatis habuit Noricos ac Pannonicos fines tueri. *Ad nummum Camerini quod attinet , innuere videtur Dux inclytus, ſitum eſſe in mortalium poteſtate atq; arbitrio : utrum per virtutem, factaq; cedro digna inclareſcere velint , inq; luce oculisq; hominum verſari: an propter inertiam tenebris ignobilitatis contegi. Diei namq; ac lucis Symbolum Diana eſt, ſub auroram cum canibus venatum exiens : unde & Lucifera à veteribus dicta : noctem viciſſim non Pluto modo Infernalis Proſerpinam rapiens, ſed & Luna cum ſtellis denotat. Thuanus. Author.*

NVMMVS CASTRENSIS
CAROLI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ:
Cuſus poſt cladem Turcis, Auſtriæ fines deprædantibus, illatam, Anno Chriſti 1566.



TVrcæ hoc eodem anno, in finibus Pannoniæ frequentes procurrebant ad fines uſque Auſtriacos, & ad Peſſium: cum Joannes Tranſylvanus cum Pannonibus, copiis & Scythicis, trajecto fluvio Tibiſco, populabundus agrum Auſtriacum hoſtiliter etiam devaſtaret. Sed Carolus Archidux Auſtriæ non ſolum magnificentiâ animi & probitate clarus: verum etiam fortitudine & peritiâ rei bellicæ inſignis, cum triginta armatorum millia collegiſſet, non patitur ſuos impunè vexari: hoſtem fortiter ſuſtinet, frequentibus incurſionibus & ipſe vexat: bonamque partem ſuarum copiarum mittit ſuperiorem Myſiam verſus, Florelio Turrio duce: quæ copiæ magna alacritate regionem ingreſſæ, in Illyrium uſque procurrunt. Boſnæ præfectus auditis his incurſionibus exiens ad eas impediendas, multa armatorum millia educit, Savumque flumen traiicit. Harum copiarum adventu Caroli copiæ relictâ oppugnatione Argiruti, primam aciem hoſtium mira alacritate adoriuntur, atque in fugam vertunt, præfectum illarum copiarum vulneratum capiunt: omnes Turcas trucidant. Bannus ex altera parte cum ad oppidum Solonen acceſſiſſet, quatuor Turcarum millia habet obvia: cum iis prælium committit: magnam partem trucidat: reliquos diſſipatos, partim capit, partim in proxima caſtella compellit: victorias obtinet memorabiles alias, cum militem ſuum Duobus Turri Georgio & Turriferreo conjunxiſſet. Monet ſereniſſimi Principis ſymbolum, fortiter periclitandam eſſe fortunam: eò quod id genus hominibus fortuna quaſi faveat: infenſa iis, qui nihil audent experiri: ſed veluti cochleæ perpetuo latent intra teſtas. *Comes Natalis. Eraſmus in Adagiis.*

NVM-

NVMMVS VOTIVVS NOBILIVM BELGII CONFOEDERATORUM: cum effigie Margarethæ ab Auſtria; Duciſſæ Parmenſis gubernatricis in Belgio: cuſus Anno Chriſti 1566.



PHilippus Hiſpaniarum Rex precibus ordinum Belgicorum conceſſit, ut militum præſidium in Belgio, præter id, quod in finibus ſervari ſolitum erat, nullum relinqueretur: Hiſpanis in Italiam amandatis. Iter autem in Hiſpaniam ſuſcipiens ſororem ſuam Margaretham, (quæ Duci Parmæ & Placentiæ nupſerat) toti germaniæ inferiori præfecit: ſtipulatâ à Proceribus fide, quod in obſequio manſuri eſſent; & ſorori in adminiſtrandis politicis negotiis non defuturi. Interim actis Concilij Tridentini in Hiſpaniam allatis, Rex conſiliariorum ſuorum hortatu ea publicanda curavit: non ſolum in Hiſpania, ſed omnibus aliis ſuis in ditionibus. Itaque literas ad ſororem Belgij Gubernatricem miſit, quibus eam monebat, ut Tridentini concilij decreta ſine ulla prævaricatione obſervanda curaret, atque omnia edicta Caroli V. patris, adverſus hæreticos, vim integram ac plenam authoritatem haberent. His literis promulgatis, non ſolùm populus, ſed etiam nobiles attoni-

Digitized by Google

ti fuêre, quod vel indignationem Regis, vel grave jugum conſcientiarum ferendum ſibi eſſe viderent. In has itaque anguſtias redacti Gubernatricem adeunt, illique demonſtrant, quæ pericula toti Belgio immineant, ſi mandatum Regis exequi velit. Illa nobilium precibus victa, Egmontanum ad Regem miſit, qui ipſius animum, ad mitius cum ſubditis agendum flecteret. Reverſus in Belgium cum mandato Regio, in frequenti Procerum conventu, quid cum Rege fuiſſet actum, enarravit: jubere namque, ne quid in punitione hæreticorum hactenus conſuetâ vel remittatur, vel mutetur. Cui determinationi ſe oppoſuerunt Aurantius, Egmontanus, Hornenſis, & multi nobiles, qui ſolenni inter ſe icto fœdere jurarunt, ſe nunquam permiſſuros, ut in detrimentum Belgicæ libertatis inquiſitio apud populum introducatur. Bruxellis itaque cum quadringenti amplius numero admitti à Parmenſi petijſſent, Non: Aprilis ex Culemburgi Comitis ædibus prodeuntes, quini quaternique magno ſilentio & ordine ad palatium tendunt, libellumque ſupplicem Gubernatrici humiliter offerunt: cujus hoc potiſſimum argumentum erat, ut in edicti Regij executione moderatio quædam adhibeatur. Præſente adhuc Nobilium cætu dixiſſe fertur unus è Proceribus, ut Gubernatrici metum amoveret, tantùm catervam Geuſiorum, id eſt, mendicorum eſſe: fortè quod nonnulli eorum tenuioris fortunæ eſſent. Hi referunt, ſe neutiquam pudere Geuſios aut mendicos ob ſervitium Regi, aut commodum patriæ præſtitum, cognominari. *Ab eo autem tempore Geuſij potiſſimum vocati ſunt, fœderatiq; omnes aureum nummum de collo pendentem geſtarunt, unâ parte Regis, alterâ duarũm manuum junctarum, & per medium peræ extenſarum formâ ſignatum cum hâc inſcriptione: Fideles Regi usq; ad peræ mendicabuli geſtationem.* Præterea mendicorum ſcutellas & caliculos pulchrè cælatos pileis ſuis affixos habuerunt: veſtiti ferè omnes cinericei coloris indumentis. *Thuanus.*

Meteranus.

Digitized by Google

NVMMVS VOTIVUS

ANTONII PERENOTI CARDINAlis, Epiſcopi Atrebatenſis: Cuſus ſub Albani Ducis in Belgium diſceſſum: Anno Chriſti 1567.



AD Belgas in ordinem redigendos, primò quidem ipſe proficiſci in Belgium ſtatuit Philippus Hiſpaniarum Monarcha: paulò poſt tamen, profectionem nonnullis diſſuadentibus, ſententiam mutat: Ducemq́ue Albanum executioni deligit: utpote tali negotio comprimis idoneum: militiæ expertem: Belgici populi, morum, regionisq́ue totius ſitus non ignarum. Priusquam ex Hiſpania diſcederet, *Pius V. Pont. Max. religionis zelo motus, per Antonium Perenotum, Granuellanum Cardinalem, Epiſcopum Atrebatenſem, ſanctam ei roſam cum gladio & vexillo, pro ſtrenua defenſione Eccleſiæ Romanæ, atq; propulſatione irrumpentis Auraici, ſolenniter offerri curat.* Dono hoc plurimum lætatus, cum Hiſpanorum militum maximo numero, & duobus filiis Friderico & Ferrando à Toledo Barcelonæ navem conſcendit: feliciq́ue uſus navigatione Genuam applicuit: paulò poſt Aſtam venit; cum ipſius copiæ circa Duriam fluvium ſtativa haberent. Albericus interim Lodronius tria Germanorum peditum millia & quingentos equites, Auguſtæ Vindelicorum colligit, proceditq́ue obviam Albano Namurium usque ne traiicendis fluminibus, prius ab hoſte opprimeretur, quam in Belgium perveniret. Albanus Lotharingiam egreſſus ad Theonvillam ſubſtitit, inde per Luxemburgum Namuriumq́ue proficiſcitur, ubi junctis cum Lodronio copiis Bruxellas verſus iter intendit. *Richardus Dinothus: Meteranus.*

NVMMVS ICONICI AC TRIVMPHALES:
SPECTANTES AD HISTORIAM
ſuſceptæ executionis contra S.Rom. Imperij rebelles: captam urbem Gotham: cuſi Anno Chriſti 1567.

HOc namque Anno Germania bellum habuit, ſuſceptum decreto & geſtum ſumptibus communibus omnium ordinum Imperij, adverſus Grumbachianæ conjurationis duces, ac horum Receptatores: Duce Illuſtriſſimo Principe Electore Saxoniæ Auguſto. Hiſtoriâ prolixa in epitomen contractâ, res ferè ita ſe habet. Guilhelmus Grũbachius (cujus hic Imaginem exhibemus) è nobili quidem ſtirpe Orientalis Franciæ natus: ſed â verâ generoſi animi nobilitate alienus, & factioſis conſilijs deditus, Vaſallus erat Antiſtitis Würceburgenſis Melchioris Zobelij.



Hic offenſus Grumbachio cum ob cauſas alias, tum quod Alberto Brandeburgico militaſſet, factumque colore, neſcio quo, palliare conaretur, Feudo eum privat. Intercedit exiguum temporis intervallum, quo Zobelius, ex urbe Herbipoli in arcem, per Mænipontem, aſcenſurus, aliquot ſclopetorum ictibus inſidiosè necatur: magnâ Grumbachium ſuſpicione premente, quaſi is cædis hujus author caputque fuiſſet. Reus ſcripto ſeſe purgat, injurias prætendens, quibus ab Epiſcopo afficiatur: magnam ſimul ex ordine Equeſtri ſibi manum comparat, ad rem bello etiam, ſi opus foret, decernendam, Quin ad præſidium nobilitatis adjungit Patrocinium Principum, gratiâ, authoritate, affinitatibus potentium: præferens cæteris Ducem Saxoniæ Iohannem Fridericum Secundum; quem penes, cauſæ maritis immenſum exaggeratis, eò facilius ſeſe inſinuat, quo facilius illuſtres perſonæ ex animi ſui candore, æſtimare alios conſueverunt.

Digitized by Google



Nactus Patronum tantum majora tentat: congregatis ſocijs circiter octingentis Würtzburgum, noctu effractis portis, adoritur, capit, diripit. Imperator Ferdinandus atrocitate facti graviter offenſus mandat: ut in judicio Camerali non tam violatæ fidei erga Dominum Feudi inſidioſè circumventum, ſed & fractæ pacis publicæ reus agatu. Moritur interea Ferdinandus: ſuccedit Filius Maximilianus: à quo, flagitante executionem Antiſtite Herbipolitano, proſcribitur Grumbachius vice alterâ cum ſocijs, & eorum receptatoribus. Duci Auguſto Electori Saxoniæ demandatur ab Imperatore, & cæteris ordinibus decreta in proſcriptos, ni pareant, executio: cunctantē & bellum hocce toto animo averſantem impellere Imperator ac urgere non deſinit, ut obſidionem Gothæ acceleret. Hoc publici magis quam priuati periculi reſpectu Elector, quod imperij authoritatem detrectare non liceret, Gotham proſcriptorum receptaculum obſidet: deditionem fieri flagitat: denegatâ arctius obſeſſos includit: impeditâ ſtipendiorum ſolutione: commeatu deficiente, occiſo præcipuo Capitaneo urbano miles conductus cum plebeculâ, quæ in urbem defenſionis cauſa contracta erat, fremere ac tumultuari incipit: fit concurſus ad arcem: portæ vi recluduntur: Comprehenditur factionis Princeps Grumbachius cum complicibus Doctore Chriſtiano Bruckio Cancellario: Brandenſteinio tribuno militum, & Iohanne Beiero, quondam Electoris Quæſtore. Urbem & arcem ingreditur Elector 13. Apr: cum legatis Imperatoris: cuſtodiæ Principi ponuntur, qui ſe tradit in manus & poteſtatem Cæſaris, deditione legatis factâ: conjurati tormentis ſubijciuntur: ſententia in capita eorum promulgatur: pari cum Grumbachio ſupplicio afficitur Cancellarius, diſſectione corporum in partes quatuor. Stenius capite truncatur:

Digitized by Google

truncus quadrifariam ſcinditur: gladio itidem ſubijcitur Brandenſteinius, Beierus ſuſpenditur. Plectitur & capite David Baumgartnerus ſeditionis reus: laqueo punitur puer magus. His peractis dividuntur machinæ bellicæ centum ſexaginta octo grandiores Cæſari dono mittuntur:



exercitus omnis dimittitur: Arx Grimmenſtein longè ele[illegible] ac munitiſſima diruitur ac ſolo æquatur. *Author incertus de bello Gothico.*

NVMMVS CASTRENSIS GVILHELMI PRINCIPIS AVRIA-ci, Comitis Naſſovij, cuſus ſub ipſum (uti videtur) belli Belgici primordium. Anno Chriſti 1568.



GUilhelmus Auriacus, tyrannide Albani m cum Ludovico fratre in Germania Princ ximè proteſtantes convenit: deplorans pa calamitatem conqueritur, quod contra con nes pacis & Belgarum privilegia, omnes munitio-nes repletæ ſint Hiſpano milite: arces plurimæ eri-gantur: fiant cædes propè quotidianæ nobiliſſimo-rum hominum; nec tantum de ſalute & libertate Belgarum in præſenti, ſed totius Germaniæ inco-lumitate agatur. Eo certè Principum animos perducit, ut fœdere percuſ-ſo omne genus auxiliorum liberaliſſimè ei promiſerint: quibus etiam ad-juvantibus, Auguſto comprimis Duce Saxoniæ: Joanne Caſimiro Palati-no Comite: & Wolffgango Duce Bipontino, duodecim millia peditum, & tria equitum colligit. Non verò his ſolum copiis, ſed etiam Belgarum ar-mis adjutus putabat fore, ut Albanum è Belgio eijciat. Nulla autem fuit civitas, quæ auderet palam tumultuari, cum omnes eſſent præſidijs minus firmis munitæ. Albanus nihil his territus mandata contra religionis novæ annuntiationem repetit: jubet arma civibus eripi, & ad urbis præfectos deportari. Cum etiam comperiſſet, Auriacum, atque eius fratrem Ludo-vicum, magnas copias in Germania colligere, ad tuendos Belgij fines mi-lites Italos Tornaco evocat: Præſidium ex Hiſpanis in arcem munitiſſi-mam Bredanam mittit: viam intercludit Gallis & Belgis, qui duce Billæo in Belgium contenderant: adoritur eosdem propè urbem Dalemum in Clivenſi agro: trucidat circiter mille ſexcentos: reliquos diſſipat. *Licet* ita-

Digitized by Google

que *deſenſionis principia Auriaco (magno Principi, & cujus in Belgium beneficia nu la ætas ignorabit) minus ex animi ſuccederent ſententia: & hac quidem Regis proſcr. ptione: illâc ſævitiâ atq; immanitate Albani, illac cæde ſuorum haud ſecus atq; und. obrueretur: nixus attamen Chriſti præſidio non minus tutum ſeſe ſtatuit, atq; Halcyo avicula imbellis, & paſſere paulò major in nidulo ſuo: cui fluctus ac procellæ maris in commodi nihil adferunt: quod domicilium hoc eius (Plinio teſte ſit ore per quam anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine: & tantâ inſuper duritie, ut ferro incidi vix queat. Richard. Dinothus. Author.*

NVMMVS TRIUMPHALIS

CUM ICONICO FERDINANDI Toletani, Albæ Ducis: victoriâ, ad Gemingam, de Ludovico Naſſovio partâ: cuſus Anno Chriſti 1568.







LUDOVICUS Naſſovius Wilhelmi frater, collectâ non parvâ peditum equitumque manu in Friſiam deſcenderat: ſumptis, ut ajebat, armis pro patriæ ac conſcientiarum libertate. Quod & inſcriptione vexillorum ſignificabat, hoc ferè utens ſymbolo: AUT RECUPERARE AUT MORI. Provinciam eam pervagatus: Vedam Arenbergici Comitis arcem oppugnat ac diripit: Damam occupat: Arenbergium Friſiæ præſidem cum Bracamontij & Megenſis ſignis profligat. Albanus de clade hâc factus certior præſidijs Hiſpanicis undique evocatus cum præſidiarijs Gröningenſibus ſe conjungit, ac hoſtes, qui nocte inſequenti ſarcinis præmiſſis, pontibusque ruptis, Embdam contendiſſent, inſectatus, eorum mille interfecit, nec ab inſequendo deſiſtens, ſed Anriſum tranſiens Naſſovienſis pedites, à pontium tranſitu hoſtem arcituros, fugat: ac mox ad caſtra Naſſovienſis, propè Gemingam locata, contendit. Naſſovius aciem in duo majora agmina diſtribuerat, fronte in hoſtem verſâ, & ad dextram equitatum collocaverat: rurſus ante aciem tormenta direxerat. Horum diſploſione cum aliquantùm

infeſtati Regij, ulterius progreſſi ad manus cum hoſte veniſſent, eorum paucitatem contemnentes Naſſoviani extra foſſam in pratum ſubjectum ſignis explicatis deſcendunt: ſed à Loperio Figeroa repulſi in fugam vertuntur, & pavorem collectum in ſuos effundunt. Mox Avalo cum equitatu incumbente, & ſclopetariis domos proximas invadentibus, Albano etiam cum toto exercitu ſuperveniente, Naſſoviani ex ordine ſoluti profligatique ſunt. A meridie ad veſperam continuata cædes, nec nocte intermiſſa, in diem usque ſequentem producta eſt: cadaverum, loricarum, galearum, gladiorum atque armorum multitudine tantâ vijs oppletis, ut ultro citroque itare per vias non liceret. Cumque Germani aliquot in Inſulam, in æſtuario fluminis poſitam cōfugiſſent, ad unum omnes cæſi ſunt. Reliquias prælij Avalus & Martinengus perſecuti ſunt quatuor amplius millia Germanica. Deſiderati ex fæderatis amplius VII. millia: capta XX ſigna: reliqua in flumen demerſa. Nusquam tantam victoriam tam exiguo ſanguine ſuo victores redemerunt: cum non amplius VIII. ex Regijs ceciderint. Naſſovius & Juſtus Schauenburgius poſt fortiter navatam operam vix natatu in ulteriorem ripam fluminis egreſſi, naviculâ conſcenſâ Embdam incolumes pervenerunt. Cauſam cladi dediſſe proditum eſt, exortam inter milites ſeditionem, ob ſtipendia promiſſa, & non in tempore perſoluta: quâ effectum ſit, ut & incurioſè ſtationes abirent: & ducum mandata abnuerent: & ad extremum, hoſte inſtante, ſegnius pugnam capeſſerent.

Albano, debitæ pietatis ac gratitudinis
Ergo ——— *Sabæo*
Thure calent aræ, ſertisq; recentibus halant.

Thuanus. Author.

Digitized by Google

NVMMI CASTRENSES WOLFGANGI BIPONTINI ALter: cuſus ſuſceptâ in Gallias expeditione: alter confœderatorum ſub ipſâ Gallici & Germanici exercitus conjunctione: Anno Chriſti 1569.





CVm Wolffgangus Palatinus Bipontini Dux, per Gervaſium Barberium Francurium à Condæo rogatus, exercitum conſcripſiſſet: ei à Friderico Electore, gentili ſuo, cum ſummo Imperio dux deſtinatus eſt: ut in Gallia laborantibus fœderatis præſtò eſſet: cumque prævideret fore, ut in varias non ſolùm apud Regem, ſed & externos Principes, reprehenſiones ob id incurreret, ab Aumalio, qui ut tranſitum ejus impediret, miſſus fuerat, per literas interpellatus, non ad ipſum, ſed ad Regem prolixum ſcriptum dedit: & excuſatâ conſcripti exercitus neceſſitate (nimirum ut fines ſuos, ſuperioribus annis militaribus copijs per eos tranſeuntibus, populatos ac direptos tueretur) Navarræum ac Condæum, & qui eandem cum ipſis religionem in Gallia profiterentur, apud ſe de injurijs graviſſimis conqueſtos dicit: quod bonis fortuniſque, & quod minus tolerabile ſit, in conſcientiarum libertate, contra edicti nuper promulgati fidem affligentur. Poſtridie quam ſcriptum dedit, cum pars copiarum Rhenum tranſmiſiſſet, ipſe Tabernis Montanis ditionis ſuæ oppido diſcedit, & prid: cal. Mart. Hochfeldum, in præfectura Hagenoenſi ſitum pagum, pervenit, quem locum pro diri-

pro diribitorio equitum delegerat. Ibi luſtrato exercitu cenſiti ſunt 7597. equites: non putatis equis curulibus: peditum egregiè inſtructorum ſub 29. ſignis 6000: Ducibus Quirino Gangolpho Domino in Hohen Geroltzeck Bipontini vicario, & Ioanne Iacobo Granvillario. Bipontinus, qui univerſis præerat, Volradũ Manſfeldiũ Caroli fratrem legatũ dixerat. His ſe adjunxére ex Gallis & Belgis Wilhelmus Naſſovius Auraſienſis princeps: Ludovicus ac Henricus fratres, & aliquot turmæ equeſtres. Aumalius viribus inferior, quàm ut Bipontinum ingreſſu regni prohibere poſſet, per Sequanos, & inde Ciſtertium usque Germanos, qui juxta Monſtrolium Araris fluviũ tranſmiſerant, inſecutus eſt. Ad Gillicũ haud longè à Ciſtertio acriter certatũ, & æquato ferè utrinque damno. Ad VIII. Cal Aprilis Belnæum tendunt, ubi biduum morati, dum carri & cætera impedimenta advenirent, Vezelias caſtra promovent. Hic Aumalius re deſperatâ ab inſequendis Germanis deſtitit, & per Autiſſiodorenſem agrum ad Ligerim deflectit, ut eos tranſitu prohiberet, ibique cum Andino, quem cum toto exercitu illuc venire intellexerat, ſe conjungeret. Is ante Genabum venerat, & ſecum præter Gallicas copias Germanorum auxiliarium equitum quinque millia habebat: quorum primarij Duces erant Philibertus Marchio Badenſis, duo Diezij nati ex illuſtriſſima Heſſorum Principum familia, Weſterburgius, Leiningius, Rheni Comites, & Baſſompierus. Bipontinus vado indicato, juxta Pullium in agro Nivernenſi, cum partem copiarum tranſmiſiſſet, de Charitæo in poteſtatem redigendo cogitare cæpit, loco opportuno, ad copias, cum opus eſſet, citra periculum ultro citroque traijciendas. Pulſatâ tormentis urbe, is qui loco præerat territus clàm noctu aufugit: ejusque diſceſſu turbati oppidani colloquium poſcunt; acciditque ut dum colloquuntur utrinque delegati, quidam ex oppidanis, qui proteſtantibus favebant, ſigno dato funem demiſerunt, per quem hoſtes enixi alius poſt alium tandem oppidum trepidum occupaverunt. Ex eo tempore variè laboratum à Colinio & Ducibus Hugonotorum reliquis, ut vires ſuas cum Germanorum & Belgarum copiis ſociarent. Verò priusquam voti ſui compotes redderentur, Bipontinus corpore gravis, cum diu antè quartanâ laboraſſet, ex itineris fatigatione, tandem Neſſunij inter Ludovici Comitis Naſſovij manus expiravit 3 Idus Junij, annos 43. natus: cum prius ſuos ad bellum, pro communi cauſa & idem ſentientium principium ac ſociorum libertate, ſuſceptum fortiter proſequendum hortatus eſſet, & Volradum Mansfeldium Comitem ſummum armorum ducem dixiſſet. Quatriduo poſt, ubi ambo exercitus convenêre, poſt gratias à Navarræo & Condæo actas, fœdus renovatum eſt: *cuſâ aureâ monetâ, in cujus anticâ parte Navarreæ & Henrici filij expreſſa effigies erat, cum elogio: in poſticâ Pax certa. Victoria integra: Mors honeſta.* In nummo altero *Draco cum Elephante luctans conſpicitur; & quia hic vaſtus admodum corpore; ille ex arboribus ac ripis inſidiatur validiori: correpti proboſcidem lethali ſtringit caudâ, ſicq. ſpiritum ei intercludit. Sed neq. ſine vindictâ Elephas moritur, verùm caſu ſuo hoſtem obruit, moleq. corporis elidit. In tyrannos dictum, qui (uti lemma habet) juſtâ punitione mutuis non raro vulneribus corruunt. Myſta quos deſignarit, ulterius mecum* (Lector amice) *cogita. Thuanus. & Author.*

NVM-

NVMMVS TRIVMPHALIS
CAROLI IX. GALLIARUM REGIS:
cuſus poſt victoriam de Hugonotis ad Monconturum, partam. Anno Chriſti 1569.



COndæo ad Irnacum, propè Engolismam, prælio victo, capto, & contra fidem datam à Monteſquio trucidato: nihilominus filius ejusdem, Rex Navarræus, Colignius Galliæ Amiralius, alijq; religionis profeſſores bellum continuare ſatagunt: ſæpiusque ad pugnam à Regiis provocati ſigna tandem ad Moncontur um cum hoſte conferunt. Acriter utrinque pugnatum fuit, Rege tandem victoriam obtinente. Germani namque pedites plærique omnes interfecti: Germanos autem Equites Comes Ludovicus Naſſovius, cæterique militum Præfecti & tribuni, è prælio ſalvos ferè omnes reducunt. Regij quoque magnâ clade affecti: inter hos cæſi Marchio Badenſis, qui antè Auraico militarat, tūc verò Regis partes tuebatur, & Belgæ plurimi utriusque ſtipendiarij. Mansfeldius, qui ab Albano in Galliam miſſus fuerat, in brachio grave vulnus accipit: Lanoius capitur, ſed pro Philippo Strotzio dimittitur. Cadunt eodem in prælio Gangolffus Quirinus à Geroltzeck, & Granvillerius Heroes fortiſſimi, plurimumque deſiderati. *Cæterum per columnas in nummo duas Religio ac Reſpublica denotatur. Hanc reſtaurare, illam ſartam tectamq; conſervare, ſingularis res induſtriæ, virtutis, prudentiæ eſt. De utroq; gloriantem audis Carolum. Meteranus. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS VENETORUM: CUSUS OBSESSA Nicoſiâ, Regni Cypri Metropoli: Anno Chriſti 1570.



SElymus Turcarum Imperator, imperij ſui fines, more majorū amplificaturus, ad regnum Cypri invadendum animum adijcit: eò quod longè ſic tutiores futuri eſſent Turcici Imperatores per ea maria in Syriam atque Ægyptum navigantes, qui alioquin à pyratis Chriſtianis infeſtarentur, dum in ea inſula refugium haberent. Quin & expeditionis hujus ſuſceptæ cauſam hanc adferunt Hiſtorici, quod Selymus Hoſpitale conditurus Adrianopoli, & ſepulchrum ibi ſuum præparaturus, dum ſolicitus eſt de annuis reditibus copioſis, ſuaſu Baſſarum, pacem cum Venetis violarit. Solvit igitur Conſtantinopoli circa finem Martij Amurates Raiſus cum 25. triremibus: Eumque paulo pôſt ſequitur Piali Baſſa: dum per 28. dies ad Aperras degiſſet, magno Janizerorum numero navibus impoſito iter Cyprum verſus dirigit: habens ſecum triremes majores 160: biremes & triremes parvas 60. Maonias 8: onerarias 6. Galeonem magnum unum: Palandarias tres: Paſſacavallos 40. Carramuſcalinas 30. ſcaphas 40. In Cyprum itaque venit 1. Menſis Julij: Lyſimum & Sabinas occupat menſis ejusdem 25: Nicoſiam obſidet & occupat Muſtapha Baſſa die 3. Auguſti. Dum captivi in naves imponuntur, ut in triſtiſſimam ſervitutem abducantur, Matrona pulverem bombardicum incendit, quo ſimul omnes perierunt: rata, melius eſſe mori, quam in Turciam abduci. *Veneti percuſſo in obſidione nummo, Turcis perſidiam & fracti fæderis infamiam exprobrant: adjectâ Angeli cæleſtis imagine: qui ultionem divinam contra fædifragos iſtos efflagitaret.*

Levenclajus Author.

Digitized by Google

NVMMI FECIALES

CAROLI IX. GALLIARUM REGIS: cuſi pace cum Hugonotis inita. Anno Chriſti 1570.



CUm bellum in Gallia inteſtinum recrudeſceret, & ab utraque parte nova ſubſidia colligerentur, non defuerunt, qui Regem ad concordiam hortarentur, bellum, dicentes, quod toties apparuiſſet extinctum, ſemper reſurgere atrocius, cum maximo excidio & devaſtatione totius regni: quia ſi vel vinceret Rex, vel vinceretur, omninò ea victoria adverſus ſubditos regios compararetur. Regios, adhæc, proventus omninò minui: vires quotidiè debilitari: urbes exinaniri, regiones devaſtari: præſtare per clementiam omnia conſervare, quam per pertinaciam perdere. Non etiam defuêre, qui eam pacem ſubdolo animo eſſe concedendam ſuadebant, ut ita vires reſumerentur. Rex pluribus auditis rationibus, cognitisque everſionibus & calamitatibus regni, cœpit paulatim ad conditiones pacis animum flectere, quæ certis tandem conditionibus ſtabilita fuit. Sic Gallia, quæ multos jam annos propria arma in ſua vulnera converterat: quæ utrinque externas copias ad devaſtationem patriæ acciverat: quæ omnes finitimas & longinquas nationes, per miſerabilem ſuorum cladem commoverat, poſt ſuperatas multas difficultates cœpit à tantis miſerijs aliquantulum reſpirare: *diuq; fuiſſet felix, ſi quas conditiones ad reſpirationem complexa fuerat, easdem ſyncerè ad conſervationem jam propè partæ felicitatis ſervaſſet, abundantiaq; publica cauſa extitiſſet. Com. Natalis.*

Digitized by Google

NVMMVS ICONICVS
Cum Moneta

JOANNIS TERTII, SUECIÆ REgis: cuſus circa tractationem pacis, cum Friderico Daniæ Rege initæ: Anno Chriſti 1570.



ERicus XIIII. Sueciæ Rex, cum per ſexennium, & quod excurrit, ad regni ſediſſet gubernacula, dementis ſtatu eo usque deijcitur, ut carceri eum mancipare neceſſe fuerit. Succedit ei frater Johannes Dux Finlandiæ, qui ab Erico aliquot annis in vinculis detentus fuerat. Sic namque in horum fratrum ſucceſſione fortunæ ludebat viciſſitudo: ut hic vincula pro regno: ille regnum pro vinculis acceperit. Cùm verò cæptum jam pridem bellum anno toto per Johannem etiam continuaretur: Sueci bellorum diuturnitate & cladium frequentia fracti, tandem & armorum pertæſi, Johanni Regi perſuadent, ut pacem, quantum poſſet juſtis conditionibus, faceret. Is quamprimum miſſis legatis Daniæ Regem ſollicitat, ut interea vis abſtineretur, dum pax firma & rata conſtituatur. Commodùm eodem tempore Cæſarea Majeſtas apud utrumque Regem per legatos egerat: ut depoſitis ſimultatibus controverſias æquorum judicum arbitrio permitterent. Decimo tertio itaque Decemb. qui erat dies Luciæ & Otiliæ, per legatos Imperatoris, Regem Galliæ, Poloniæ, Electores Saxoniæ & Reip. Lubecenſes inter

inter duos iſtos Reges bellum graviſſimum, & Trojanum ferè tempore æquans, Stetini in Pomerania componitur. Cæteras inter conditiones & hæc fuit, ut lis *de inſigniis Trium Coronarum, quas uterq; Regum pro ſuis vindicabat*, arbitrio compoſitorum decidatur. Interea verò utrique Regum inſignia trium coronarum geſtandi facultas maneat, *Comes Natal.*

Digitized by Google

NVMMI TRIVMPHALES

PII V. PONTIF. MAXIMI, ET JOhannis Auſtriaci: cuſi poſt Turcas ad Naupactum navali prælio victos: Anno Chriſti 1571.



CUm Turca, hoc anno, Venetis Cyprum Inſulam eripuiſſet: duas Metropoles Nicoſiam & Famaguſtam vi domuiſſet: in hac Bragadinum urbis Præfectum, per ſummum ſcelus, violatâ fide, vivum excoriaſſet: reliquos dediticios omnes crudeliſſimè trucidaſſet: Pontifex Romanus: Rex Hiſpanus: Veneti & alij Principes ſacrum fœdus (vulgò ſancta Liga appellatum) contra eundem ineunt: claſſemque inſtructiſſimam (cujus Dux ſupremus erat Joannes Auſtriacus Caroli V. filius, Regis Hiſpaniæ frater naturalis) emittunt. Hæc prælio ad ſinum Corynthiacum (qui hodie Golpho de Lepanto dicitur) die 7. Octob. commiſſo, claſſem Turcicam feliciter profligavit, & victoriam multis ſeculis inauditam obtinuit. Turcarum cæſi ad 25000. capti 4000. Chriſtianorum captivorum liberati 14000. Inter præcipuos Alis Baſſa cæſus occubuit: Pertavus vero Baſſa navigio fugiens ad terrã evaſit: & præterea claſſis hoſtilis univerſa cum tormentis atque ſpolijs ampliſſimis in Chriſtianorum poteſtatem pervenit: triginta tantum circiter triremibus & navigijs exceptis, quibus Vluzalis mari aufugit. Ornavit victoriæ hujus nobilitatem eleganti oratione Antonius Muretus Orator ſummus: *M. Antonio Columnâ, (cum inquit inter alia) qui Pontificis triremibus præerat, Romam revertente*

Digitized by Google

vertente. Solem ipſum in tam pulchro ſpectaculo, ut Joſue olim adverſus Amorræos pugnante ſubſtiturum fuiſſe arbitror: niſi tanta fuiſſet vincendi celeritas: ut, qui nihil metuebant, id unum metuere viderentur, ne prius adveſperaſceret, quàm omnes hoſtes, aut cæſi, aut capti, aut fugati eſſent. Quænam igitur ſtatuæ: qui arcus: quæ columnæ: quæ trophæa excitari poterunt, viri fortiſſimi: quæ non dico paria eſſe meritis veſtris, ſed eorum partem adumbrare aliquam poſſint? qui futuri ſunt usq; eò diſerti ac copioſi hiſtoriarum ſcriptores: qui, cum ad Naupactæam victoriam perventum erit, non potius metuant, ne quid de illius magnitudine deterant: quàm eam ſe verbis exæquare poſſe, confidant? In hujus etiam nobiliſſimæ victoriæ teſtimonium Coloſſus Meſſanæ prope portum conſpicitur. *Bucholtzerus.*

Author.

NVMMVS CASTRENSIS

ALEXANDRI FARNESII PARMÆ & Placentiæ Ducis: Cuſus circa Pyli ſive Navarrini obſidionem: Anno Chriſti 1572.



ALexander Farneſius Tertius, Parmæ Dux, à Proavo Pontifice felix illud vaticinium, ſummum eum ducem futurum, habuit: quod citò eius acta probaverunt. Cum ad Sanctum Quintinum & Durlanum prælium inire prohiberetur, ægrè ac non ſine multis lachrymis in caſtris contineri potuit: multa puer præbuit animi invicti ſigna: idemque adoleſcentiæ & bellorum initium ipſi fuit. In navali ad Lepantum feliciſſimâ contra Turcas pugnâ privatus ferè miles abſolutam perfecti Imperatoris formam expreſſit: & ſequenti anno ingentem Turcarum equitatum, qui octo millibus conſtabat, ad Navarinum fugavit. In Belgium reverſus, quem ſui uſum Hiſpaniarum Regi, ejusque in Belgio Proregibus præbuerit non conſulendo ſaltem, pugnandoque, ſed & maxima minimaque Ducis ac militis munia obeundo, commemorare hic longius foret: ad Hiſtoricos Lector benevolus remittitur. *Animi generoſitatem Equus alacer ſymbolicè exprimit: Eandem verò momenti exigui putat Farneſius, niſi aurâ cœleſti adjuvetur. Jacob. Schrenckius à Notzingen. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS

WILHELMI PRINCIPIS AVRANtij, Comitis Naſſovij: bellum contra Albanum continuantis: Cuſus Anno Chriſti 1572.





AUrantius Princeps, ut obſeſſo fratri in urbe Montenſi opem ferret, Rhenum cum ſuis copiis, quas in Germania collegerat, Moſam verſus iter intendit. In itinere Ruremondanis per præconem denunciavit, ut tranſitum & commeatus ſuo exercitui præberent: qui, cum imperata facere detrectarent, mœnibus ſcalæ, faces ardentes portis admotæ fuerunt: Wallones per vim ingreſſi, omnia immanitatis ſigna ediderunt. Lovanium deditionem facit. Multæ urbes, audito ipſius Aurantij in Belgium adventu, in illius verba jurarunt, præſidiumque acceperunt, quas inter Mechlinia & Aldenardum, quarum illa ex compoſito: hæc aſtu in ipſius poteſtatem venit. Nivella commeatus & pecunias dare coacta, quod advenienti exercitui tranſitum denegaſſet. Albanus Aurantium magnis itineribus adventare, & jam in propinquo eſſe audiens, in caſtris manere decrevit, neque ſe inde commovit, licet crebrò ad prælium invitaretur. Prælium itaque detrectante Nivellam Aurantius cum exercitu, indeque trajecto Rheno, Delphtum Holandiæ ſe recepit. Albanus autem urbe Montenſi deditione acceptâ, & æquis conditionibus Naſſovio cæteriſque præfectis dimiſſo, ingens decus ſibi obveniſſe putabat, quod validiſſimi exercitus impetum ſine ſuorum damno eluſiſſet. *Symbolo uſus fuit Heros Naſſovius, petito è Turni cohortatione apud Virgilium lib. 10. Audentes fortuna juvat. Ergò eos juvat, qui modulum ſuum (ut Pindarus loquitur) non ſpectantes, temerè quibuſvis ſe periculis committunt: nihil metuunt, nec terræ motum, nec undas: tollunt majora, quam ferre valeant. Neutiquam*

Turpe eſt (enim) quod nequeas capiti ſummittere pondus,
Et preſſum, inflexo, mox dare terga, genu.

Quare audax verè hic fortis eſt: qui vires ſuas librat cum periculo exantlando: at

licet majus nonnunquam illis videatur, aut ſit revera, non tamen animum deſpondet, ſed vel in eo, ob finem honeſtum, interire pulchrum judicat. Talium conatus felix plærumq; rerum ſucceſſus comitatur: juxta illud Ennij: Fortibus eſt fortuna viris data: & illud Ovidij ——— Audaces forsq; Deusq; juvat. Cæterum Principis noſtri audaciam plurimum augebant Holandiæ & Selandiæ populi, undiq; aquis cincti, quos per populum arborem aquaticam deſignari autumant: qui jam pridem nummum huncce explicarunt. Dinothus. Author.

Digitized by Google

NVMMI DICATI MEMORIÆ IN NVPTIIS HENRICI NAVARræi, & poſt lanienam Pariſienſium cuſi: Anno Chriſti 1572.



CArolus Nonus Galliæ Rex, ut reformatæ religionis Principes in una velut muſcipula caperet, inſtituit nuptias celebrandas Lutetiæ ab Henrico Rege Navarræ cum Margaretha ſorore ſua. Eò cum veniſſet Caſpar Colignius Caſtellonius Galliæ Admiralius, multique alij reformatæ reli-

gionis viri nobiles, die Bartholomæi (24. Auguſti) cum conjugibus, liberis, reliquisque civibus, nulla vel ſexus, vel ætatis ratione habitâ immaniſſimè trucidantur. Similes lanienæ Tholoſæ, Rotomagi, Diepæ, Meauſiæ, Burgeſiæ, Aurchæ & Lugduni fiunt: quarum crudelitatem fuſius deſcribere opus non eſt: cum vel ipſa Gallorum Catholicorum natio ſilentio perpetuo obrutam eam velit. Thuanum vide, qui barbariem hanc plusquam Tartaricam totâ vitâ graviter deteſtatus, illos Statij Papinij verſus, in re diſpari licet, huc accommodat:

Excidat illa dies ævo, nec poſtera credant
Secula: nos certè taceamus, & obruta multâ
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

Diſſidebant hoſtiliter Rex, & Navarræus cum ſociis ob religionis negotium. Diſcordiam hanc ſublatam iri nummus prior polliceri videtur: cujus prima facies matrimonium denotat Henrici & Margarethæ, literis nominum initialibus affabrè inter ſe complicatis: altera agnum Domini refert, pacem annuntiantem: fœminam tertia repræſentat, ſerpentem igni admoventem, eumq́ in gyrum compulſum. Igni quippe admotus coluber veneni virus dimittere ſcribitur: circulus æternitatis ſymbolum eſt. Reliquos ſatius eſſet conflatos nunquam fuiſſe: quod licet glorioſis ſeſe oſtentent inſcriptionibus, horrenda attamen crudelitatis teſtes ſunt ac permanent. Ex nummo Pontificis anſam fortè rapuit Enimundus Augerius, ut cædem hanc ab Angelo Dei patratam, pro concione, multoties repetito ſermone, identidem Burdigalæ inculcaverit. teſte eodem Thuano. Author.

NVMMI OBSIDIONALES VRBIS HARLEMENSIS AB HIſpanis occupatæ: Anno Chriſti 1573.



HArlemum, urbem amplam, opulentam atq; amœnam, antequam Toletanus obſidione cingeret, Haraldum miſit, qui oppidanos ad deditionem hortaretur: ſed illi ad Naerdemenſe exemplum, ſuſpectam habentes fidem Hiſpanicam, laudabilius duxêre, pro patriæ defenſione mortem oppetere. Oppugnatio ſtatim exinde ab Hiſpanis inſtituta: obſeſſi viciſſim tam diligentes & induſtrij fuêre adverſus invadentium hoſtium conatus, ut nunquam cuniculos egerint, munitiones in vallo erexerint: nec aſtus aut dolos excogitarint, in quibus non fuerint ab illis præventi & eluſi. Neque ſolum in repellendis hoſtibus ſoliciti & prompti fuêre, ſed etiam in adoriendis acerrimi. Inter has Aurantius obſeſſis ſubvenire conatur, ſed ſucceſſi infelici. Propè urbem enim conflictu exorto Aurantiani fugiunt: cadit Batenburgius: & cum eo mille & ſexcenti milites: quatuordecim ſigna militaria capiuntur, & trecenti currus. Et fame itaque ſæviſſimâ preſſi oppidani, & auxiliis deſtituti, Toletano ſeſe, pacti facultatum ſuarum immunitatem, dedunt. Germanis, ademptis armis impunè abire permiſſum: ex aliis, qui partim Angli partim Galli, partim Wallones erant ſexcenti & eo amplius laqueo & gladio periêre: fermè trecenti veſtibus omnibus, usque ad interulam, exuti, & extra urbem rapti in lacum præcipitati ſunt: paucis admodum vita donata. Deditione factâ nullum animal vivum in urbe, nec radix herbarum; nec folium in arboribus repertum fuit. *Dinothus.*

NVMMVS CASTRENSIS CLAVDII GVISII, DVCIS AVMALIJ: Cuſus ante obſidionem Rupellenſem: Anno Chriſti 1573.



CVM Carolus Nonus Gallorum Rex munitiones eas, quæ Hugonoticæ factionis addictis hoſpitia præberent, expugnare ſtatuiſſet, Rupellas primò, urbem in Sanctonia ad littus maris Aquitanici munitiſſimam, per Philippum Strozam, Bironium, & hunc Claudium Lotharingum Ducem Aumalienſem obſidione cingere, & graviter oppugnare cæpit. Viciſſim ea virtus defenſorum erat adverſus vim oppugnantium; ut vanus & inanis prorſus efficeretur tormentorum labor: cum nemo in urbe eſſet, qui non Reip. laboranti opem ferret. Claudius ex Evangelio (propugnaculo urbis ſic dicto) tormenti majoris globo emiſſo ictus, contra Evangelicos pugnans occumbit, magno ſui apud Regios deſiderio relicto, nec minore obſeſſorum lætitiâ. Duravit hæc obſidio ab anni præſignati initio usque ad 16. Junij: quo ipſo die Henricus Valeſius Dux Andegavenſis in caſtris à legatis Polonorum Rex Poloniæ electus eſt. Quâ etiam occaſione permotus, pacem cum Rupellanis iniit, eamque 10. Julij publicavit. *In nummo plurimum externis auxiliis, & Gallorum inprimis cum Turcis confœderationi tribuere videtur Guiſius. Conjecturam facit, quod non modo uſitatæ nobis haſtæ, ſcuta, gladij, bombardæ; ſed & Turcorum ſariſſæ, pharetræ, arcus, ſagittæ ad pedes fœminæ conſpiciuntur. Bucholtzerus.*

Author.

NVMMVS TRIVMPHALIS

JOANNIS AB AVSTRIA: CVSVS poſt expugnationem urbis Tunetanæ. Anno Chriſti 1573.



IOannes Auſtriacus navali, ad Naupactum, ſubnixus victoriâ Siculis rebus, ut & Italicis, optimè ſeſe proſpecturum cenſuit, ſi, quantum poſſet per anni tempus, in Africa, ulterioreq; littore Numidarum (quæ regio oppoſita eſt Italiæ) locorum occuparet, quod hoc facto videretur ab Italiæ cogitatione Turcarum conſilia, ad propriam curam defenſionis converſurus. Invitaverant eundem ad illam expeditionem, præter ſuperius dicta conſilia, frequentes preces & adhortationes illius Amidæ, qui patrem Muleaſſem per ſummam perfidiam impietatemque & regno & oculis privârat: qui & ipſe à Luzali ejectus è regno, ad Galatæ aſylum confugerat: & in privatâ domo multos annos cum duobus filiis puberibus habitaverat. Hic propter eximiam cupiditatem recuperandi regni paterni (cum ægerrimè ferret vitam privatam pro regia magnificentia) ſæpè ſollicitaverat arma Chriſtianorum per literas, invitaveratque ad illam expeditionem alacriter ſuſcipiendam; ad quam profitebatur ſe magnum numerum equitum ac peditum eſſe habiturum illorum amicorum, qui Amidanas partes tuerentur, & adverſus Luzalis avaritiam & crudelitatem illas ſequerentur. Pollicebatur præterea magnam commeatus & rerum omnium expeditioni neceſſariarum copiam; modò Chriſtianorum arma ſeſe tantum illis finibus oſtentaſſent. His impulſus cauſis Auſtriacus ingenti comparatâ claſſe, omnibus rebus neceſſariis egregiè inſtructâ, in Africam trajecit, novoque triumpho nomen ſuum nobilitavit: Ut eam cepit: Tunetum recuperavit: profugum regem reſtituit: munimentum inter Guletam Tunetumque condidit: præſidio firmavit: Amidam captivum cum filio in Siciliam tranſmiſit, & illuc cum trophæo

iterum

iterum trajecit. *Tuneto, quia ſub ipſum ſtatim adventum potitus fuerat, nemine penè reſiſtente, ſimile quid in nummo habet cum Cæſare Julio, qui pernicitatem conflictus, in quo Pharnacem fugaverat, Romam ſignificans ad amicum quendam Amintium ſcripſit tria verba: Veni, vidi, vici: quæ dictiones ſimiliter cadentes non illepidam habent breviloquentiam. Comes Natalis.*

Author.

NUMMI OBSIDIONALES MIDDELBURGENSIS CIVITATIS AB Aurantianis obſeſſæ, occupatæ: Anno Chriſti 1573.




VILHELMUS Auraicus, cum confœderatis Belgiæ ſtatibus, qui paulò ante arcem Ramenſem, & Middelburgum Zelandiæ caput commeatu prohibere conati fuerant, jam omnes littoris anguſtias ſuperaverant, ita ut arctâ quaſi obſidione utrumque locum, exiguâ tamen manu, premerent. Jamque Middelburgenſes de ſalute anxij, flammante tædis ſubobſcurâ nocte, vicinum Albanum ſuæ penuriæ commonefacere, & ſubſidia ac commeatum poſcere: dum Santius d' Auila claſſe recens inſtructâ, per medias hoſtium turmas, quamvis non ſine gravi jacturâ, irruit, & obſeſſis de rebus neceſſariis proſpexit. Præerat obſeſſis Chriſtophorus Mondragonius, vir bellicâ gloria illuſtris, qui commeatu & auxiliaribus ſignis auctus, urbi & Regi fidelem operam præſtabat. Albanus verò, qui ſe Noviomagi continebat, de liberanda urbe cogitans, egregiam claſſem Antuerpiæ & Bergij ad Zomam apparat, omni Ebibatarum, tormentorum, commeatus, & peditum genere communit, eique Beauuoſium Archithalaſſum præficit, qui ſolvens adverſo vento & flumine in hoſtium claſſem irruit. At hi, ut loci illius vadoſi, ita nauticæ rei peritiſſimi regios aggreſſi, magnâ clade affecerunt. cumq; jam crebri fluctus ſe invehere nt, & navium hinc proras, illinc latera & carinas barbara elementa pulſarent, ſubductis velis acre commiſſum eſt prœlium; quo inferiores Regij viciniores portus, prout ſors tulit, occuparunt. Interea arx Rammekens natura loci munitiſſima Oranges deditur 5. Auguſti: quæ res non parum animos Middelburgenſium afflixit. Porrò Requeſenius ſui regiminis initium ab hac cura orditur: ut Middelburgenſibus extrema patientibus, milite ac commeatu ſubveniret. Poſito igitur in præparatas rates exercitu, in hoſtem curſum dirigit, à quo mox profligatus, ut ne applicari quidem obſeſſis rates poſſent, adverſo vento pluribus ſuorum

deſideratis redijt. Cujus cladis certiores facti obſeſſi, quos iam omnis defecerat annona, pluribus etiam vitam ipſam ademerat, deditionem cum Orangiis ineunt die 20. menſis Februarij. *Durante obſidione cuſi hi nummi: in quibus (ut literæ habent initiales) Deo, Regi, Patriæ fideles ſe permanſuros profitentur Middelburgenſes. Laurent. Begerlinck. Canon. Antuerp. in opere ſuo Chronographico.*

Digitized by Google

NVMMVS OBSIDIONALIS VRBIS ALCMARIÆ, AB HIſpanis tentatæ. Anno Chriſti 1573.



HIſpani civitate Harlemenſi potiti, Alcmariam civitatem repentino conatu conſternatam tentant. Ac primo quidem appulſu propugnaculum ante urbem, à civibus de novo extructum, capiunt: in poteſtatem redacto, circum urbem foſſas ducunt: munitiones erigunt. Non multis interjectis diebus majora tormenta, numero viginti promovent: quæ ejaculatis plusquam duobus pilarum millibus, ingentem muri ruinam edidêre. Oppugnatio itidem aliâ in parte mœnium inſtituta fuit, in qua oppugnâtes, accurrentibus undique defenſoribus, & ſummâ contentione dimicantibus, cum magnâ clade ſunt repulſi. Toletanus, qui Alcmarienſes ad unum omnes cædi deſtinaverat, videns non ex animi ſententia negotium ſuccedere, nec expugnandæ civitatis ſpem aliquam affulgere, quod propter impendens frigus, milites ſubdio amplius degere non poſſent, & tellus aquis undique obducta eſſet, ne majus damnum ac dedecus reciperet, unde animi hoſtibus augerentur abductis à mœnibus, magno cum labore, tormentis obſidionem ſolvit, ad Albanum Patrem, qui Amſterodami erat, reverſus. *Dinothus.*

Digitized by Google

NUMMI MEMORIÆ DICATI

URBIS LUGDUNI BATAVORUM

cuſi durante obſidione, quam pertulit, eâdemque ſolutâ, Anno Chriſti 1574.



A Lbano ingenti cum præda Hiſpaniam repetenti, ſuccedit Ludovicus Requeſenius, Dux de Cæſa: Magnus Commendator caſtellæ:
qui cum

qui cum Franciſco Baldeſio Lugdunum Bataviæ, urbem Harlemo vicinam munitionibus circumquaque erectis, & commeatus intromittendi facultate adempta, graviſſima obſidione cinxit. Gubernator civitatis Theodoricus Bronckhorſtius, & cum eo magiſtratus ac nobiles præſagientes obſidionem longam fore, & magnum periculum è cibariorum penuriâ imminere, quod magna populi multitudo eſſet, frumenti non magna copia, ſtatuerunt ut ad duos menſes quilibet homo ſemilibrâ panis, ſingulis diebus, contentus eſſet. Modus etiam eſt conſtitutus, oleribus, lacti, & alijs edulijs, ne illorum inopia per immoderatum uſum ſentiretur. Adſignatum inſuper cuique, quid in mœnibus atque aggeribus reparandis ac tuendis agere deberet, ne doloſus hoſtis incautos opprimeret. Arctiſſimam hanc obſidionem eo usque tolerant Leidenſes, & non cum hoſte modo continuis incurſionibus urbem premente, ſed etiam cum ventre ſuo dimicant, dum Wilhelmus Princeps Auraicus, perfoſſis Moſæ & Iſſelæ fluminum molibus, & agro inundato claſſe ducentarum navium, per novum quaſi æquor remis & velis proſperoque vento actâ, Hiſpanos vi tormentorum è munitionibus ſuis expulit, cecidit & fugavit. Creſcentibus aquis Aurantiani Hiſpanos claſſe ſuâ ex munitionibus depellunt: cæteri non parum territi fuêre quod aqua ad bipedalem altitudinem excreviſſet, idcirco Soterwadâ tantâ cum feſtinatione exceſſerunt, ut tormenta ibi reliquerint. Lamenenſes cæteris conſtantiores in ſuis munitionibus poſtremi manſerunt, ſed ſe à ſuis deſertos videntes noctis tenebris tecti abiêre. Patefacto ad urbem aditu commeatus navibus in eam introductus eſt, populus famelicus haleces crudas, quæ à claſſis Præfectis jaciebantur, avidè devorabat: nonnulli adeò panè ſe ingurgitabant, ut intra paucos dies morerentur: nec in ea re modum tenere facilè erat, cum multi eſſent, qui per ſeptem ſeptimanas panem non guſtarunt: foliis arborum, oleribus, radicibus, braſſicarum caulibus, corijs minutatim conciſis & coctis ut plurimum victitantes, poſtquam uſitata cibaria defecerunt. Hinc Baldeſius cum civitatem Leidenſem cum viis militaribus, ſemitis, & canalibus depingi curaſſet, abiens, hoc tabellæ, in tentorio relictæ, aſcripſit: Vale civitas: valete caſtelli parvi: quia relicti eſtis propter aquam, & non propter vim inimicorum. *Durante obſidione Leonem Batavicum in nummis exhibuerunt obſeſſi, pugnantem pro patriâ & libertate: ſolutâ, grates Deo debitas perſolverunt; non miraculoſam minus hanc liberationem ſuam profeſſi: quam quâ, cæſo per Angelum Sennacheribi exercitu, Hieroſolyma reſpiravit.*

Dinothus. Author.

NVMMVS MEMORIÆ SACER

AUGUSTI ELECTORIS SAXONIÆ cuſus Synodo Torgaviæ celebratâ: Anno Chriſti 1574.



CUm poſt obitum Ioannis Wilhelmi Saxoniæ Ducis Auguſtus Saxoniæ Elector, ut proximus illius Agnatus, tutelam pupillorum, ac totius ditionis adminiſtrationem ſuſcepiſſet, Theologi nonnulli, Profeſſores, plurimi item miniſtri Eccleſiarum corpori doctrinæ Miſnicæ ſubſcribere recuſantes, ſtationes ſuas deſerere cogebantur. In eo namque totus erat Elector, ut diſtractas Eccleſias Thuringiæ ac Miſniæ, cum Wittenbergenſi & Lipſenſi Academiis in concordiam reduceret. Hoc eodem fine Theologis præcipuis aliquot Torgoviam convocatis, è tribus regionis ſuæ conſiſtorijs, eque Lipſenſi & Wittenbergenſi Academijs, Lutheri doctrinam de S. Euchariſtia denuò approbat, & confirmat: econtra verò Ulrici Zuinglij, Joannis Calvini, & Theodori Bezæ opiniones reijcit. Quin & menſe Julio, eiusdem Electoris juſſu cuſtodiæ nonnulli, ex Theologis, Jureconſultis ac Medicis traditi fuêrunt, eò quod aliam, quam Lutherus; de cæna domini doctrinam ſpargere cæpiſſent. In *nummo ſuperius delineato quid Myſta voluerit, ex cap. 14. Ioſuæ colligitur. Chytræus in Chron. Sax. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS VOTIVVS TATUUM REGNI ANGLIAE: CUSUS IN honorem Reginæ ſuæ Eliſabethæ: partis aliquot nobilibus, contra Hiſpanum, victorijs: circiter Annum Chriſti 1574.



NOn omnibus ea Regibus ac Principibus contingit felicitas: ut ſubditorum ſuorum in ſe amorem ſtudiumque, qualequidem conceptis votis optare poſſent, aſſequantur: ſint Ariſtoni Lacedæmonio ſimiles: pro quo vota publica fiebant, ut filius ei naſceretur: ne tam præclara ſoboles interiret: Octavio Auguſto: cui in publicum prodeunti affatim ſe populus effundebat, viſurus beneficium ac ſalutare ſydus ſuum: Veſpaſiano Cæſari: quem Veneres ac delicias ſuas appellabant ſceptrum eius agnoſcentes. Næ vero horum numero accenſenda Heroina verè Auguſta Eliſabetha Regina Angliæ, princeps tum animi, tum corporis dotibus, regiisque virtutibus ſupra ſexum incomparabilis: quam quod Iuſtitiam, ſapientiam, invictum pectoris robur mirâ humanitate ac clementiâ temperaret ita efflictim ſubditi amabant, ut *nummo hoc conquerantur mortalitatis legi, fatiq; neceſſitati eam ſubjectam: nec Phœnicis fortunâ frui: quæ licet igne pereat, ac moriatur: è cineribus attamen ſuis ſimilem ſibi Phœnicem pariat, atq; ita in ſe vivat perpetuò. Author.*

NVMMVS IRENICUS
GREGORII XIII. PONTIFICIS: CIvili bello Genuenſium per Cardinalem Moronum compoſito, & Vererum ac Novorum ſeditioſis nominibus extinctis: cuſus Anno Chriſti 1575.



VT nimia alimentorum copia, morborum in corpore humano eſſe cauſa conſuevit: ſic in Rep. turbarum atque ſeditionum omnibus numeris adimpleta felicitas. Experta id eſt Genua, non ultima inter nobiliſſimas Italiæ civitates: quæ, cum felix beataq; manere potuiſſet, fortunæ ſuæ quaſi pertæſa, circa Annum Chriſti 1573. & inſequentes aliquot in factiones pernitioſiſſimas exarſit: idq; partim ſtimulante ambitione, dum de antiquitate familiarium inter ſe cives contenderent: partim invidiâ impellente, dum hic illius res magis proſperas atque felices rectis intueri oculis non poſſet. Quin ad arma res tandem pervenit. Veteres namque belli civilis initium fecerunt, &, Andreâ Auriâ Duce, portum Veneris ceperunt, duas verò triremes Novorum hoſtiliter ſunt inſecuti: quæ per validos remiges evaſerunt. Siſtrium inſuper deditione captum, cum multis navigijs rebus variis onuſtis: certatum frequentibus prœlijs inter Gavi & Novij præſidia: ager direptionibus utrinque vexatus. Tandem Joannes Moronus Cardinalis à Pontifice miſſus, operâ cæterorum legatorum, quo Italiæ quieti coſuleretur, Genuenſium diſſidia compoſuit: ſanciendo comprimis, ut odioſæ ſeditionis nomina ſempiternâ oblivione involverentur: neque ulli cives Novi aut Veteres dicerentur, ſed omnes unius eſſent ordinis, & haberentur. *Ad nummi explicationem pertinere illud Silij Italici exiſtimo:*

——————Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior, pax cuſtodire ſalutem,
Et cives æquare potens. *Comes Natalis. Author.*

NUM-

NVMMVS OBSIDIONALIS
URBIS SCHONHOVEN, AB HIſpanis occupatæ: cuſus Anno Chriſti 1575.



HIERGHESUS copiarum Hiſpaniarum **Dux**, **poſt**quam Aquas Antiquas (vulgò Oudewatter) expugnaſſet, cruentâ attamen victoriâ reportatâ, ad urbem Schonhoven, ſe convertit: poſitiſque caſtris, foſſis & aggeribus ductis, cæpit urbem multis muralibus tormentis diverberare. Vrbani quosdam aggeres incidunt; quo factum, ut per duo milliaria proxima quoque urbi ſub undis occultarentur: obſidentes tormenta per magnam difficultatem retrahere, ſeque procul ab urbe recipere neceſſe haberent. Aurantius his cognitis undecim inſtruit navigia, quæ militem, commeatum, & apparatus bellicos obſeſſis convehrerent. Hiſpanus, ubi per exploratores, quid Aurantius moliretur, cognoviſſet, it obviam hoſti cum viginti & octo navigijs eximiè ad pugnam inſtructis: pugnatur utrinque ſingulari virtute: poſt acre prœlium, in quo demerſa ſunt duo Aurantiana navigia, tria capta reliqua fugâ ſe ſervarunt. Urbana præſidia cognitâ clade ſuorum, perceptaque populi & urbanæ multitudinis, quæ à ſe diſſentiret, voluntate, honeſtis conditionibus hoſti urbem dedunt. *Comes Natalis. Author.*

NVMMVS VOTIVUS

HENRICI TERTII GALLIARUM

& Poloniæ Regis: cuſus impoſitâ ſibi Regni Galliæ coronâ. Anno Chriſti

1575.



POſtquam Carolus IX. Galliarum Rex III. cal. Junij nullo relicto hærede maſculo, fatis conceſſiſſet: atque hinc ampliſſimum Occidentalis Franciæ regnum ad Henricum fratrem, Polonorum Regem per leges Gallicas devolveretur, mater, cui à Rege tum temporis adhuc vivente, regni adminiſtratio ad tempus demandata fuerat, eum è Polonia crebris literis atque internuntiis ad ſe vocat. Rex minimè occaſioni huic indormiendum ratus, nocte intempeſtâ, celatoque abitu ſuo præcipuis Polonorum Regulis ac Proceribus, Cracoviâ diſcedens equis diſpoſitis in Moraviam: inde Viennam Auſtriæ, inde Venetias, inde in Galliam veniens, Carolo Fratri ſuccedit: relictis tamen poſt ſe ad Polonorum ordines literis latinè ſcriptis: quibus improviſi ſucceſſus ſui cauſam ipſis aperit: prolixam gratiam pollicetur: hortaturque ut quoſdam ex primoribus ſuis ad ſeſe in Franciam mittant: de emendandis nonnullis in Regno Polonico ſecum deliberaturos. Paulò poſt adventum in Gallias ſuum coronatur & ungitur 15. Februarij paucis rurſus interjectis menſibus ſibi matrimonio jungit Carolam Borboniam, Ludovici Ducis Momponſerij, ex regio ſanguine oriundi, filiam, Brielæ nuptijs celebratis. *Humi poſitæ coronæ duæ regnorum duorum ſunt inſignia Galliæ & Poloniæ: tertiam in cælo ſibi reſervari confidit, ſpernendoq; illas, hanc ſuſpicit. Fragiles namq; iſtæ, fluxæ, caducæ, multis rerum adverſarum tempeſtatibus obnoxiæ: hæc cæleſtis, ſecura, immarceſcibilis, æterna. Author.*

NVMMI VOTIVI
CUSI IN COMITIIS RATISBO-
nenſibus: Rudolpho Secundo in Regem Rom. electo, coronato: Anno Chri-ſti 1575.



POſteaquam Maximilianus II. Imperator 12. Octob. Anni 1575. animam, unde erat, beatus beatis reddidiſſet, Comitia Imperij Ratisbonam, creandi novi Romanorum Regis cauſâ, indicta & celebrata ſunt: quibus interfuerunt ſeptemviri, & frequens Principum & Legatorum ſenatus. In ijs Rudolphus Maximiliani II. Cæſaris natu grandior filius, à Rudolpho Hapſpurgenſi, qui primus Imperatorij faſtigij decus meritis ſuis in familiam intulerat, Decimus, in Regem Romanorum electus eſt 27. Octob. inſignia vero tantæ dignitatis more majorum, magno Principum & omnium ordinum conſenſu applauſuque aſſumpſit cal. Novemb. Ætatis 24. Vota Princeps optimus frequentia tunc audiverat (quæ & ſucceſſu temporis pondus ſuum habuêre) Deus ille, cuius vi Principes regnant, diu terris illum commodet: faciat, ut, quam diu mortalis erit, nihil ex domo ſua mortale ſentiat: generi humano diu ægro afflictoque medeatur: Germaniam magis magisque pacet, & patris triumphos ducat, & novos. *Senario pilarum ſeu calculorum numero, unanimem ſex Electorum in ſuffragiis conſenſum denotat: ſeptima enim pila ipſi, patre adhuc vivo contigerat.*

Author.

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS ORDINVM CONFOEDERATORVM Belgij, cuſus fruſtrà tentatâ pace in conventu Brædæ celebrato: Anno Chriſti 1576.



REQUESENIUS Hiſpanici exercitus ſummus præfectus aliquot ſuorum ducum victorijs nullo modo ferocior factus, animum ſemper ad pacem inclinavit, proque illâ tractandâ conventum Brædæ haberi voluit. Comparuit in eodem Maximiliani Imperatoris legatus, Comes Schwartzenburgicus: qui præmiſſis non paucis de ſolicitudine Cæſaris, ne motus iſti Belgici in exitium totius aliquādo Imperij erumpant, petijt tandem, ut duo vel plures ex omni numero deligantur, qui acceptis mandatis ſecum ad Cæſarem contendant: & conditiones pacis tolerabiles & æquitati conſentaneas proponant. Fore viciſſim, ut nullum omninò laborem ſtudiumque ad hanc cauſam feliciter conficiendam, Cæſar intermittat. Ex eo tempore, de pace ineundâ deliberatio, multis diebus hinc Hiſpanos, illinc confœderatas provincias atque urbes fruſtrà occupatas tenuit, commiſſariis Regiis in Romanæ Eccleſiæ doctrinâ ſolâ retinendâ obfirmatis; Aurantianis reformatorum ritus quos amplexati fuerant, conſtanter tuentibus. Conventus itaque ſolutus, & belli conſilia reſumpta fuêre. *De pileo libertatis ſymbolo nonnihil dictum ſuperius: illud vero quod exemplorum comprobatur authoritate, nullos facilius opprimi, quam qui palpo inſidæ pacis circumventi, imparati ſunt ad reſiſtendum. Dinothus. Author.*

NVMMVS CASTRENSIS MAXIMILIANI II. IMP. ELECTI

Regis Poloniæ: expeditionem ſuſcepturi contra Stephanum Battorium à parte adverſâ Regem deſignatum: cuſus Anno Chriſti 1576.



POloniæ Proceres cum Regis Henrici reditum fruſtrà aliquandiù expectaſſent, de novo tãdem creato Rege Warſaviæ conventus indicitur. In ſuffragia diverſi Reges ac Principes venerunt: Maximilianus II. Rom. Imp. Erneſtus ejus filius, & Ferdinandus frater Archiduces Auſtriæ: Joannes tertius Rex Sueciæ: Sigiſmundus eius filius, Dux Finlandiæ: Stephanus Bathorius Princeps Tranſylvaniæ: Alphonſus Ateſtinus Dux Ferrariæ: Joannes Baſilij, Magnus Dux Moſcorum. Cum legationes etiam Varſaviam veniſſent Gregorij 13. Pontif. Max. & Amurathis Turcarum Imperatoris, Polonorum vota in varias ſententias diſtrahebantur: donec tandem Jacobus Uchanius Archiepiſcopus Gneſenſis, inſtante magna parte ſenatus Maximilianum imperatorem renunciat & proclamat Regem Poloniæ. Pauci, rurſus, alij è proceribus, duce Petro Sborovio Palatino Cracovienſi, Regem ex ſanguine & genere Polonorum creandum cenſentes, Annam defuncti Regis Sigismundi ſororem, virginem quinquagenariam fermè, Reginam eligunt: additâ conditione ſuſcipiendi regni, ut maritum ſibi ſumeret Stephanum Bathorium Tranſylvaniæ Principem, non alium: Illum, hâc ipsâ conditione, ut Annam uxorem duceret, Regem Poloniæ & Ducem Lithuaniæ creant. Bathorio qui favebant, Maximilianum Imperatorem hortantur per literas, ne paucorum ſenatorum & Nobilium ſuffragijs fretus Regni Polonici, ſuſcipienda ſibi gubernacula putet. E contra qui Maximilianum elegerant, Stephanum de ſpe regni potiundi deijciunt: ſplendidiſſimam interim legationem ad Maximilianum Viennam mittunt, ut articulos, à priore Rege Henrico juramento confirmatos, aliosque, de quibus inter Regni ordines, & Cæſareæ Majeſtatis legatos convenerat, iure iurando confirmaret, & quampri-

primum in Regnum Poloniæ iter maturaret. In æde igitur D. Auguſtini ſacra ſuſcipit Imperator, atque Polonis oratoribus jurat, ſe, pro legibus ac inſtitutis Polonorum, in eo regno gubernaturum: cumque omnia viderentur ad arma & acerrimum bellum contra ſe ſpectare, indicit comitia Ratisbonam Proceribus Imperij, in quibus de apparatibus adverſus vires Turcarum ageretur, deque Polonio regno, ſi cedere Bathorius nollet, vi occupando. Sed ecce cum in his totus cæptis eſt ac conſilijs Imperator, è vivis excedit; quo mortuo omnis de regno Poloniæ & Lithuaniæ Ducatu controverſia ſimul extincta eſt, Battoriq; res quietæ ab Imperio, & tranquillæ ſunt relictæ. *Vetus Laurentium lex erat, ne quid alienum tollerent in armum. Id cum inſuper haberet Bathorius: occuparet regnum alij deſignatum, indignatur Imperator: proſternit corrivalem hunc ſuum, lanceaq; transverberat: ſic puniendum oſtendens eum, qui aliena invadit. Comes Natalis. Author*

Digitized by Google

NVMMI LVGVBRES, CUSI MAXIMILIANO SECUNDO ROM. Imperatore rebus humanis exempto, in comitiis Ratiſbonenſibus: Anno Chriſti 1576.







MAXIMILIANUS Secundus Imperator, ſive curis confectus, ſive longâ ægritudine debilitatus, ſive quod calculos graviſſimos, & cordis palpationem non levem pateretur: 4. idus Octob. decimam

cimam circiter antemeridianam optimè meritam de Republica animam, in Comitijs Ratisbonenſibus, & quaſi inter ordinum Imperij manus, Deo reddidit, cum 49. annos exegiſſet: Imperium 12. annis tenuiſſet. Princeps æquitate animi, prudentiâ, & iuſtitiâ inſignis, & in quo ad ſummam fortunam nihil meritò deſiderares, niſi valetudinem firmiorem. Exequijs ejus ritè cum magnâ pompâ celebratis ſuffectus eſt eius filius Rudolphus in Comitijs ijsdem, qui ad concordiam in Imperio ſtabiliendam Inducias octennales cum Amurathe Turcarum Imperatore fecit, omnesque ſolonos, in carcere Aredalæ detentos, liberos dimiſit. *In nummo poſtremo* (neque enim ſuperiores obſcuritatis aliquid habent) *luctus ſunt indicium coronæ tres Imperij una, Caſtitiæ & Arragoniæ reliquæ, cum ſpinea permutatæ. Rurſus ærumnam hanc ſolatur fulgens ex iride & ſtellis corona: boni certaminis certati, & conſummati curſus præmium. Natalis Comes Author.*

Digitized by Google

NUMMVS MEMORIÆ SACER:

CUSUS COMMUNI IN BELGIO militantium conſenſu, pace Marchæ-fœminæ initâ: conditoque Edicto perpetuo: Anno Chriſti 1577.




Cum una in re videbatur ſumma pacis componendæ in Belgio conſiſtere, ut Hiſpani eâ è regione expellerentur, inque hoc ipſo conſilio non fœderatæ modo provinciæ, ſed è regijs Gubernatoribus, civitatibus, tribunalibus, præfectis publicis plærique conſentirent, tandem etiam Johannes Auſtriacus (is paulò ante Requeſentio defuncto in Gubernatione Belgica ſucceſſerat) multis rationibus motus concordiam ratam habet, Hiſpanorumque è Belgio diſceſſum comprobat. Partibus itaque utrinque ſic animatis, & legatorum Cæſaris, aliorumque Principum operâ deputatis Marchæ-fœminæ ſimul congregatis pax ſancitur, confirmatur, Bruxellis, & Antuerpiæ promulgatur novendecim cum potiſſimum compræhenſa articulis: qui *edicti perpetui* nomen accepêre. Confirmat, quod pactum tranſactum fuerat, ipſe quoque Rex Philippus: Belgij ordines militibus, conquiſitâ pecuniâ ex parte ſatisfaciunt: Hiſpani, Itali, Burgundi arces & propugnacula deſerunt: captiutrinque dimittuntur: demum peregrini omnes, Mansfeldio Lucenburgi, Gubernatore itineris ſecuritatem præſtante, In Italiam præmiſſis theſauris, diuites ovanteſque tendunt. *In nummis, quod explicatione egeat, non reperio.*

Meteranus.

Digitized by Google

NUMMUS MILITARIS FRONSPERGII ET MILITVM Germanorum, à confœderatis Belgiæ ſtatibus Brædæ obſeſſorum: cuſus Anno Chriſti 1577.




ANtuerpiâ mirabiliter metu periculoque ſecundæ deprædationis liberatâ, Fronſpergius ad reliquos ſuos milites Bredam: Fuggerus Bergoſomam confugit. Obſeſsâ ab ordinibus Bredâ, cum præſidiarij nullam ſubſidij ſpem ſupereſſe viderent, Fronſpergium & Kinſeckum, quorum culpâ non tantum ſtipendia differri, ſed & irrita prorſus reddi ſentiebant, catenis puteo alligatos, in ipſo oppidi foro, totâ nocte tenent: ſummoque iure cum eis agi volunt: ac tandem, de ſtipendij ſatisfactione cum ordinibus pacti, urbem & Fronſpergium, aliosque Coriphæos in ordinum poteſtatem vinctos tradunt: qui tamen paulò poſt factâ compoſitione, vinculis emittuntur. *Meteranus.*

Digitized by Google

NUMMI MILITARES

CAMPENSIS CIVITATIS A STAtibus confœderatis Belgicis obſeſſæ. Anno Chriſti 1578.



RENNENBERGIUS, poſtquam Tranſiſſulana gubernatio ipſi à confœderatis Belgiæ ſtatibus demandata fuerat, cogitabat quâ ratione vicinas urbes, partim vi, partim inſidijs in ſuas partes pertraheret. Campenſem civitatem primò adortus, caſtra ad urbem ponit, ad quæ Theodoricus Sonnoius Nordhollandiæ Gubernator, vir rei militaris experientiſſimus, cum aliquot militum ſignis acceſſerat. Signa Domini Nicolai in Bollweil / quæ per ſexennium in præſidjo urbis illius fuerant, ab initio hoſtibus ſuis fortiter reſiſtebant: excurſionibus armenta defendebant. Rennenburgius autem majoribus ſex tormentis, ab Ultrajecto civitate miſſis, creberrimis ictibus ita mœnia concuſſerat, ut introitus ipſi 33. paſſuum longitudine pateret. Magiſtratus & ciues ruinam murorum. & ingraveſcens periculum cernentes, præterea & Joannem Caſimirum Palatinum cum validâ manu advenrantem pertimeſcentes, Urbem 20. Julij certis conditionibus dedunt. Germanis præſidiarijs, cum facultatibus liberè diſcedendi copia datur. Et hâc ratione munita illa civitas, omnibusque rebus neceſſarijs benè inſtructa, quæ multò longiorem & duriorem obſidionem ferre poterat, in Belgicorum ſtatuum poteſtatem redacta fuit. Ab eâ poſtea ad Daventriam itum eſt. *Meteranus.*

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS JOANNIS CASIMIRI COMITIS Palatini: cuſus expeditione in Belgium ſuſceptâ, Anno Chriſti 1578.



IOANNES Caſimirus Comes Palatinus à confœderatis Belgiæ ſtatibus in auxilium vocatus, coactis copijs prolixam facti ſui rationem publico ſcripto edidit, ad quod benevolum Lectorem remitto. Indictâ profectionis die omnes copiæ in unum convenêre, verſusque Belgium iter ſuſcepêre: cumque in Geldriæ finibus aliquandiu hæſiſſent, ægrè tandem, ſtipendijs non ſolutis, ultra Moſam Rymenautam usque in ordinum caſtra pertrahuntur. Quemadmodum vero nullus militis eſt uſus deficiente ſtipendio: ſic quia nervus belli deſideratus, magna erat ordinum in caſtris miſeria, magna rerum omnium confuſio: magna militum inobedientia. Caſimirus nihilo minus capto Devantero ad oppidum Dieſtum, à Joan: Auſtriaco prius occupatum, contendit, & caſtris foſſis, aggeribusque diligenter munitis, tormenta promovit, mœniaque diverberavit. Qui in præſidio erant, viribus ſuis diffiſi non expectatâ oppugnatione, urbem in eius poteſtatem tradidêre. Nec erat, qui dubitaret, quin ordinum copiæ, per Caſimiri militem auctæ plurimum, loca etiam alia occupaturæ fuiſſent, niſi contentiones inter Gandavenſes & Walones, inſuper Zelotypiæ ac diffidentiæ inter Andegavenſem & Caſimirum maximè autem pecuniæ defectus potentiſſimum hunc exercitum irritum & inutilem reddidiſſent: ita ut Archiſtrategus Boſſuvius, alijque militiæ præfecti nihil conſultius reputarint, quam exercitum procul ab hoſte diducere. Id quamprimum factum Caſimirus cum comitatu ſuo aulico in Angliam trajicit, à Regina perhumaniter exceptus & paulò poſt in Equitum Anglicorum ordinem cooptatus. Abſente Caſimiro milites eius, acceptis ſalviconductus à Parmenſi literis, dilabuntur: Ordinibus

Digitized by Google

dinibus fruſtrà eos detinere conantibus. *Quatuor in Principis hoc nummo virtutes adumbrantur: patientia in adverſis palmâ denotatur: pacis ſtudium modo periculo illa careat, oleâ: conſtantia in dictis factisq́; adamante: dextrarum nodo,*


——— Juſtitiæ ſoror,
Jncorrupta fides, nudaq́; veritas.

Meteranus. Author.

Digitized by Google

NVMMI CASTRENSES SEBASTIANI REGIS PORTUGALLIÆ ſuſceptâ infelici in Affricam expeditione: cuſi Anno Chriſti 1578.





MUleius Machometes è regno Mauritaniæ, ob tyrannidem Patris, ab Abdemelecho Patruo eiectus, Sebaſtiani Portugaliæ Regis (cujus hæc facies anno ætatis 16.) auxilia implorat: condicit hæc Rex Juvenis, & ad arma pronus, câ tamen conditione: ut Philippus Hiſpaniarum Rex in ſocietatem belli veniat. Mittuntur itaque legati ad Hiſpanum: qui expeditionem hanc quidem non diſſuadet: verùm ne Sebaſtianus ipſe proficiſcatur in Africam, ſed per legatos rem gerat, obnixè rogat: rogando nihil proficit: dum Rex præceps & belli cupidus ſalutaria avunculi ſui conſilia ſuſpecta habens, moræque omnis impatiens, ad cædem ſuam, laxatis quaſi habenis, properat. Traductis namque trans mare copijs Abdemelechum obvium habet: gravi exortâ pugnâ ſuperiores evadunt Mauri: cadunt non tantum ad 15. Chriſtianorum millia: verum ipſe etiam Sebaſtianus, cum jam tres equos inter certandum ſuffoſſos amiſiſſet, à ſuis tandem deſertus occumbit. Sed neque hoſtilis exercitus ſine clade inſigni victoriam obtinet: Abdemelechus in ipſâ pugna apoplexiâ extinguitur; Muleius Mahametus in fugâ cænoſis Lariſſæ aquis ſubmergitur: ita ut uno die, unoque in prœlio tres Reges perierint. Regnum Feſanum Abdemeleci Frater Muleius Aametus obtinet, confeſtim à pugna Rex electus ac confirmatus. *Spem optimam conceperat Rex juvenis fore: ut profugum Feſſæ regulum non modo in regnum ſuum reducat: ſed & ipſe hoc fœdere belli res ſuas evidenter augeat. Eſt ſquilla namq. ſeu cancri marini hoc ingenium, ut cibi causâ ſocietatem ineat cum conchâ, dapis, cujus partem auferat, aſſectator. Habet itidem hoc concha, ut cum luna creſcente creſcat: deficiente imminuatur: fuſcum contrahat colorem, cælo nubilo: niteſcat cum claritate matutinâ. Unde Plinio teſte, major ei cum cælo, quam cum mari cognatio. Chronicon Bucholtzeri. Author.*

NVMMI VOTIVI MATTHIÆ ARCHIDUCIS AUſtriæ: recuſi ſuſceptâ in Belgium profectione: Anno Chriſti 1578.



MAttHIAS Archidux Auſtriæ (Sacratiſſimus nunc Romanorum Imper:) vigeſimo ætatis ſuæ anno, vehemente iterataque ordinum Belgicorum ſolicitatione, ad provinciarum adminiſtrationem poſtulatus, tandem eo animo, eâque ſpe conditionem accepit, ut res illic turbidas & in motu periculoſo poſitas, ad priſtinam ſerenitatem quietemque reduceret; qui etiam eo profectus, & pro gubernatore generali conſtitutus, Belgicis Statibus humaniſſimum & clementiſſimum ſe exhibuit. Verum cum diu multumque in rebus tranquillandis ſudaſſet, animadvertiſſetque Proceres illos & Populum à Rege ſuo apertè alienatos adeoque: incaſſum ſe laborare: accederent inſuper Imperatoriæ Maieſtatis Rudolphi Secundi fratris revocationes, cum bonâ Belgarum veniâ 29. oct. Anno 1581. maximis à Statibus muneribus acceptis, honorificentiſſime illinc diſcedit. *Fieri nummum alterum curavit Invictiſſimus Cæſar, cum ad regni Ungarici accederet gubernacula. Andromeda namque Ungaria eſt, regio pulcherrima, & aliarum facilè Princeps. Vaſtata eadem à Turcâ veluti*

.câ, veluti ceto quodam grandi atq́, horrendo, ſpem bonam concipit fore, ut Matthiæ ceu Perſei manu ac ſolicitudine liberetur. Quod ſi vero eandem fabulam ad Belgium accommodâris, perinde ſuavi analogiâ ſibi cuncta reſpondent. Epigraphen ſimilem nummus alter: agalma diverſum habet. Eſt conſpicuâ ſita in rupe ſymbolum victoriæ, corona: ſed ea alata, & prepete pennâ, ni cuſtodiatur, ad hoſtes revolatura. Cautè itaq́, habendum quod ferme fit (Livij effatum) *ut res ſecundæ negligentiam creent: aut ut vulnus aliquod* (Taciti verba) *per nimiam fiduciam accipiatur. Dinothus. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS
STEPHANI REGIS POLONIÆ,
Cuſus rebus in Moſcovia feliciter geſtis: Anno Chriſti 1579.





STephanus Battorius Poloniæ Rex, bellum adverſus Ruthenorum Ducem ſuſcepturus, menſium trium ſpatio collectis quadraginta equitum, & ſexaginta peditum millibus, paulatim ad fines Moſcoviæ accedit. Præmiſſus eſt Suiro primum Nicolaus Ratzivilius, Palatinus Vilnenſis cum quibuſdam equitum peditumque Lithuanorum copiis, certusque Vngarorum numerus cum Caſpare Beckeſchio itinerum claudendorum cauſa; ne præſidia in Polotiã à Moſcovitâ ſubmitterentur: cum tamen biduo ante nonnulli pedites & equites fuiſſent ingreſſi. Rex paulò poſt cum exercitu & tormentis bellicis

atque impedimentis ſubſequitur. Interea verò à copijs quæ præceſſerant tres arces Kozian, Craina & Sithno per excurſiones celeriter occupatæ, & incendio deletæ ſunt. Rege inſuper cum omnibus copiis appropinquante, Polotia tribus locis obſidione cingitur: munitionibusque propius ad ipſas arcis portas promotis, omni conatu ad arcem expugnandam incumbitur. Obſeſſi non minus viciſſim acerrimis animis vique tormentorum pugnabant adverſus conatus regiorúm, tantâque pertinacia vim illatam repellebant, incendiaque extinguebant, ut ſe telorum tormentorumque iniuriis certatim offerrent: & ſuccumbentibus aliis, alii confeſtim ſuccederent. Poſt pluvias aſſiduas die primo, qui ſerenior illuxerat, Regij milites in foſſas ſe demiſerunt, ſuperatoque Polotta flumine, & arduo clivo, cui erat impoſitum propugnaculum, inter infeſtiſſima tela hoſtium ignem arci intulerunt. Idem cũ poſtero die in aliis munitionis partibus factum eſſet: nec ullum quieſcendi ſpatiũ hoſti concederetur, urbs deditione tandẽ in Regis poteſtatem pervenit. Magna auri & argenti, & rerum pretioſarum ibi copia inventa eſt, quæ omnia prædæ militum ceſsêre. Inventa & globorum ferreorum, tormentorum, & pulveris tormentarii tanta copia, quanta in arce aliqua chriſtiani orbis, his rebus bellicis inſtructiſſima, reperiri potuiſſet. Touculia itidem & Socola, oppida & arces in Polocenſi ditione, expugnantur: Suſsa munitiſſimum Moſcovitarum caſtellum deditione capitur. *Nummi poſterioris characterem mutuatus videtur Stephanus ex Numiſmate Veſpaſiani & Titi Impp. Romanorum, qui Judaâ, aliisq; provinciis in ſuam redactis poteſtatem, ſimili epigraphe ſunt uſi. Omnia in eo triſtia: Regi vir ſimilis plorans, nihil ſibi arma contra vim hoſtilem profuiſſe: femina ejulans olim ſe liberam, nunc captivam: puer plangens & capillos evellens, propter orbitatem. Quod in nummo altero, de vigilantia ac ſolicitudine belli duces, aliosq; celſo natos loco admonet. Pauci enim Timothei, quibus dormientibus civitates captæ ultrò in naſſam ſeſe inſinuant. Vox ſervi in Rudente Plauti:*

Vigilare decet hominem, qui vult ſua tempori conficere officia.
Non enim illum expectare oportet, dum herus ſe ad ſuum
ſuſcitet officium,
Nam qui dormiunt libenter ſine lucro, & cum damno quieſcunt.

Quanto vero magis hanc ſibi legem dicet ſummus Imperator: qui ubi
————non adeſt ad exercitum
Citius quod non factô' st uſus ſit, quam quod factô' st opus.
Papaver inducendi ſomni vim habere, noto notius.

Comes Natalis. Author.

NUMMI MEMORIÆ DICATI:

CVSI OBSESSIS VRBIBVS TRAIEcti ad Moſam & Steinvici: Anno Chriſti 1579. & 1580.



Lexander Farneſius Parmæ Dux, poſtquam Gallo-Belgas ſuam in poteſtatem redegiſſet, ad expugnandum Trajectum Moſæ (vulgò Maſtrich) animum adiicit: ſineque mora omni duos pontes Moſæ fluvio imponit: unum citra, alterũ ultra urbem: Mondragonius caſtra ſua ad latus Wick collocat. Erant in urbe mille ſtipendiarij circiter: mille & ducenti cives bellicoſi: ruſticorum ad duo millia, qui eò cum uxoribus ac liberis confugerant. Non pluribus recenſeo, quâ ſævitiâ urbem Hiſpani oppugnarint: quâ fide & alacritate oppidani eandem defenderint, Herlæo Belgâ & Tappino Gallo Archiſtrategis & Tribunis uſi: ne ab Hiſtoricis copioſiſſimè tradita otioſè repetere adeoque actum, quod ajunt, agere velle videar. Obſeſſi (de exitu ut dicam) fruſtrà ſubſidia expectantes, & laboribus, vigiliiſque fracti in reſiſtendo remiſſiores fiunt indies. Hiſpanis animus additur, qui quarto tandem menſe urbem expugnant. Cæſi ſunt omnes qui armati in urbe reperti, multique ex civibus atrocitatem victoriæ ſenſere. Hiſpani ſic urbe potiti non-

nullos dies Maſtrichij morantur, dum reficerentur partes devaſtatæ, munieturque urbs adverſus hoſtes, ſi quis fieret impetus à copiis ſtatuum.



Fortunam (ſeu ut Chriſtianè loquamur) Deum magis propitium habuere Steinwicenſes, qui à Comite Rennenbergenſi obſeſſi, & non tam armis quam labore aſſiduo, cibariorúmque penuriâ fracti ad ordines & Aurantium miſerunt, rogantes, ut ſibi ab hoſtibus circumventis properè ſubveniretur: Precibus eorum Ordines & Aurantius morem gerentes copias pedeſtres & equeſtres ſubſidio illis misêre, quæ maxima ex parte ex Anglis conſtabant, ductore Norritio viro impigro. Hic poſt varia levia certamina cum hoſte conſerta, ad ſolvendam obſidionem coegit Hiſpanos, cum per 4. menſes duraſſet. *Meteranus. Dinothus.*

Digitized by Google

NVMMI MEMORIÆ DICATI:

CVSI A CONFOEDERATORVM Belgij Statuum Proceribus. Anno Chriſti 1580.





SVB anni 1580. initium Conventus Ordinum Delphi Holandiæ agebantur; in quibus Aurantius Delegatis Provinciarum ſcriptum exhibuit, quo eos monebat, ut populis, à quibus erant miſſi, declararent, diligentiùs & attentiùs rebus bellicis incumbendum: potentes & bellicoſos hoſtes eſſe, vigilantes, induſtrios, omnique occaſioni intentos, atque Belgis libertatis amantibus infenſiſſimos. Conſentientibus animis communibusque ſuffragiis ordinum decretum, pacis conditiones, ab hoſtibus propoſitas, ut iniquas nequaquam recipiendas, & belli conſilia neceſſariò reſumenda, quod aliter communem libertatem, facultates ſingulorum, honores, liberos & uxores tueri non liceat. Supremum etiam conſilium ex viris ſingularis peritiæ & notæ probitatis conſtituendum, exercitumque conflandum ex veteranis militibus, & bello induratis, qui hoſtibus formidabiles eſſe poſſint, & patriam à periculis tutam & ſecuram præſtare. De his Ordinum Delegatos admonere ſe voluiſſe, quod id officij ſui eſſe putaret, qui populi neceſſitatibus providere cuperet, & quod fideliter in tempore admonenti, venturarum ob ſocordiam & negligentiam cladium, culpa imputari non poſſit.

Nummi qui præfixi ſub id ipſum temporis cuſi. *Nervi atq; artus ſapientiæ ſunt, non temerè credere. Penitius hoc ſapientis effatum Belgæ imbiberant: Eaque propter licet in pacificatione Gandavenſi, congreſſu Colonienſi, & alibi pax ſibi offerretur: ſuam inſuper reconciliationi authoritatem Pontifex ipſe interponeret: attamen, ne, qui dextrâ* oleam porrigit, ſiniſtrâ capiſtrum *occultet, metuebant. Liber itaq; revinciri Leo Batavus pernegat. Atqui ligatus ad palum jam eſſe videtur: impar viribus maximo regnatori terrarum, quiq; latius imperitat, quam unquam cujusquam Regis ſeſe potentia propagavit? Vinctus, ſed jam ſolvendus ab Auriaco, qui licet viribus impar hoſti, ſalutem nihilominus Belgarum expediturus videbatur. Neq; enim ſemper in arena pares viribus Athletæ congrediuntur: muſculus apud Aeſopum accedit ad laqueos, illisq; corroſis magnum leonem periculo liberat: & in venatione*

A cane non magno ſæpè tenetur aper.

Hinc Leo Selandicus in undis ad Holandos: Vos terra, ait: at ego excubo ponto. Ergò exoritur propediem dies ille, qua nos qui militamus, laboramus, angimur, conſumimur libertatis bono (pileus in haſta eius ſymbolum) fruamur. Cadat alea, ut velit, ait Belga: ſi non nobis, ſaltem poſteris. Sic enim laborant ſenes in iis (Tullius) *quæ ſciunt nihil omninò ad ſe pertinere: ſerunt arbores, quæ alteri ſeculo proſint, ut ait Statius in Synephebis. Dinothus.*

Author.

NVMMVS ICONICVS CVM DVOBVS VOTIVIS PHIlippi Secundi Hiſpaniarum Regis: cuſi ante & poſt partum regnum Portugalliæ, Anno Chriſti 1580.







PHILIPPUS Secundus Hiſpaniarum Rex magnos hoc tempore ad occupandum Luſitaniæ regnum apparatus bellicos faciebat. Cum enim fruſtrà diu fuiſſet diſputatum de ſucceſſore ejus legitimo, multique Juriſconſultorum regnum illud ad Philippum Regem iure pertinere contenderent, Antonius viciſſim Ludovici filius idem ad ſe ſpectare æquius arbitraretur, conſecutuſque eſſet ſtudia popularium, cæptum eſt ad arma pro viribus ſpectare. Rex Albanum Ducem cum ſummo Imperio illi expeditioni præficit: qui multis triremibus alijsque navibus præſidiariis, præcipuè autem veteranis belliq́ue expertibus præfectis, qui in Belgio militaverant (inter quos Sancius Davila arcis Antuerpianæ olim præfectus) multas Portugalliæ urbes vi cæpit: ſuæque claſſi imperat, ut flumen ac portus Liſbonæ occupent: poſt ipſe cum ſuo exercitu advenit, & Antonium Regem imparatum ac incautum prævertit, prœlioque, non procul ab urbe Lisbona ſuperat. Antonius duobus vulneribus acceptis fugà evadit: poſt plurimos caſus ac peri-

cula

cula Portugalliam relinquit: & navi quâdam Enchuſanâ in Galliam venit. His modis Philippus non regno modo Portugalliæ vi potitur: ſed etiam appendices ipſius regni, Indiæ nempè Orientalis Africæque urbes permultas diverſasque Inſulas capit: ſolummodo circa Azoras difficultatis nonnihil patitur. *Equus effrenis curſuq; concitus ſtimulum gloriæ præfert in nummo, quo rex haud ſecus atq; Miltiadis trophæis Themiſtocles, excitatus non quieturum ſeſe profitetur, dum Indiam Orientalem ſibi ſubiiciat: non contentus Occidentalem ex patrimonio ſe habere. Part â eâdem per Albanum gloriatur, aut ipſius potius aſſentatores,* (vix enim faſtus eiusmodi in Regis moderationem cadit) *reliquum orbis terrarum ſibi deberi. Meteranus. Author.*

NUMMUS MEMORIÆ SACER

AUGUSTI ELECTORIS SAXO-niæ: cuſus libro chriſtianæ concordiæ edito: Eccleſiarum verè Lutheranarum ſymbolo: Anno Chriſti 1581.



QUod laudibus Principis Auguſti, Electoris Saxoniæ ſuperius aſcripſimus; id hoc ſub nummo repetendum: ſeriò cum ſeduloque id penſi habuiſſe: ut recta ſynceraque cæleſtis verbi doctrina in Eccleſijs ſuis ſcholisque floreret: quicquid ab hâc diverſum eremodicij damnaretur. Hinc cum diſſenſio de quibusdam fidei chriſtianæ articulis, qui in Auguſtana confeſſione comprehenſi ſunt, in Eccleſijs incidiſſet, putarentque nonnulli Theologi ab Auguſtana confeſſione nonnihil receſſum eſſe, non quievit prius Heros inclytus, quàm per Theologos quosdam formulam doctrinæ, à confeſſione Auguſtana nulla ex parte diſcrepantem, ſed antiquam illam ac γνησίως Lutheranam fidem complectentem, ſcripto comprehendi curaſſet. Quin & zelo eiusdem, curâ, labore, ſumptibusque eò tandem redacta res eſt, ut liber ille (dictus formula concordiæ) typis excuderetur publicis, & à reliquis etiam duobus Electoribus: Principibus verò ac civitatibus plurimis approbaretur. Venit cum primis in ſocietatem laudatiſſimi huius facti, Joannes Georgius Elector Brandeburgicus: quem dum viveret, æquè atque Auguſtum

Digitized by Google

religionis negotium fatigavit. *Inſtituti votiq́ ſui compotes facti, gratias Deo egerunt Principes Illuſtriſſimi, complexuq́ mutuo ſuum in religione conſenſum, qui veræ ſtabilisq́ concordiæ baſis ac fundamentum eſt, teſtari voluerunt. Præmÿ verò quid retulerunt? Ut ob dilectam Domini legem ſolidâ conſcientiæ pace fruerentur: tranquillatos viderent Principatus ſuos: ſoſpites liberos: florentes ſubditos. Auguſtinus Brunnius.*

Author.

NVMMI MISSILES

GANDAVENSIVM ET ANTUERPienſium: Franciſco Alenzonio, Galliæ Regis Fratre, in Ducem Brabantiæ, Comitem Flandriæ, & Belgicarum Provinciarum Protectorem electo, proclamato: Anno Chriſti 1582.





CUm de adventu Franciſci Valeſij Ducis Alenzonij certò iam conſtaret, Auraicus Princeps cum Eſpinoio, navem conſcendit: Fliſſingam usque Duci it obviam: exeuntem cymbâ primus excipit, magnâ & cultus & ſermonis comitate. Poſtridiè Alenzonius Middelburgum inviſit: inde nonaginta navibus militari inſtructis modo Antuerpiam contendit, exceptus à civibus multis arcubus Triumpha-

 libus

bus: variis theatris & imaginibus erectis, elogiisque affixis. Propè extremos arcis muros ſtabat theatrum ſumptuosè apparatum, & aureâ ſede ornatum. Huc Dux deducitur à Brabantiæ & ordinum Proceribus: prælectis jurisjurandi capitibus, Dux Brabantiæ & Marchio S. Imperij creatur. Omnibus ceremoniis ſolenniter ac ritè peractis, Brabantiæ, Limburgi, & Lotharingiæ feciales clarâ voce proclamant Vivat Dux Brabantiæ, perſonantibus tubarum clangoribus: ſparguntque promiſcuè in vulgus nummos ſupra deſcriptos: *è quibus elegantior ille, qui ab una parte Ducis effigiem, ab alterâ ſolem habet, nebulas ſimul diſcutientem, terrasq; foventem. In eam namq; ſpem erecti ſtabant cum populo proceres, fore: ut Principis huius ductu auſpicioq; afflicta Belgarum provincia è calamitatibus ſuis emergant, frigoreq; quaſi enecta clementiâ eiuſdem ac vigilantiâ ceu grato calore ſolis, refocillentur.*

Meteranus. Author.

Digitized by Google

NVMMI AVSPICALES

RUDOLPHI II. IMPERATORIS

cuſi Auguſtæ vindelicorum, in comitiis ibidem habitis: Anno Chriſti 1582.



COmitia imperii prima Ratisbonæ celebravit Rudolphus Imperator: in quibus actum præcipuè deſumptibus ad fines Ungariæ defendendos. Tempore eodem ac durantibus Comitijs miſit Gregorius XIII. Pont. calendarij correcti exemplaria Auguſtam: receptàque eſt emendatio ab ijs imperij ſtatibus tantum, qui Pontifici addicti erant. Juſſit autem Papa in menſe Octobri à 4. usque ad 14. Octobr. præteriri dies

decem: ita ut quartus menſis dies haberetur pro decimo quarto die: quo æquinoctiorum & ſolſtitiorum dies reducerentur ad antiquas illas metas, quas in concilio Niceno determinarunt SS. Patres. Quin & nummi (uti fieri ſolet) ijsdem in comitijs cuſi ac diſtributi. *Ad ſolis radios, cum & hominum & Animalium cæterorum hebeſcant oculi, viſum ſuum exacuit Regina volucrum Aquila: quin & pullos ſuos ungue ſuſpenſos radijs ſolaribus obijcit: quosq; videt obtutum non flectere, genere ſuo dignos iudicat. Aquila in nummo Rudolphus eſt, beatiſſimæ memoriæ Cæſar: qui ad illum iuſtitiæ ſolem converſus, vota pro ſalute communi, feliciq; Reip. ſtatu nuncupat.* Niſi enim Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. *Nummus ab hoc proximus literis initialibus proponit, quot, & qui è familiâ Habspurgicâ laureâ Imperatoriâ fuerint conſpicui. Bucholtzerus.*

Author.

Digitized by Google

NUMMUS ICONICUS, CUM CASTRENSI ANTONII I. ELECTI REGIS LUſitaniæ: ſuſceptâ in felici contra Philippum Hiſpaniarum & Luſitaniæ Regem expeditione, cuſi Anno Chriſti 1582.



ANTONIUS, quem in Galliam profugum ſupra diximus, cum Inſulas Azoras, quæ Gubernatoris beneficio in eius adhuc fide permanſerant, defendere ſe poſſe ſperaret, Catharinam Franciæ, & Eliſabetham Angliæ Reginas eò deduxerat, ut paribus tum opibus, tum viribus claſſem armarent: cui hæc quidem Franciſcum Dracum: illa Philippum Strotzum præfecerat. Solvens ultimo Junij ſecundo vento ad S. Michaelis inſulam appulit quæ ſe extemplo in Antonij fidem dedit, Hiſpanis munitiora loca occupantibus. Sed neque Marchio S. crucis Regiæ claſſis Archithalaſſus de fide ſuâ ac vigilantiâ aliquid remiſit. Fortuna belli tentanda prælio videbatur: quod conatu acerrimo commiſſum fuit ſeptimo Cal. Auguſti. Utrinque enim naves conjunctæ tantâ militum alacritate invicem proruerunt, ac ſi pro terrarum orbis Imperio decertandum fuiſſet. Stabant, qui tormenta intenderent, latè carinas finderent: ferreamque teſtûdinem terebrarent: quas obiectæ iterum rates tuebantur. Marchio cum delectis inter primos aderat: Antoniani, adverſo vento impulſi, vix curſum regere poterant, vacillanteſque, & ne demergerentur

rentur, ſoliciti milites nautarum miniſteria turbabant, nec tela quidem vi-
brare amplius poterant, cum prior ſtandi ſine periculo, quam hoſtem inceſ-
ſandi cura eſſet. Regij ingentem telorum vim globosque ſulphureos infu-
dêre navibus: quæ ignem concipientes novam pugnæ imaginem faciem-
que præferebant. Tum enim ſalutis immemores alius alium adhortari, in-
que hoſtem ruere: ac vix ulla navis ſupererat, quæ non pluribus ſpiculis per-
forata eſſet. Tandem itaque Antoniani, quibus evadendi ſpes exciderat,
naves ſeque dedunt Marchionis arbitrio, dum quinque horarum ſpatio ſe
Regijs oppoſuiſſent. Interempti in eâ pugnâ Philippus Strozius claſſis Præ-
fectus, comes Vimioſius, Beaumontius, octo cohortium ductores, præter
gregarios. Antonius claſſe rurſus profligatâ profugas reliquias colligens,
poſtquam fruſtrà verſus Maderam Inſulam curſum direxiſſet, iterum in
Galliam conſilii inops navigavit: cum prius Emanueli Sylvio vices ſuas
demandaſſet. *Nummi Character petitus à cruce Chriſti, quæ Conſtantino
Magno in cælo apparuit.* Nota Hiſtoria: non eam ap-
pono. *Laurent. Beyerlinck.*

NUMMUS SOCIALIS HENRICI III. GALLIARUM ET Poloniæ Regis: renovato cum Helvetiis & Ræthis fœdere: cuſus Anno Chriſti 1582.



HENRICUS Tertius Galliarum Rex pacis tractatione ultimâ, Anno 1577. ſuſceptâ, præcipuas aliquot regni ſui civitates pignoris loco proteſtâtibus Principibus, ne de fide ſua dubitarent, ad certum tempus tradidit: elapſo autem tempore conſtituto repetiit. Navarræus excipiens tempus quidem præfinitum effluxiſſe, dicebat; conditiones autem pacis non impletas fuiſſe, cum interea multæ tam clandeſtinæ, quam apertæ machinationes, pactis conventis omninò repugnantes ac contrariæ, innotuerint. Movit hoc Regem pacis amantiſſimum, ut in edicti per aliquot annos prorogationem facilè conſentiret: videns autem capita Ligæ ægerrimè ferre, quod Proteſtantibus in Gallia Principibus civitates multas conceſſerit, eamque ob rem alienato erga ſe eſſe animo, ad defenſionem ſui fœdus antiquum cum Helvetiis & & Ræthis cum ſolennitate, *percuſſisq. in huius rei memoriam nummis*, renovavit, quo in omnem eventum operâ ipſorum uti poſſit. *Comes Natalis.*

NVMMVS ICONICVS CVM CASTRENSI

GEBHARDI TRUCHSESII ARCHIepiſcopi & Electoris Colonienſis: Bonnâ ab Erneſto Bavaro obſeſſâ, Anno Chriſti 1583.



CAuſam duplicem habuit Pontifex, cur Gebhardum Truchſeſium Archiepiſcopum Colonienſem fulmine excommunicationis percuteret: & quod Agnetam uxorem duxiſſet, è perantiquo illuſtrique Mansfeldiorum ſtemmate ortam: & quod utriusq; religionis exercitium, iuxta pacem religionis in Imperio datam, ſubditis ſuis permiſiſſet. Excommunicato eidem & Epiſcopatu dimoto Erneſtus ſubſtituitur, Ducis Bavariæ filius, Epiſcopus Leodienſis: bellum utrinque apparatur: prœlijs ſæpè dimicatur. Servârat autem ad ſui defenſionem Gebhardus Bonnam, oppidum haud malè munitum: quod cum à copiis Erneſti graviter obſideretur, Carolus Gebhardi frater id ipſum maiori animo, quam viribus tuebatur. Nam quamvis à frumento & vino minimè laborarent præſidiarij, tamen cæterarum rerum, ad vitam neceſſariarum, ſumma in oppido penuria erat, ac ligni inprimis, ita ut tigna, canteriós aliamque materiam igni nutriendo idoneam, diſturbatis ad fœditatem ædibus, per vim rapere cogerentur. Erant in Caſtris Erneſti nuper Electi Colonienſis Archiepiſcopi, & Electoris, IV. lectæ Sequanorum equitum turmæ, ductore Toraſio: VI. Italorum, quibus Nicol. Baſta præerat, & V. Eburonum; peditum ſigna XL. Germanorum Boemorum, & Eburonum

Digitized by Google

Eburonum egregiè inſtructorum. Ex adverſo urbis trans Rhenum extrui curaverat Bavarus munimentum, ad prohibendam commeatus in urbem ſubvectionem, in quod, majoribus tormentis comportatis, navem prætoriam, quæ ante oppidum erat, crebris ictibus perforatam poſtremò depreſſit. Multa & inde damna obſeſſis illata. In hoc oppidi ſtatu omnis ſpes Gebhardi, ab externis auxiliis pendebat: iis accerſendis Adolphus Nuenarius Comes, & Edelus Henricus Brunſuicus nothus invigilabant: qui ad triginta peditum ſigna, & octo equitum turmas tumultuariò cogunt, magnisque itineribus Bonnam ducunt: hoſtibus verò ijdem proditi, ac ab illis circumventi, magnâ clade acceptâ, relictisque impedimentis Tuitium & Mülemum ſe recipiunt. Hoc caſu cum omnem ſpem de defendendâ Bonnâ Gebhardus amiſiſſet, mittit, qui obſeſſos ſpe ſtipendij, & auxiliorum brevi venturorum, ad durandum hortarentur. Cùm verò multorum menſium ſtipendia præſidiarij efflagitarent, quæ à Carolo exolui non poterant, tradendæ tandem Erneſto Urbis, ſi ſtipendia prius ab ipſo perſolverentur, conſilium cæperunt: ducemque ſceleris nacti Michaëlem Bircklerum (fuit is, qui in bello Alſatico Anno 1592. proditionis ſuæ pœnas capite luit) Carolum Truchſeſium, duosque Capitaneos Chriſtophorum Bruin, & Balthaſarum Kochnerum, una cum urbe, in hoſtium manus perfidiosè tradiderunt. Durante obſidione nummus cuſus inferior. *Thuanus. Author.*

NVMMI DICATI MEMORIÆ

ERNESTI COLONIENSIS ARCHI-Epiſcopi, & Ferdinandi eius Fratris, Bavariæ Ducum: cuſi Gebhardo Truchſeſio ex Eburonibus pulſo: Anno Chriſti 1584.



CApta Bonnâ, Ferdinandus Dux Bavariæ Gebhardum Truchſeſium pridie cald. April. iuxta pagum Iſalæ ex improviſo adoritur: ſed à Brunſuicenſi repellitur; usque dum Gallorum trecentorum ſuperventu prœlium redintegratum eſt. Diſiectâ trabium transverſarum, quæ iter impediebant mole, Galli in latus incumbunt, & Siga iam converſa fortiter inferunt. Cum diu ancipiti pugnâ certatum fuiſſet, tandem victoria ad Bavaros, numero potiores inclinavit, cedentibus primo Truchſeſianis, & mox, ſoluto ordine, in fugam verſis: loco adeò anguſto, ut pauci perniciem effugerint. Ex Bavaricis vix viginti occubuerunt, plures vulnerati: inter quos fuêre Arconatus & duo Nobiles, Horatius item ordinum ductor. Ipſe Brunſuicus cum ardore pugnandi ulterius profectus eſſet, ſigniferumque ſuum ex hoſtium manibus eripere vellet, cum eo captus, & ad Ferdinandum ductus eſt: inde Traianam Coloniam ſub cuſtodiâ miſſus. Ingens præda capta, & quod plus præda æſtimatum eſt, prætorium vexillum, in quo Truchſeſianorum inſignia depicta erant. Confecto prælio in caſtra venit Thomas Epirota, à Parmenſi miſſus, cum VII. lectiſſimis equitum alis. His auctus copiis Ferdinandus contra Gebhardum ducit, qui mille equites adhuc penes ſe integros habebat. Verùm cognito hoſtium adventu Iſalam primum, dein & Rhenum traiecit, & in Batavorum inſula inter Leccam & Vahalim ſe munivit

Digitized by Google

nivit. Ferdinandus converſo itinere per pontem iuxta Dorſtenum copias in Recelinenſe territorium reducit: oppidum coronâ cingit, alterâque oppugnatione tentatum deditione capit. Gebhardus, dilabentibus ſuis, tandem Hagæ Comitis exul cum uxore vivit. Ad nummos (quod magis meum eſt) ut veniam, nihil quicquam obſcuritatis Ferdinandi Emblema habet. In Numiſmate verò Erneſti Electoris, *quis oculos Domini intuetur* OMNIA *quæ in cælo terraq; ſunt contemplantes, & non illius recordatur, quod in epiſtola ad Hebræos legitur: omnia nuda & reſupina ſunt oculis eius ad quem vobis ſermo eſt: quod in epiſtolis ſuis reliquit Auguſtinus: Deus totus oculus eſt, quia omnia videt, totus manus eſt, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia ubiq; eſt: quod Statius monet in pietate Aſcanij erga Priſcillam.*

——videt ille ortus obitusq;, quid Arctos
Quid boreas hybernus agat, ferriq;, togæq;
Conſilia, atq; ipſam mentem probat?
Thuanus Author.

NUMMUS ICONICUS

JOHANNIS EPISCOPI ARGENTI-nenſis: Alſatiæ Landgravij, & Comitis in Mander-ſcheid,&c. cum monitorio Canonico-rum proteſtantium: cuſi Anno Chriſti 1584.



Rectè Hiſtoricorum quidam, novi belli incendium in Alſatia, è Colonienſis belli cineribus excitatum fuiſſe, ſcribit. Cum enim per Epiſcopum Vercellenſem non Gebhardus modò, ſed tres cum eo Canonici, Georgius Comes Witgenſteinius: Hermannus Comes Solmenſis, & Johannes Baro à Winnenberg à communione Eccleſiæ fulminatione Pontificiâ, ſeparati, ſuisque dignitatibus exuti fuiſſent: i;dem verò Cathedralis Eccleſiæ Argentinenſis Collegio eſſent aſcripti, ſatis ſuperque cauſæ oblatum ſibi cenſuerunt Pontificiæ religionis Canonici, cur ſodales hosce ſuos, cumque iis Erneſtum Comitem Mansfeldenſem, partes eorum tutantem, collegio ſuo exturbarent. Itaque non

Digitized by Google

non ſolum Coloniâ accerſiverunt Fridericum Saxonem Lavenburgicum, Gebhardo in Decanatus munere ſurrogandum; ſed & prædictos quatuor excommunicatos beneficiis ſuis, reditibus, ſeſſionibus, votis privarunt. Hi poſſeſſione ſuâ eiecti, publicas collegij ædes, Notario ac teſtibus adhibitis, adeunt, iisque reſeratis de frumento in iis recondito ſibi ipſis, quod deberi aiebant, ſolvunt. Unde ortæ alterius partis graves querelæ, & coram ſenatu agitatæ: qui, quod ſtatim ab initio controverſiæ hujus fecerat, ad concordiam Canonicos hortatur, & ut provideant, ne quid detrimenti Respublica capiat, monet. Reſponſo iſto non contenti Pontificij, cum ornamentis Eccleſiæ magni pretij theſaurum capituli exportant, alioque transferunt. Rurſus cũ Evangelici vacuas capituli ædes occupaſſent, Pontificij indè eos expelli petiiſſent, ſenatus præcavendorum motuum causâ, ac ne ius publici tranſitus per ædes illas impediretur, aperiendas curavit, publicoque præſidio viginti ſclopetariorum munivit. Initiò *Epiſcopus Argentinenſis Johannes Manderſcheidus (cujus hic imago)* à cauſæ cognitione ſeſe excuſavit: pòſt vero, convocatis ditionis ſuæ ordinibus, ut partes ſuas interponerent, ſolicitè petiit. Cùm verò componendi diſſidij hujus causâ multa quidem à Principum etiam vicinorum delegatis, ſed fruſtra tentarentur, divinare quivis ſine ariolo poterat, mentes diſſidentium non modò in maius odium indies exarſuras: ſed inde etiam bellum tandem exoriturum, quòd non poſſet, niſi funeſtó atque exitiabili fine terminari: quemadmodum tanto fervore ac conatu ſuſceptum pacis negotiũ adeò inutiliter eveniſſet. *Nummus alter retecta quadam ſecretiora eſſe conſilia arguit; monet vigilandum cavendumq́, ne periculum, quod paucos aliquot tangere videtur, incautos ac ſtertentes plurimos corripiat. Veritatis* namque *hieroglypton lux ſive dies eſt: unde de iis, quæ liquidò patent, apertamq́ in ſe veritatem habent, meridianâ luce dicimus clariora. Hiſtoria Alſat.*

Author.

NUMMUS CASTRENSIS

ALEXANDRI FARNESII, PARMÆ

Ducis: Supremi Regis Hiſp. in Belgio Præfecti: cuſus durante obſidione Antuerpienſi: Anno Chriſti 1584. & 1585.



CUM Antuerpia, celeberrimum totius Belgij Emporium, quod præclarè & naturâ loci, & opere munita eſſet, vinci vix poſſe videretur, curas omnes viresq; ſuas in eam domandam contulit Farneſius. Obſeſſi, ad eludendos hoſtium conatus, multis locis crepidines, quibus, ut fert illius tractus conditio, franguntur æſtus Oceani adlabentis, interſcindunt: eoque facto circumjacentem Antuerpiæ terram Scaldi fluvio longè lateque cooperiunt. Viciſſim non ceſſit fiducia atque ſolertia Alexandro, qui non modo propugnacula hinc inde extra urbem excitat: eaque tormentis maximis inſtruit: ſed etiam è trabium, arborum cæſarum, faſcium, vallorum congerie pontem navalem cõficit, longam pedes bis mille: cumque clavis, funibus, ſimilibusque armamentis arcte compingit: compactam altè in aquas defigit. Obſeſſi cum tanto apparatu civitatem coerceri viderent, omni ingenio & conatu molitiones Alexandri diſturbare conantur: magnâ comprimis navi ædificatâ quam, cum nihil ei impervium exiſtimarent. *Finem belli* appellarunt. Crebræ inſuper, præter hunc cercurum, naves dimiſſæ, præ ſe attemperatum fomitem portantes concepto igne: ut ubi ad molem illam natalem perventum eſſet, incenſo pulvere ſaxa ingentia vi ejactarentur; hæc pontem, ſi fieri poſſet, rumperent, atque everterent. Parmenſis nihil tantis obſeſſorum conatibus commotus, perficiundis operibus conſtanter inſiſtit: quin imò *hoſtem ſe deſpectui habere, & ſ[ub]actâ urbis potiundæ jam certâ quaſi atq; indubitatâ frui, nummi (quem cernis amice Lector) monſtrat Epigraphe.* Tantum viciſſim à deditione faciendâ ſub id temporis obſeſſi aberant: ut juramenti formulam, quâ cavetur, ne quis de pace verba faceret, renovarint: ſpemq; certam

tam

tam animo conceperint, fore: *ut Leo Batavus antiquâ virtute & fide libertatem ſuam tueatur ac protegat.*



Cum vero iam quarto decimo menſe nihil penè obſeſſis proceſſiſſet ex voto: petita ſæpius à ſociis auxilia emanſiſſent: navigium illud magnitudinis inſanæ in hoſtium poteſtatem veniſſet: excurſiones crebræ magnam militum partem devoraſſent: inſeſſæ denique omnes viæ eſſent, per quas commeatus ſubveheretur, tædio tandem obſidionis urbs fracta, fameque domita in Farneſij poteſtatem certis conditionibus pervenit. Annum & diem factæ deditionis hoc quidam chronodiſticho expreſſit:

VIrgo LegIt spICas, AntVVerpIa CoLLa PotentIs
PrInCIpIs HIspanI sVbIIcit ImperIo.

Meteranus, Author.

Digitized by Google

NVMMI VOTIVI:

CVSI IN HONOREM ELISABETHÆ Angliæ Reginæ: confœderatos provinciarum Belgicarum in protectionem ſuam recipientis: Anno Chriſti 1586.



COnfœderatorum Belgij Ordinum Proceres, cum fruſtra de auxiliis ſibi ferendis Galliarum Regem Henricum Tertium appellaſſent: is verò eâ tempeſtate à Guiſianâ & Hiſpanicâ factione impediretur, quo minus deſolatis Belgij Provinciis ſuccurrere, &, quod quidem in votis habebat, opem iis ferre poſſet: nihilominus tamen Angliæ reginæ, & Navarræo regi ſe illos commendaturum promiſit. His rationibus adducti ſtatus Belgici legatos ſuos, ex omnibus ſibi confœderatis Provinciis, in Angliam ablegant: qui magnificè excepti, in tutelam ac patrocinium, contra Hiſpaniæ regem, ſe ſe recipi petebant. Conſiliarij reginæ ad illorum partes prorſus quidem erant propenſi, multa tamen occurrebant, quæ rem ambiguam facerent: Regem admodum potentem eſſe Hiſpanum: Hugenotas Gallicos auxilia itidem flagitare, utriſque commodè ſuccurri vix poſſe. Vicit tandem tamen eorum authoritas, qui *Leoni Selandico ſtrenuè luctanti, eq; undis ſuis emergere cupienti* opem ferendam eſſe ſuadebant: id quod non ſine prægnantibus cauſis fieri, Apologiâ, initiò Octobris, in lucem emiſsâ declararunt. Quibus permota Eliza-

Elizabetha confœderatorum defenſionem ſuſcepit, acceptis in fidem maritimis aliquot urbibus, Uliſſingâ ſcilicet, Walacriæ oppido munitiſſimo, arce Rammekens, & Brilâ: quæ loca Anglico præſidio firmavit, tenore nera contractus 10. Auguſti cum legatis initi. Ad perennem hujus rei memoriam æneos nummos Zelandi in vulgus ſpargebant, formâ & Epigraphe ſupra delineatâ; *Richardus Dinothus. Petrus Opmeerus Amſtelrod. in op. chronographico.*

Digitized by Google

NUMMUS HONORARIUS ROBERTI DUDLÆI LECESTRIÆ Comitis, è Belgio in Angliam revertentis: cum parænetico Ordinum confœderatorum: cuſi, Anno Chriſti 1586.



Robertum Dudlæum Comitem Leceſtrium, ab Eliſabethâ Angliæ Regina, ad moderandas urbes ſibi oppignoratas, in Belgium miſſum: honorificè ab incolis exceptum: donatum Gubernatoris Generalis (ægrè id ferente Reginâ) honore ac titulo, non eum latet, qui hiſtoriam Belgicam à limine, quod aiunt, ſalutavit. Cùm vero ſpei de ſe conceptæ non eum ad modum, quem animo Belgæ præceperant, ſatisfaceret, atque inſuper ad rationes de pecuniâ bellicâ, & nonnullis aliis reddendas poſceretur: non iniquè tulit, ſe in Angliam, ob res ibi turbatas, revocari. Diſcedens nummum hunc in auro diſtribuit amicis: in quo *cani fido ſeſe confert, qui ægrè à grege avellitur curæ cuſtodiæq; ſuæ commiſſo*: & ut conſtaret, quis ſuus ſit in Belgas animus, *non gregem ſe relinquere innuit, ſed ingratos, hoc eſt, parum agnoſcentes, quod brevi illo tempore, quo vixit in Belgio, diſciplinam militarem reſtaurarit: Duysburgum occuparit: cum Parmenſis exercitu feliciter dimicarit: valla ac propugnacula Zutphaniæ obſederit, cæperit*. Nummi inſequentis characteres ex hiſtoriâ ipſâ eruendi.



Certus


Certus jam eundi Leceſtrius, generalem quidem authoritatem provincias gubernandi, ordinum commiſit conſilio: ſed eam poſtea ita reſtrinxit atque coarctavit: ut ſibi, licet abſenti, in provinciarum, urbium & arcium præfectos, poteſtatem, multaque alia, quibus juri ac privilegiis Belgicorum Magiſtratuum plurimum derogaretur, reſervarit. Hinc igitur Belgæ Leceſteræi imperij vel pertæſi jam, vel ut ad eam, quam volebant, normam dirigeretur, cupidi, nummum hunc cudi fecerunt: in quo *monent, non ita amandam libertatem, ut amore eius nimis anxio incommoda accerſantur, jugo ſervili vel paria, vel etiam majora: curamq́; hanc ſedulò curandam, ne fumum fugientes flammam in ipſam decidant.* Id enim adagij de iis uſurpari ſolitum: qui minus malum evitaturi, in majus ſe conijciunt.

Meteranus. Author.

Digitized by Google

NVMMI CASTRENSES

MAXIMILIANI ARCHIDVCIS AVſtriæ, & Sigismundi Suecię Principis, de Regno Poloniæ diſceptantium: cuſi, Anno Chriſti 1587.



STephano Bathoreo Poloniæ Regemortuo, cum ordines Regni de novo Rege varia agitarent conſilia, &, poſt aliquot Compeditores excluſos, ſupereſſent Maximilianus Archidux, & Sigismundus Sueciæ Princeps, ille propter familiæ Auſtriacæ potentiam: cum præcipuis orbis terrarum Principibus propinquitatem: benignitatem animi atque comitatem multos habens fautores, ab una parte ſuffragantium, tam Polonorum, quam Lituanorum Rex legitimè renunciatur. Alij verò Auſtriaco nomini minus faventes, ſibi indulgentes, ſine tamen Lituanorum aſſenſu, citraque magnum ſenatorum numerum, & ordinis equeſtris ſcitum, Sigismundum Sueciæ Principem,

ex vetuſtâ Iagelloniâ ſtirpe ratione matris orto, regem proclamare non dubitarunt. Electi igitur Reges duo, uterque ſalutatus, & ad capeſſendum Regnum accitus. Maximilianum quidem priorem cum exercitu venientem cives, quià Sueco ſteterunt, recipere detrectarunt, & eruptionibus aliquot factis acerrimè conflictum eſt: variante utriusque partis fortunâ. Sueco autem Petricoviam appulſo, Maximilianus Cracovienſem obſidionem ſolvens, illuc, cum adverſario de ſumma rerum dimicaturus, movit: ſed hoſtium exercitum multò potentiorem intelligens, & quod in crebris cum Polonis & Suecis levioribus prœlijs magnum ſuorum numerum amiſiſſet, retrò ſe contulit, Cracoviam denuo, ſed fruſtra, tentavit. Interim ad famam Cancellarij Polonici cum lectiſſima duodecim millium manu Wielunum verſus proficiſcentis, Maximilianus cum copiis ſuis Bitſchenium, Brigenſis in Sileſia ditionis oppidum, ſe recepit, quorſum Cancellarius magnis itineribus contendens cum Auſtriacis pugnam conſeruit: Maximilianum Pitſchenij obſedit, oppidumque oppugnavit: quod cum Maximilianus propugnando tueri nequiret, ſe dedidit, inque Poloniam abductus eſt. Tandem causâ inter Sigiſmundum, & Archiducem à Pontificis & utriusque partis legatis Bithoniæ congregatis transactâ pax inter ſereniſſimam familiam Auſtriacam & Polonos, certis conditionibus, iterum coijt. Nummos cum aſpicio, arma eos (ut tempora illa ferebant) non pacem ſpectare video. *Poſitis caſtris, cum P. Helvio Pertinace Imp. Romano* MILITEMUS *inquit Archidux ſereniſſimus, quæq; iure ac legibus obtinere haud licet, vi ferroq; parare conemur.* Vt enim temerè in acie verſari, & cum hoſte confligere, immane quiddam, & beluarum ſimile eſt: ſic, qui non offendit, nec obſiſtit, ſi poteſt iniuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat. *Non abſimilis priori Sigiſmundi nummus eſt: Regis munus præcipuum ſtatuentis Regni jura & populi incolumitatem ſtricto enſe tueri. De fœmina in tertio; ſive ea Pallas, ſive Bellona eſt, quod certò pronuntiem, non habeo. Jacobus Schrenck à Notzingen. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS TRIVMPHALIS

HENRICI NAVARRÆ REGIS, Victoriâ de Ioicuſio, Duce Exercitus Ligæ, partâ: cuſus, Anno Chriſti 1587.



SAnctæ Ligæ Pontificiæ duo ſumma erant capita: prius, Religionem unicam eamque Chatholicam conſervandam, contraque omnes hæreſes ſtrenuè defendendam: alterum, neminem è Principibus, quamvis ſanguine proximorum, niſi Catholicus fuerit, ad regni ſucceſſionem admittendum eſſe. His ſimilibusque rationibus moti Principes Catholici, totis viribus contendebant, eoque ſtudia ſua omnia dirigebant, ut caverent, ne Navarræus, ſed Carolus Borbonius eius patruus, ad regni gubernacula perveniret. Edicuntur huius rei comitia: in quibus articuli fœderis renovantur; & Carolus Borbonius Cardinalis primarius fœderis princeps; Lotharingus eius Vicarius; Dux Guiſius Imperator exercitus; Nemourius junior Magiſter equitum levis armaturæ: Dux Mœnius equitum Præfectus, & Bironius Mareſcallus declaratur. Navarræus ſibi vim & iniuriam factum iri arbitratus, viciſſim neceſſariam ſui defenſionem ſuſcipit, & permiſſu Reginæ Angliæ; Principumque Germaniæ quorundam Proteſtantium; in ditione eorum aliquot equitum turmas colligit. Quæ in Alſatia eodem menſe Julio ad diribitionem & reliquum exercitum Helveticum magnis itineribus contendunt, pluresq; ibi hebdomadas commorantes, direptionibus, incendijs; ac cædibus graſſantur. Tandem iter ingrediuntur, viamque ſibi per Lotharingiam vi & virtute ſua aperiunt. Occurrit illis ad Moſellam hoſtis Guiſius, remoram eis, ne cum Navarræo coniungantur, iniecturus. Nuntio ad Navarræum delato, confeſtim, deſiderio excipiendi copias flagrans, advolat, & in itinere cum Duce Joicuſio veſtigijs ſuis à tergo ſemper inſiſtenre, ſeque ad prælium provocante, decimo Octobr. ad Contraſium dimicat, Victoria penes Navarræum fuit, Ioicuſio pereunte, & cum eo Claudio Fratre: multis Gallorum Principibus: gregariorum numero haud

haud exiguo. *Merito* itaque *inſperatam quaſi hanc victoriam Deo fert acceptum victor inclytus: ſic, inquiens, vincere certum, cum Dominus exercituum ipſe dimicat: cum arcus conteris: arma confringit: curſus igni comburit.*





Cæterùm, uti anceps plærumque & varia fortuna Martis eſt, ſic res lætas Navarræi mox triſtis caſus interturbavit. Interea namque Henricus Guiſius Germanico exercitui, qui magnis laboribus ac ſumptibus ad ferenda Navarræo ſubſidia collectus fuerat cum copijs ſuis obviam procedit ad Moſellam; eumque in oppido Aneau die 24. Novembris invadit, cædit, & in fugam compellit. Germani per Sabaudiam in patriam redeunt: ſed pauci, & omnium rerum egeni. *Ianſonius in Merc. Gallicobelgico. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS DICATVS MEMORIÆ SIXTI V. PONTIF. MAX. SECVritate Italiæ, profligatis & extinctis Banditis, reſtitutâ: cuſus, Anno Chriſti 1587.



SIXTO Quinto, cui prius Felici de Monte alto nomen erat, ſedem Pontificiam occupante, tantus eorum numerus Italiam inundaverat, quibus aquâ & igni interdictum fuerat (vulgò Banditas vocant) ut tutò iter facere nemini penè liceret, viis obſeſſis, crebriſque homicidijs defœdatis. Rem itaque ſe dignam facturum ratus Pontifex, ſi malo huic remedium adferret, Centuriones terra marique dimittit, qui illuvie iſtâ Italiam repurgarent: poteſtate ſimul factâ omnibus ac ſingulis ſubditorum in prædones huiuſmodi ac piratas graſſandi: addito præmio cc Ducatorum, quod ſit numerandum ei, qui caput interfecti in pontem Caſtelli S. Angeli deponeret. Quin & edicto ſancivit, ſe præter pecuniam, quâ caput latronis præmiaretur, veniam inſuper & reditum ei Banditæ largiturum, qui alterius Banditæ caput ad ſe detuliſſet. Hic lupum vidiſſes lupo commiſſum, ac Vrſum Vrſo: dum quiſque & veniam culpæ ſuæ, & aurum venaretur. *Factum hâc Pontificis curâ ac providentiâ: ut peregrinanti, cum prius motæ, ad lunam arundinis umbram trepidaret, tutò nunc onus ſuum deponere liceret, ſuaviterq́; ſub quavis arbore ſomnum capere.*

Author.

NVMMI SOCIALES ARGENTINÆ, TIGURI, ET BERnæ civitatum inter ſe confœderatarum: Cuſi Anno Chriſti 1588.













…oteca Nazionale Centrale
V. E. II
ROMA
UFFICIO
AUTORE
LUCK, M. Jacob
COLLOCAZIONE
7. 4. M. 25
Per uso del Sig. FINUCCI
Data 27-9-77
Scontrino da conservare entro il volume

…edere, quod Anno Chriſti 1530. tres inter ſe pepi…rant Reſpublicæ, Argentinenſis, Tigurina, & …rnenſis, id agebatur: ut ſua cuique libertas ſalva …aneret, quæque ex his per vim hoſtilem durius …quid pateretur, reliquarum parata haberet auxilia. Etſi vero ab eo usque tempore nihil interveniſſet vel diffidentiæ, vel querelarum; pactis conventis ritè ſervatis: attamen cauſæ nõnullæ erant, cur hoc anno fœdus illud renovandũ, noviſq; aliquot legibus ſtabiliẽdũ videretur. Fortè & illa: quod crebræ ſub id tẽporis in Alſatiam Gallorum fierẽt excurſiones: Hiſpanus etiam cum Pontificiæ religionis Helvetijs ſocietatem iniiſſe diceretur. Miſſi itaque Argentinam Caſparus Thomas Conſul Tigurinus, & Antonius Gaſſer Bernenſium vexillifer, cum decenti plurium Senatorum comitatu; ut Superiorum ſuorum nomine fœderis revocati pa-

NVMMI VOTIVI:

CVSI IN HONOREM ELISABETHÆ Angliæ Reginæ: confœderatos provinciarum Belgicarum in protectionem ſuam recipientis: Anno Chriſti 1586.



COnfœderatorum Belgij Ordinum Proceres, cum fruſtra de auxiliis ſibi ferendis Galliarum Regem Henricum Tertium appellaſſent: is verò eâ tempeſtate à Guiſianâ & Hiſpanicâ factione impediretur, quo minus deſolatis Belgij Provinciis ſuccurrere, &, quod quidem in votis habebat, opem iis ferre poſſet: nihilominus tamen Angliæ reginæ, & Navarræo regi ſe illos commendaturum promiſit. His rationibus adducti ſtatus Belgici legatos ſuos, ex omnibus ſibi confœderatis Provinciis, in Angliam ablegant: qui magnificè excepti, in tutelam ac patrocinium, contra Hiſpaniæ regem, ſe ſe recipi petebant. Conſiliarij reginæ ad illorum partes prorſus quidem erant propenſi, multa tamen occurrebant, quæ rem ambiguam facerent: Regem admodum potentem eſſe Hiſpanum: Hugenotas Gallicos auxilia itidem flagitare, utriſque commodè ſuccurri vix poſſe. Vicit tandem tamen eorum authoritas, qui *Leoni Selandico ſtrenuè luctanti, eq; undis ſuis emergere cupienti* opem ferendam eſſe ſuadebant: id quod non ſine prægnantibus cauſis fieri, Apologiâ, initiò Octobris, in lucem emiſsâ declararunt. Quibus permota Eliza-

Elizabetha confœderatorum defenſionem ſuſcepit, acceptis in fidem maritimis aliquot urbibus, Uliſſingâ ſcilicet, Walacriæ oppido munitiſſimo, arce Rammekens, & Brilâ: quæ loca Anglico præſidio firmavit, tenore treta contractus 10. Auguſti cum legatis initi. Ad perennem hujus rei memoriam æneos nummos Zelandi in vulgus ſpargebant, formâ & Epigraphe ſupra delineatâ; *Richardus Dinothus. Petrus Opmeerus Amſtelrod. in op. chronographico.*

Digitized by Google

NUMMUS HONORARIUS

ROBERTI DUDLÆI LECESTRIÆ

Comitis, è Belgio in Angliam revertentis: cum paranetico Ordinum confœderatorum: cuſi, Anno Chriſti 1586.



ROBERTUM Dudlæum Comitem Leceſtrium, ab Eliſabethâ Angliæ Regina, ad moderandas urbes ſibi oppignoratas, in Belgium miſſum: honorificè ab incolis exceptum: donatum Gubernatoris Generalis (ægrè id ferente Reginâ) honore ac titulo, non eum latet, qui hiſtoriam Belgicam à limine, quod aiunt, ſalutavit. Cùm vero ſpei de ſe conceptæ non eum ad modum, quem animo Belgæ præceperant, ſatisfaceret, atque inſuper ad rationes de pecuniâ bellicâ, & nonnullis aliis reddendas poſceretur: non iniquè tulit, ſe in Angliam, ob res ibi turbatas, revocari. Diſcedens nummum hunc in auro diſtribuit amicis: in quo *cani fido ſeſe confert, qui ægrè à grege avellitur curæ cuſtodiæq; ſuæ commiſſo*: & ut conſtaret, quis ſuus ſit in Belgas animus, *non gregem ſe relinquere innuit, ſed ingratos, hoc eſt, parum agnoſcentes, quod brevi illo tempore, quo vixit in Belgio, diſciplinam militarem reſtaurarit: Duysburgum occuparit: cum Parmenſis exercitu feliciter dimicarit: valla ac propugnacula Zutphaniæ obſederit, ceperit*. Nummi inſequentis characteres ex hiſtoriâ ipsâ eruendi.




Certus

Certus jam eundi Leceſtrius, generalem quidem authoritatem provincias gubernandi, ordinum commiſit conſilio: ſed eam poſtea ita reſtrinxit atque coarctavit: ut ſibi, licet abſenti, in provinciarum, urbium & arcium præfectos, poteſtatem, multaque alia, quibus juri ac privilegiis Belgicorum Magiſtratuum plurimum derogaretur, reſervarit. Hinc igitur Belgæ Leceſteræi imperij vel pertæſi jam, vel ut ad eam, quam volebant, normam dirigeretur, cupidi, nummum hunc cudi fecerunt: in quo *monent, non ita amandam libertatem, ut amore eius nimis anxio incommoda accerſantur, jugo ſervili vel paria, vel etiam majora: curamq́, hanc ſedulò curandam, ne fumum fugientes flammam in ipſam decidant.* Id enim adagij de iis uſurpari ſolitum: qui minus malum evitaturi, in majus ſe conijciunt.

Meteranus. Author.

Digitized by Google

NVMMI CASTRENSES MAXIMILIANI ARCHIDVCIS AVſtriæ, & Sigismundi Sueciæ Principis, de Regno Poloniæ diſceptantium: cuſi, Anno Christi 1587.



STephano Bathoreo Poloniæ Rege mortuo, cum ordines Regni de novo Rege varia agitarent conſilia, &, poſt aliquot Compeditores excluſos, ſupereſſent Maximilianus Archidux, & Sigismundus Sueciæ Princeps, ille propter familiæ Auſtriacæ potentiam: cum præcipuis orbis terrarum Principibus propinquitatem: benignitatem animi atque comitatem multos habens fautores, ab una parte ſuffragantium, tam Polonorum, quam Lituanorum Rex legitimè renunciatur. Alij verò Auſtriaco nomini minus faventes, ſibi indulgentes, ſine tamen Lituanorum aſſenſu, citraque magnum ſenatorum numerum, & ordinis equeſtris ſcitum, Sigismundum Sueciæ Principem,

ex vetuſtâ Iagelloniâ ſtirpe ratione matris orto, regem proclamare non dubitarunt. Electi igitur Reges duo, uterque ſalutatus, & ad capeſſendum Regnum accitus. Maximilianum quidem priorem cum exercitu venientem cives, quià Sueco ſteterunt, recipere detrectarunt, & eruptionibus aliquot factis acerrimè conflictum eſt: variante utriusque partis fortunâ. Sueco autem Petricoviam appulſo, Maximilianus Cracovienſem obſidionem ſolvens, illuc, cum adverſario de ſumma rerum dimicaturus, movit: ſed hoſtium exercitum multò potentiorem intelligens, & quod in crebris cum Polonis & Suecis levioribus prœlijs magnum ſuorum numerum amiſiſſet, retrò ſe contulit, Cracoviam denuo, ſed fruſtra, tentavit. Interim ad famam Cancellarij Polonici cum lectiſſima duodecim millium manu Wielunum verſus proficiſcentis, Maximilianus cum copiis ſuis Bitſchenium, Brigenſis in Sileſia ditionis oppidum, ſe recepit, quorſum Cancellarius magnis itineribus contendens cum Auſtriacis pugnam conſeruit: Maximilianum Pitſchenij obſedit, oppidumque oppugnavit: quod cum Maximilianus propugnando tueri nequiret, ſe dedidit, inque Poloniam abductus eſt. Tandem causâ inter Sigiſmundum, & Archiducem à Pontificis & utriusque partis legatis Bithoniæ congregatis transactâ pax inter ſereniſſimam familiam Auſtriacam & Polonos, certis conditionibus, iterum coijt: Nummos cum aſpicio, arma eos (ut tempora illa ferebant) non pacem ſpectare video. *Poſitis caſtris, cum P. Helvio Pertinace Imp. Romano* MILITEMUS *inquit Archidux ſereniſſimus, quæq; iure ac legibus obtinere haud licet, vi ferroq; parare conemur.* Vt enim temerè in acie verſari, & cum hoſte confligere, immane quiddam, & beluarum ſimile eſt: ſic, qui non offendit, nec obſiſtit, ſi poteſt iniuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat. *Non abſimilis priori Sigiſmundi nummus eſt: Regis munus præcipuum ſtatuentis Regni jura & populi incolumitatem ſtricto enſe tueri. De fœmina in tertio; ſive ea Pallas, ſive Bellona eſt, quod certò pronunciem, non habeo. Jacobus Schrenck à Notzingen. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS TRIVMPHALIS
HENRICI NAVARRÆ REGIS, Victoriâ de Ioicuſio, Duce Exercitus Ligæ, partâ: cuſus, Anno Chriſti 1587.



SAnctæ Ligæ Pontificiæ duo ſumma erant capita: prius, Religionem unicam eamque Chatholicam conſervandam, contraque omnes hæreſes ſtrenuè defendendam: alterum, neminem è Principibus, quamvis ſanguine proximorum, niſi Catholicus fuerit, ad regni ſucceſſionem admittendum eſſe. His ſimilibusque rationibus moti Principes Catholici, totis viribus contendebant, eoque ſtudia ſua omnia dirigebant, ut caverent, ne Navarræus, ſed Carolus Borbonius eius patruus, ad regni gubernacula perveniret. Edicuntur huius rei comitia: in quibus articuli fœderis renovantur; & Carolus Borbonius Cardinalis primarius fœderis princeps; Lotharingus eius Vicarius; Dux Guiſius Imperator exercitus; Nemourius iunior Magiſter equitum levis armaturæ: Dux Mœnius equitum Præfectus, & Bironius Mareſcallus declaratur. Navarræus ſibi vim & iniuriam factum iri arbitratus, viciſſim neceſſariam ſui defenſionem ſuſcipit, & permiſſu Reginæ Angliæ; Principumque Germaniæ quorundam Proteſtantium; in ditione eorum aliquot equitum turmas colligit. Quæ in Alſatia eodem menſe Julio ad diribitionem & reliquum exercitum Helveticum magnis itineribus contendunt, pluresq; ibi hebdomadas commorantes, direptionibus, incendijs; ac cædibus graſſantur. Tandem iter ingrediuntur, viamque ſibi per Lotharingiam vi & virtute ſua aperiunt. Occurrit illis ad Moſellam hoſtis Guiſius, remoram eis, ne cum Navarræo coniungantur, iniecturus. Nuntio ad Navarræum delato, confeſtim, deſiderio excipiendi copias flagrans, advolat, & in itinere cum Duce Joicuſio veſtigijs ſuis à tergo ſemper inſiſtenre, ſeque ad prælium provocante, decimo Octobr. ad Contraſium dimicat, Victoria penes Navarræum fuit, Ioicuſio pereunte, & cum eo Claudio Fratre: multis Gallorum Principibus: gregariorum numero haud

haud exiguo. *Merito* itaque *inſperatam quaſi hanc victoriam Deo fert acceptum victor inclytus: ſic, inquiens, vincere certum, cum Dominus exercituum ipſe dimicat: cum arcus conterit: arma confringit: curſus igni comburit.*



Cæterùm, uti anceps plærumque & varia fortuna Martis eſt, ſic res lætas Navarræi mox triſtis caſus interturbavit. Interea namque Henricus Guiſius Germanico exercitui, qui magnis laboribus ac ſumptibus ad ferenda Navarræo ſubſidia collectus fuerat cum copijs ſuis obviam procedit ad Moſellam; eumque in oppido Aneau die 24. Novembris invadit, cædit, & in fugam compellit. Germani per Sabaudiam in patriam redeunt: ſed pauci, & omnium rerum egeni. *Ianſonius in Merc. Gallicobelgico. Author.*

NVMMVS DICATVS MEMORIÆ SIXTI V. PONTIF. MAX. SECUritate Italiæ, profligatis & extinctis Banditis, reſtitutâ: cuſus, Anno Chriſti 1587.



SIxto Quinto, cui prius Felici de Monte alto nomen erat, ſedem Pontificiam occupante, tantus eorum numerus Italiam inundaverat, quibus aquâ & igni interdictum fuerat (vulgò Banditas vocant) ut tutò iter facere nemini penè liceret, viis obſeſſis, crebriſque homicidijs defœdatis. Rem itaque ſe dignam facturum ratus Pontifex, ſi malo huic remedium adferret, Centuriones terra marique dimittit, qui illuvie iſtâ Italiam repurgarent: poteſtate ſimul factâ omnibus ac ſingulis ſubditorum in prædones huiusmodi ac piratas graſſandi: addito præmio cc Ducatorum, quod ſit numerandum ei, qui caput interfecti in pontem Caſtelli S. Angeli deponeret. Quin & edicto ſancivit, ſe præter pecuniam, quâ caput latronis præmiaretur, veniam inſuper & reditum ei Banditæ largiturum, qui alterius Banditæ caput ad ſe detuliſſet. Hic lupum vidiſſes lupo commiſſum, ac Vrſum Vrſo: dum quiſque & veniam culpæ ſuæ, & aurum venaretur. *Factum hâc Pontificis curâ ac providentiâ: ut peregrinanti, cum prius motæ, ad lunam arundinis umbram trepidaret, tutò nunc onus ſuum deponere liceret, ſuaviterq́ ſub quavis arbore ſomnum capere.*

Author.

Digitized by Google

NVMMI SOCIALES ARGENTINÆ, TIGURI, ET BERnæ civitatum inter ſe confœderatarum: Cuſi Anno Chriſti 1588.



FOedere, quod Anno Chriſti 1530. tres inter ſe pepigerant Reſpublicæ, Argentinenſis, Tigurina, & Bernenſis, id agebatur: ut ſua cuique libertas ſalva maneret, quæque ex his per vim hoſtilem durius aliquid pateretur, reliquarum parata haberet auxilia. Etſi vero ab eo usque tempore nihil interveniſſet vel diffidentiæ, vel querelarum; pactis conventis ritè ſervatis: attamen cauſæ nõnullæ erant, cur hoc anno fœdus illud renovandũ, noviſq; aliquot legibus ſtabiliẽdũ videretur. Fortè & illa: quod crebræ ſub id tẽporis in Alſatiam Gallorum fierẽt excurſiones: Hiſpanus etiam cum Pontificiæ religionis Helvetijs ſocietatem iniſſe diceretur. Miſſi itaque Argentinam Caſparus Thomas Conſul Tigurinus, & Antonius Gaſſer Bernenſium vexillifer, cum decenti plurium Senatorum comitatu; ut Superiorum ſuorum nomine fœderis revocati pa-

cta iurejurando confirmarent. Argentinâ viciſſim in Helvetiam ablegati fuerunt, Johannes Philippus à Kettenheim Prætor: Nicolaus Fuchs Conſul: Joh. Fridericus Brechter, & Matthias à Gottesheim, è Tredecim & Quindecim virorum ordine: è numero Scabinorum Gothefridus ab Hohenburg/ & Laurentius à Buſſenheim: quibus ut humanitatem ac benevolentiam ſuis exhibitam, quovis ſtudij, honoris, officij, comitatis genere Tigurini ac Bernates compenſarent nihil fecerunt reliqui. *In rei etiam hujus memoriam nummi ſunt percuſſi, quos hic ſpectandos exhibemus. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS DICATVS MEMORIÆ CUM DUOBUS ICONICIS LUdovici & Friderici Ducum Wirtenbergicorum: hi antè & poſt Annum Chriſti 1588. ille eo ipſo Anno cuſus.



CUm Evangelici Principes monendum Henricum III. Galliæ Regem cenſerent: ne, à Guiſio aliisque confœderatis ſeductus, permitteret, ut minus iis ſub conditionibus viverent reformatæ religionis homines, quas paulò prius ultrò ipſis largitus fuerat: placuit iſtud legationis munus demandare Friderico Comiti Wirtembergico & Mompelgardenſi: qui in Gallias, cum ſplendidiſſimo comitatu profectus, quo ſolicitius expedivit ea, quæ curæ ſuæ fideique erant concredita: eo majus odium Borbonij, Guiſij, Mœnij, aliorumque in ſe concitavit. Guiſius, profectò, ut vindictæ aliquatenus igniculos reſtingueret, Anno hoc 1588. in comitatum Monti belgardenſem magno cum exercitu irruit: irruptioni hoc prætendens ſiparium, quod Equitum Navarræorum pulſas è Gallia reliquias, perſequeretur. Sævitum miſerè à milite in oppidanos, inopemque ruſticorum plebeculam: ſtupratæ in conſpectu ſuorum uxores ac liberi; pecora partim abacta: partim pe-

dibus amputatis mutilata: direpta ſupellex: concrematæ villæ ac pagi: quæſitum aurum in refoſſis defunctorum ſepulchris: nihil non patratum, quod hoſti acerbiſſimo barbarorum aliquis faceret. Quin & oppidum ipsũ hoſtis iam tentaverat: verùm tormentis ſtrenuè repulſus, & quod Principem Wirtembergicum, Comitesque Palatinos iam in armis eſſe audiret: reducto milite ad obſidionem arcis Jamais ſe convertit. *Schemati ſuo gentilitio ſententiam magnificam adijcit Ludovicus: quo & Stoicorum damnat fatum, qui neceſſariò cuncta fieri contendebant: & Epicureorum reprobat ſecuritatem: qui temerè ferri quæq. putabant, in tanto rerũ ordine: & ſapientum ſeculi huius infringit ſolertiam: qui ſua non raro divinis prævalere volunt conſilia.* Certè quantò Deus ſapientiâ ſuâ ac potentiâ anteſtat omnibus: tantò confidentius in eum ſpes tuas colloca: tanto humilius beneficia agnoſce: tantò æquius adverſa perfer ac tolera. *Sed & Principum decus Fridericus Draconem tibi exhibet tranſfixo gutture, & jamjam animum exhalaturum, cum lemmate:* INSPERATUM. *Gratulatur ſibi Heros de hoſte ſublato fractoq. majore vi, quàm humanâ. Quem deſignet, me latet: id neminem latere poteſt, pie factum quod non tam ſibi quàm Deo hanc aſſcribit hiſtoriam Author.*

NVMMVS CASTRENSIS

CUSUS ARCE JAMAIS A CARO-lo Duce Lotharingiæ obſeſſâ: Anno Chriſti 1588.



AB Agro Montisbelgardico ad obſidionem arcis Jamais (quæ Bullionæos Dominos agnoſcit) ſe convertit Carolus, Dux Lotharingiæ. Cum verò arx validiſſimo præſidio munita eſſet, & præſidiarij crebris excurſionibus ac velitationibus obſidentes laceſſerent, factum ut aliquot Lotharingorum millia in ea obſidione perierint. Ex quotidianis inſuper tormentorum exploſionibus arcis mœnia ita conquaſſabantur, ut ex ruinis præſentiſſimum periculum, cũ undique ab hoſtibus premerentur, obſeſſis immineret: donec Schelandræus tandem arcis Præfectus ſe ſuoſque non ſolum commeatus penuriâ laborare: verum etiam omni ſubſidio deſtitutum videns; arcem Marchioni Pontano Lotharingiæ Ducis filio ſeniori circa finem menſis Julij Anni 1589. his conditionibus tradit: ut obſeſſis liber cum omni ſupellectile, exceptis munitionibus diſceſſus permitteretur. Sperabat quidem Præfectus à Navarræo Rege auxilium: cum verò is proprijs rebus diſtineretur, non aliò vires conferre poterat, quibus ipſe indigeret. *Chronicon Gall. incerti Authoris.*

NUMMUS MONITORIUS
CVM HONORARIO, CONFOEderatorum Belgij Ordinum: cuſi ante claſſem Hiſpanicam in Anglia deletam: Anno Chriſti 1588.



CUM Regina Angliæ, præter arces & oppida, quæ ex prima cum Holandis conventione acceperat, nonnulla loca alia præſidiis munienda curaret, non id ferendum putarunt Ambſtelrodamum, Leyda, Delphtum, & civitates his vicinæ: metuentes, ne quod Antuerpiæ Alentzonius, idem Angli apud ſe molirentur. Mauritius inſuper graviter conquerebatur, ſibi & domui Naſſovicæ maximum in proventibus urbium patrimonialium damnum dari: ſeque inhumaniter admodum ac iniquè apud Reginam delatum eſſe, quaſi præſidium Anglicum Uliſſingâ expellere conatus fuerit: petens pro his injuriis honeſtâ ratione ſibi ſatisfieri, & quicquid detrimenti cœpiſſet, ſarciri. Anglam, ne ab Ordinum & Mauricij poſtulatis voluntatem ſuam abjungeret, hac quidem periculum movebat, quod ſibi à claſſe Hiſpanica, propediem anchoras ſoluturâ, immineret: illac conſilium prudens nummi charactere datum, quem eâ tempeſtate Holandi percuſſerant. *Frangimur, clamant ollæ fluctibus marinis agitatæ, ſi collidimur. Frangimur & nos, ô Regina, clamant*

Digitized by Google

mant Belgæ, ſi animis diſſidemus: præda Hiſpano, cui armis iunctis pares, aut etiam ſuperiores eſſe quimus, obiicimur. Vt igitur bos bovem in arando non ſtudet anteververtere: ſed pari paſſu cum ſocio ambulat: ſic mutuâ armorum conſiliorumque coniunctione, libertati utrinque ſervandæ, patriæ tutandæ, incumbamus. Mota his Regina perquam amanter reſpondet Mauricio: diſertè profeſſa, nullo ſe modo approbare aut ratas habere prætentiones, quas Angli, aut milites alij, ſub nomine ſui ſervitij, protuliſſent, ut motæ ſeditionis prætextum aliquem haberent. Agebatur eodem tempore de vocando Leceſtrio: ſed is iam fatis conceſſerat: unde Holandi belli molem atque Imperium totum ad Mauricium deferunt, in laudem Patris & Auorum magis quotidiè, magisque aſſurgentem: eundemque Marchionatus Vehræ titulo condècorant. *Juncta gentis Naſſoviæ arma cum Marchionatus prædicti ſignis ac titulis, Nodum faciunt indiſſolubilem*: nec non

Paratas auget opes felix concordia; magnas
ceu diſſipat diſcordia.
Meteranus. Author.

NVMMVS TRIVMPHALIS REGINÆ ANGLIÆ, ET STATUUM Belgiæ Confœderatorum claſſe Hiſpanicâ ſuperatâ ſubmerſâ: Cuſus Anno Chriſti 1588.



PHILIPPUM Hiſpaniarum Regem tædium iam pridem fatigabat diuturni, parumque felicis belli, quod tot annis labentibus adverſus Belgas geſſerat; illud etiam uſu edoctus ſecum reputabat, perexiguam ſibi ſpem oſtendi fore: ut unquam vi bellicâ domiti ad veteres dominos redeāt, quamdiu unionem inter ſe, & pacta fœdera cum vicinis proceribus, maximè verò Angliæ Reginâ, sācta inviolataq; conſervarent. Hinc conſilio inito placuit uno eodemq; prœlio de rei ſumma decertare. Ingentē itaq; Claſſem navibus undiq; petitis adornat, totumq; triennium in eâ inſtruendâ conſumit. Conſtabat ea centum & triginta navibus militaribus, ad quamvis & vim, & contumeliam ferendam paratis. Summum Imperium Alphonſo Pereſio Medinæ Sidoniæ Duci, à Rege delatum: Admiralis Joannes Martinus Recaldus Cantaber renunciatus fuerat. Hâc ergò mole univerſam Angliam obruere, milite in continentem poſito, & Farneſianis copiis augendo, Rex cogitabat. Inſtruxerat viciſſim Regina plurium navium, quas ſuis partim finibus, partim ex Holandiâ Zelandiâque acceperat, claſſem: ſed mole ſua imparem illi, aptitudine tamen loci, tempeſtatibusque Oceani ſuperiorem. Præerat huic Carolus Howardus Baro, & Franciſcus Dracus: qui, claſſem in duo cornua dividentes, Regias naves magnâ aviditate expectabant; quæ ubi cōvenerunt, Prætoria D C C. doliorum capax & L X I I. machinis æneis bipartito ordine munita, dum ſuo robore freta à reliquis ſeiungitur, hoſtibus præda, & ſubſecuturæ victoriæ omen fuit. Die poſtero, qui primus Auguſti fuit, tanta tranquillitas maris extiit, ut ſe loco movere non poſſent quare die altero, dum ventus eſſet intenſior, hoſtem Angli antevertunt, naveſq; ſuas

Digitized by Google

ſuas equorum inſtar circum rotantes, dum nullo negotio tormentorum pulſu, nunc dextrum, nunc lævum Hiſpanorum latus concutiunt, plurima eis damna inferunt. Nihilominus claſſis Regia, flante Favonio in Caleti portu, quoad promiſſas Farneſius copias ſubmitteret (quæ partim adverſis ventis, partim Zelandicæ claſſis, ad portum Flandriæ excubantis metu, adeſſe non poterant) commorari fixis anchoris conſtituit. Hæc in itinere velitationibus ab Architalaſſo Angliæ ſalutatur: cui una cura erat, antennas malosque perrumpere, carinas tormentorum eiaculatione findere, nautarumque miniſteria turbare. Quin, cum viribus ægrius poſſet, actu ſubvenit. Dum namq; Sidoniæ Dux in Caletano portu conſtitiſſet cũ univerſâ penè claſſe, Dracus intempeſtâ nocte, octo navigia maiora, pice, reſinâ & ſulphure illivit, uncisque ac hamis ferreis inſtruxit: quæ valido aſpirante vento accendit, & in claſſem fundo affixam immiſit. Turbati Hiſpani ac veriti, ne & naves ſuæ flammam conciperent, fugâ ſalutem petere contenderunt, ricisiſque rudentibus navem in eam partem quo ventus ferebat converterunt. Tum mare acrius concitatum fluctus ciêre, & inter ſe navigia collidere. Jamque ſcindi cæperant vincula, quibus connexæ Galeones fuerant, ruereque carinæ, & cum ingenti fragore in profundum Regias opes militemque ſecum trahere. In oculis duo navigia omnium maiora ſubmerſa ſunt: quædam in vada expulſa immobilia ſubſtitêre, mox præda futura hoſti: gubernaculi aliud impatiens vi tempeſtatis Brielam iactatum, in manus Holandorum pervenit. Reliqua claſſis turbatis nautarum militumque officijs, Africo dies aliquot continuos flante, ad extremæ Daniæ & Norvegiæ fines propulſa, tandem multis denuò navibus ad Hiberniæ littora amiſſis, in Hiſpaniam ſine gloria redijt. *Victoriâ inſigni adeo memorandâq; partâ cum primis victores Angli gratias agunt Deo, qui ſolus magnus: ſolus magna facit: ſolus diu meditata hominum conſilia, auſusq; minaces*

Perdit repente funditus:
Adeps opima ut victima
Vaneſcit in fumos leves.

Laurentius Beyerlinck. Author.

Digitized by Google

NVMMI MEMORIÆ SACRI HENRICI III. GALLIARUM ET Poloniæ Regis: & Henrici Regis Navarræi, cuſi Duce Mayno, cum ſociis, regnum turbante, Anno Christi 1589.



VT Henricus III. Rex Galliarum, in comitijs Bleſſenſibus, Henricum & Ludovicum Guiſios, cùm quod non tantum regnum turbarent, ſed etiam in Regis vitam conſpirarent, è medio tolli curarit, fuſius commemorant, quorum, in rebus geſtis poſteritati transmittendis labor conſumitur. Sublatis hisce Pontificiæ Ligæ confœderati undiquaque fremere atque indignari: plerique Proceres ac Civitates deficere: Meynium caput ac ducem belli contra Regem deſignare. Sed neque Rex commodis ſuis deeſt: complura loca ſibi infeſta recuperat: Fœderatorum copias, quarum Duces Briſaacus, Covetius, Eſcaſſonius, Tubeffus, ad Faloizam multis trucidatis, captis plurimis, diſſipat. Cum verò Pariſienſes quoque, Aureliani, Lugdunenſes fidem Regi datam fregiſſent, ante omnia Ducem Maynium, & Anmelium fratres patrueles publicè proſcribit, bonis eorum fiſco adiudicatis: urbes verò à rebellione ad obedientiam ſcriptis publicis revocat. Redire ad officium recuſantibus de adaugendis viribus ſuis Rex cogitat ſolicitè, præterque opinionem multorum cum Henrico Rege Navarræo (cuius fidem probè jam cognoverat) inducias ac fœdus init.

Digitized by Google



Navarræus eâ conditione oblatam à Rege pacem accipit: ut libera ſit religio utraque ijs in locis, quæ iam antè Evangelium acceperant, usque ad Synodum. Dum hoc modo junctis viribus rebelles invadunt, & iam ad obſidendas Lutetias Pariſiorum propius accedunt, ecce à monacho quodam Jacobino Rex confoditur, cum paulò ante obitum Henricum Navarræū ſororium ſuum, regni hæredem ac ſucceſſorem legitimum deſignaſſet. *Quod in nummo ſuperiore, totum allegoricè accipiendum eſt.* Etſi enim ſalutem publicam unicè curæ ſibi cordique eſſe Henricus oſtenderet: etſi non verbis ſaltem, ſed re factoque declararet ſuum, in religionem catholicam, animum conſtantem & integrum: etſi Ligæ ſanctæ caput ſe profiteretur, Guiſium legatum ſuum faceret: eſi Hugonotos ab omnibus officiis publicis removeret, commeatum jis ſalvum denegaret: etſi (quod duriſſimum erat) omnes miniſtros Evangelicos, intra menſis unius ſpatium regno exire iuberet: *non tamen ſolem hunc lucemq. præſentem agnoverunt duo Veſpertiliones, qui Regi vel duo fuêre Guiſij*, ut multi autumant: *vel confœderati omnes, Regis imperium excutientes. Henrici Navarræi Numiſma* (plura ſequentibus annis monſtrabuntur) *quî rectius explicem, quam aureolo illo Maximiliani Primi Imp. diſticho?*

Ich bin ein Mann / wie ein anderer Mann /
Ohn das mir Gott die Ehre ghan.

Author ex Chron. Gallico.

Digitized by Google

NVMMI TRIVMPHALES CAROLI EMANUELIS DUCIS Sabaudiæ, Marchionatu Saluzenſi ſuam in poteſtatem redacto: cuſi Anno Chriſti 1588.







CUm cauſas iuſtas habere ſe putaret Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ, ob quas Marchionatum Salutzenſem à Rege Galliæ repeteret, non opportunitati indormiendum eſſe exiſtimavit, quæ ſibi, per res Galliæ tum temporis admodum turbatas, & Guiſijs magis, quam Rege imperante, offerretur. Cum exercitu itaque in Marchionatum prædictum movet: capit Carmagniolam Galliæ armamentariũ Tramontanum: Rauelâ, cum alijs locis, vi partim, partim corruptis præſidiariis, potitur. De iure dominij diſceptatum diu inter utrumque magnatem fuit: quæſitum Pontificis arbitrium: qui ſuſpenſâ ſententiâ, cum Regis, tum Ducis offenſionem ſtudet effugere. Bello tandem reperitur hic Marchionatus ab Henrico IV. ut è ſeculo inſequẽti patebit. *Video in nummo* OPPORTUNE *iaculantem Centaurum, qui Sagittarij inter aſtra ſignum refert. Apodoſin Lector Benevolus ex Hiſtoriâ ipſâ petat. Chron. Gallicum.*

Author.

Digitized by Google

NUMMUS ICONICUS
CVM TRIVMPHALI CAROLI DVcis Lotharingiæ: quorum hic cuſus fuit diſſipatis Navarræi copiis auxiliaribus. Anno Chriſti 1589.



HEnricus Navarræus, legitimus Regni Gallici Heres nuncupatus, mirùm, quam fœdum, quamque inquietum tempeſtatibus regnum ſuſceperit: quâ vi, quibus machinis, domeſticis pariter & externis, fuerit exagitatus. Ille viciſſim gubernatoris vicem induens, ſciſſo velo ruptisque antemnis navigantis, animo non frangitur: diſtibuit per Provincias quem ſecum habebat militem: Maynio viribus longè impar, nullatenus cedit: conquirit interim ſolicitè auxilia: ſed magnâ eorum parte fruſtratur. Quas enim equitum peditumque copias conſcribi in Germania per Sanſeium curaverat, Dux Lotharingiæ Carolus inter Benfeldam & Marckolsheimium aſſequitur: ſecurosque periculorum, nec hoſtile quicquam metuentes cædit, profligat, diſſipat: paucis exceptis, qui iuxta Baſilæam iter ſuum inſtituerant. Mitior longè tamen in milites Dux ipſe cum ſuis fuit, tribus eorum vexillis in fidem ſuam receptis, quam ad Rehnum & Ellam habitantes ruſtici: qui miſerè in pedites diſperſos ac palantes ſævierunt: hos quidem trucitando: illos aquis ſubmergendo. Dux, ut victoriam perſequeretur, in Burgundiam cum exercitu movit. *In nummo*, qui paulò ante hoc tempus cuſus fuerat, *quid manus exerta deſignat: quid gladius vaginâ vacuus: quid circumducta epigra-*

gra-

phe? Non futurum, innuit Princeps Carolus, *ut in ſe aut ſuis ſpes illa gloriaq; expiret, quam ſibi militari virtute gentis ſuæ, Simones, Mathai, Rudolffi pepererunt: Friderici, Caroli, Iohannes adauxerunt: Nicolai, Renati, Antonij, Franciſci conſummarunt. In altero nummo cauſam belli iuſtam & æquam Caput Bonæſpei eſſe innuit, quod Principem ducat ad terras Triumphales.*

Merc. Gallicobelg. Author.

NVMMVS TRIVMPHALIS CUSUS BREDANA ARCE ATQUE URBE à Mauritio, ſtratagemate captis: Anno Chriſti 1590.



HEros Mauritius, cum de recuperandâ urbe Bredâ, ad avitum patrimonium ſuum ſpectante, ſolicitiùs cogitaret, ſtratagemate id potius, quàm apertâ oppugnatione tentandum eſſe, ſtatuit. Profectus ſub finem Februarij, cum Comite Holachio, & exercitu Sevenbergam, Montes Gertrudis obſidere ſe velle ſimulat: & iam hic rumor vicina loca pervaſerat, fore, ut urbs ea obſidione cingatur. Gubernator urbis Bredanæ eò profectus, omnia ad defenſionem præparat: id quod peropportunè accidit Naſſovio, qui abſente Gubernatore conſilium ſuum maturandum eſſe duxit. Erat nauta quidam, qui ceſpites (quibus nutriendis ignibus utuntur) ex more in arcem Bredanam advehere ſolebat, cum quo ita egit Naſſovius, ut navis ipſius tecto depreſſo tegeretur, ad milites 70. recipiendos: eidem deinde ceſpites arefacti, in formam laterum, ordine & altè imponerentur: militum præfectus eſſet Carolus Heraugirius, vir nobilis & bello acer. Nauta, vento contrario repulſus, biduo tardius Bredam veniebat, quam ſperabatur: tertio demum die ſub veſperam in arcem navem ſubvehens. Hyems quia aſpera erat, ceſpitibusque in arce egerent, ſtatim navem exonerare cæperunt præſidiarij, usque dum nox immineret, ceſpitibus reſiduis in navi relictis. Quin & nauta ſe ex itinere defeſſum dicens, iubebat ut tantum ſumerent ceſpitum, quantum eâ nocte in excubiis, ſuisque ſtationibus egerent: reliquum poſtridiè exportarent. Conſilium namque nautæ erat, hoc modo baiulos removere, ne exoneratâ penitus navi fraus detegeretur. Militibus, qui ſub ceſpitibus latitantes, ubi gentium eſſent, ignorabant, præfectus conſilium ſtratagematis exponit, & ut ſe viros præberent exhortatur: Eſſe namque eos in loco ubi ante auroram inſignem pararent victoriam, prædamque opulentiſſimam reportarent. Profundâ nocte, cum præſidiarij omnes exceptis ſolitis excubiis, altum ſterterent, milites navi egreſſi, facili negotio, paucisque deſideratis, omnes vigilum ſtationes occupant, toto paulo poſt caſtro in poteſtatem ſuam redacto. Cum inſuper Naſſovio & Holachio ſignum, de quo

inter ipſos convenerat, daretur, extemplò ſubſidia venêre. Holachius primo ſumma celeritate advolat, cum Naſſovius ſequitur, & per poſticum in arcem intromittitur. Eruptione deinde in urbem factâ, Itali qui in ea erant, improviſâ arcis occupatione territi, non expectatâ pugnâ, turpiterque urbe relictâ aufugiunt: cives certis conditionibus Naſſovio ſe dedunt, quibus mulcta pecuniaria, ad ſolutionem militum, imperatâ eſt. *In nummi præfixi anticâ milites exhibentur è naviſuâ, quodam quaſi Equo Trojano, in continentem proſilientes: poſticâ facinoris elogium continetur. Merc. Gallicobelg. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS TRIVMPHALIS

HENRICI IIII. GALLIARUM RE-gis, cuſus poſt victoriam propè pagum Ivry partam: cum effigie Caroli Ducis Maynij: Anno Chriſti 1590.



HENRICO Galliarum & Navarræ Regi ſatis feliciter belli alea, ſub anni huius initium, ceciderat. Deducto namque ex hybernis milite in Normanniam pervenit, occupatiſque Provinciæ illius pleriſque oppidis non niſi Rothomagum pertinacius reſiſtens habuit: vice verſâ Dux Maynius, cum & ſuo, & fœderis nomine Farneſium obteſtari non ceſſaret, promiſſa ante hac ſubſidia maturaret: paratas prœlio copias ſub imperio Philippi Comitis Egmōdani, eò procedere iuſſit. His cum ſuas Maynius iunxiſſet, ad Navarræi caſtra, quæ tunc circa Druidum Normanniæ urbem habebat, magnis itineribus contendit. Quod dum cognoviſſent Regij fortunam pugnæ experiri ſtatuunt, priusquā omnes confœderatorum vires coirent. Navarræus ſigna canere, clamorem tolli, ac pedites primum, deinde equites, quanto maximo poſſent impetu, in hoſtem irrumpere jubet. Fit atrox pugna, cadunt utrinque multi, laxatæque machinæ, multum terroris tumultusque in Maynij caſtra inferunt, mediamque aciem dividunt. Fquitatus Domini de Sautes, Comitis Egmondani, & album Maynij vexillum, fortiter pugnarunt, ſed tandem cum Egmondano, qui Regis perſonam aggreſſus fuerat, cæſi ſunt fugatique. Peditatus quoque trucidatus, captus, & in fugam actus. Deſiderati ſunt è confœderatis Egmondanus, Chaſtinezaijus, Dar-

conaquius, Caveronius Bonderfautius: captus Boisdalphinius Maynius, hâc acceptà clade, Lutetiam fugiens ad renovandum bellum vires reparabat. Rex vero memorabili hâc potitus victoriâ Melodunum etiã occupat: Druitium, quod Gubernatorem regium eiecerat, expugnat. *In nummo cœlitus palma demittuntur, victoria Symbolum, cum lemmate: Omnis victoria à Domino. Sic namq́, & tu Machabae fortiſſime extendis manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocans, & prout ipſi placet, dantem dignis victoriam. Non tu itidem Aiax Oilei: qui à patre admonitus, ut cum auxilio Deorum hoſtes vinceres, ignavos, reſpondiſti, ope divinâ indigere: te verò etiam abſq; eâ victoriam & gloriam reportaturum. Laurent. Beyerlinck. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS MEMORIÆ DICATVS

STATUUM CONFOEDERATO-rum Provinciarum Belgij: cuſus in teſtimonium benevoli, erga Imperium, animi: Anno Chriſti 1590.



CUm aliquot annis tam Regis, quam ordinum milites, continuis excurſionibus ſuis Principum vicinorum Provincias eſſent depopulati, circulus Weſtphaliæ, & inferiorum Provinciarum, multum apud Imperij Principes de hâc injuriâ conqueſtus fuit. Quare initio Junij conventus habitus eſt Coloniæ: ſed nihil concluſum, niſi Imperij principes, maximè vero Electorem Moguntinenſem rogandum: ut conventum in aliqua Civitatum Imperialium indicere velit. Morâ, dum id fieret, non exiguâ intercurrente Moguntinus, Palatinus, Juliacenſis, & Weſtphali cum cæteris inferioris Rheni Principibus, legatos ſuos Bruxellas primò ad Parmenſem, deinde ad Ordines Belgicos miſerunt: qui in Holandiam venientes, & ad colloquium admiſſi, quod in mandatis haberent, expoſuerunt. Principes namque ſuos pro veteri amicitiâ petere, ut utraque pars, tam Rex, quam ordines reddant oppida, arces, & propugnacula, quæ in Rheni utraque ripâ, & in ſolo Imperii Romani ſubdito, vel occuparant hactenus, vel ipſi extruxerant. Imperium enim quotidianis præſidiariorum excurſionibus damna cladesque intolerandas accipere. Ad hæc Ordines reſponderunt (de Parmenſis quippe reſponſo non ſatis conſtat) quod licet durante hoc bello digna indignaque perpeſſi ſint, ſibi tamen priſtina illa indoles, & innata bonitas remanſerit, ut nihil ſibi gratius atque antiquius ſit, quam cum vicinis Principibus amicitiam colere. Hinc valdè moleſtum eſſe ordinibus, ſe malè audire & inſimulari, quaſi ſint ij, qui pacem tranquillitatemq; priſtinam turbarint: cum nō niſi extrema neceſſitate compulſi arma, ſumpſerint. Se inſuper neque occaſiones ullas dediſſe, neque mandaſſe, neque permiſiſſe, ut vicinorum Principum regiones à ſuis infeſtarentur: contrarium enim & mandata publica, & de prævaricatoribus ſumpta teſtari ſupplicia. Hoſtes autem ſuos Hiſpanos diverſis locis Imperio ſubditis ad Rhenum oppida & munitiones occupaſſe, & adhuc occupare: non ut ſe defendant,

ſed ut pomeria ſua proferant. Tandem concludentes addebant, ſe paratos eſſe ad loca omnia, quæ in Imperiali ſolo occuparent, & hoſtibus ſuis extorquere adhuc poſſent, legitimo ſuo Domino reſtituenda, ut antiquum cum vicinis ſuis Germanis fœdus, priſtinaque amicitia confirmari atque augeri queat. Cæterùm, quod ad ſui purgationem aſſumpſerant Belgæ, *Juſtum eſſe bellum, quibus neceſſarium: & pia arma, quibus nulla niſi in armis ſpes relinquitur:* id innummo quoque paulò ante eam legationem percuſſo, extare voluerunt. *Vt* enim *liber religionis eſt ſymbolum: pileus libertatis, manus ſex provinciarum Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ, Tranſiſulanæ & Ultraiectenſis: ſic ſagittæ complicatæ conſenſum concordiamq́ denotant. Quid verò pulchrius, quam religione niti: libertatem tueri: ſociatas in periculo manus iungere: nec tamen viribus ſuis, ſed præpotentis Dei auxilio confidere?*

Mercur. Gallicobelg. Author.

Digitized by Google

NVMMVS DICATVS MEMORIÆ CVM TRIVMPHALI, STATVVM Vnitarum Provinciarum Belgij: cuſi partim, Legatis Cæſareis petentibus, ut pacem cum Hiſpano ineant: partim, Oppidis aliquot in poteſtatem ſuam redactis: Anno Chriſti 1591.





RUdolphus II. Imp. ac Princeps pacis amantiſſimus, in parte curarum ſuarum haud infimâ poſuerat, quo pacto Belgicas Provincias cum Rege ſuo reconciliaret: unde, quam Anno 1578. compoſitionem, ſed conatu irrito ſuſceperat, cum bono Deo rurſus tentandam eſſe putavit. Sub finem itaque Anni ſuperioris Legatos in Holandiam miſerat, qui mentem ſuam Ordinibus declararent, eosq; ad pacem, tranquillitatem, nec non reſtitutionem munitionum, in Imperio occupatarum, hortarentur. Ordines poſtquam audiſſent Legatos, multa, quo ad reſtitutionem munitionum, in medium adferunt: hoſtibus ſe eas ſuis & quidem impenſis non exiguis ademiſſes: facere ad defenſionem ſui: neque Hiſpanum, quæ in Imperio tenet, relicturum. Tandem tamen ſpem aliquam faciunt, ſe eas aut Imperio, aut legitimis Dominis reſtituturos. Inſuper Cæſaream Majeſtatem ſe rogare, ne deinceps fruſtraneo labore defatigare ſeſe velit. Pacem ſe habere: aliam cum Hiſpano inire, Reipublicæ non fore ſalutare. Neque ſe de pace agere ſalvo honore, ſalvâq; conſcientiâ poſſe, niſi fortè & vicinis, & amicis omnibus fabula eſſe velint.

Vulgus

Digitized by Google

Vulgus amabili pacis nomine poſſe decipi, ut exoptet Id, cujus pernitioſum exitum ignorat. Compertum jam ſatis eſſe præcedentibus de pace colloquiis, nunquam Hiſpanos ſynceram pacem obtaviſſe: ſed omnes eiusmodi negotiationes dolo & inſidiis plenas fuiſſe. Literas quoque Regis Hiſpaniarum ad Legatum ſuum Guilhelmum de S. Clemente, in aulâ Cæſaris nunc degentem, miſſas, & interceptas manifeſtè ſatis demonſtrare, illum non veram, ſed fictam: non perpetuam ſed citò violandam pacem aucupari. His potiſſimum argumentis freti, Ordines pacis oblationem repudiantes nummum percuſſerunt, qui non inelegans. *Sedet in ſepi viminea Virgo Batava: ſecura: periculi expers: armis nudata: ſuaviter ſomnum capiens. Hic* PAX PATET INSIDIIS: *fracto repagulo confertim hoſtes inſiliunt: incautam opprimunt. Rurſus in ſæpi reſidet viminea Virgo Batava, quantum homo poteſt excubans: circumſpecta: ſobria: gladio inſtructa: vigilibus ſepta: præſidiariis cincta. Hic* TUTA SALUS BELLO EST: *clauſo repagulo vel nullæ apparent, vel fractæ hoſtium machinationes: paucisq; vigilantibus reliqui ſorbent dormientes* (cum Plauto ut loquar) *& magnum naſo clamant.* Optimus interim Cæſar non deſtitit, authoritate quoque aliorum Principum negotium pacis urgere: quam ob cauſam Dominum Reitium, cui Legationem hanc dederat, tam diu in aulâ detinuit, usque dum naturæ debitum perſolveret. Belgæ viciſſim rerum ſuarum ſatagentes hoſti indies ſe magis magisque reddunt formidabiles: dum Daventriam, Zutphaniam, Hulſtum, Noviomagum recipiunt: caſtella plura alia forti manu capiunt. *Merc. Gallic. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS VOTIVUS CREGORII XIIII PONT. CUSUS FRANCIſco Sfrondatio contra Regem Galliæ cum copijs miſſo: Anno Chriſti 1591.



CUM nova Henrico IV. Galliæ & Navarræ Regi auxilia ex Anglia pariter atque Gallia ſubmitterentur: non vice verſâ deſerendum Maynium cæteroſque Sanctæ Ligæ aſſeclas cenſuit Gregorius XIIII: Vrbano VII. paulo ante nominatus ſucceſſor. Primo itaque Italorum Helvetiorumque millia ſex: cataphractos equites mille quingentos in Galliam mittit: ſummum iis Ducem præficiens Comitem Franciſcum Sfrondatium, ſuum ex fratre nepotem: additis ei conſiliarijs Marchione Corniæ, Virginio Vrſino & Octavio Cæſio. Deinde vero Marcellum Landrianum ablegat bullis novis literiſque monitorialibus inſtructum, quibus Principes & alios hortatur, ne Henrico Borbonio hæretico, & coronæ regni geſtandæ inhabili atq; incapaci deinceps adhæreant, vel quoquo modo faveant. *Cernis ut in nummo Pontifex nepoti ſuo vexillum Eccleſiæ tradit: deq; re benè gerenda admonitum cum benedictione prolixâ à ſe dimittiit. Author.*

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS ALEXANDRI FARNESII PARMAE DUCIS:

Hiſpaniarum Regis in Belgio Gubernatoris: cuſus (uti videtur) captâ Gaudebeckâ in Gallia: Anno Chriſti 1592.



NUmmum hunc ab inclyto Duce Parmenſi cuſum fuiſſe conijcio (ſi erro, errori veniam dari peto) cum alterâ vice è Belgio in Galliam accerſitus, Gaudebeckam obſedit ac cæpit. Submittebat namque aliquoties Rhotomagenſibus militem & commeatū, ſed non eâ quantitate, ut urbi tam populoſæ ſufficeret. Non enim terreſtri itinere, ſed navigijs commeatus in urbem inferendus erat: id vero quo minus commodè fieri poſſet, Gaudebecka, portum gratiæ & Rothomagum interiacens, quod à Navarræi milite occupabatur, impediebat. Neceſſum igitur erat, ut Parmenſis hoc oppidum expugnaret. Obſeſſum, diſpoſitisque machinis contentione maximâ oppugnatum, in ius poteſtatemque confœderatorum venit. Navarræus Argevillæo movit, ut obſeſſis ſubveniret: ſed cum in itinere eſſet, Gaudebeckam hoſti iam deditam ex ſuis cognovit. *Caballo inſidens Dux laudatiſſimus ad pugnam, ut vides, paratus eſt: memor vero imbecillitatis humanæ Deum in auxilium contra hoſtes ſuos vocat.* Piè omnino ſapienterque. cui enim Rex ille Regum, & Dominus exercituum militat, ei, ſicuti olim pro Theodoſio, totus etiam

——————*Militat æther:*
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Hiſtoria Gallico-belgica. Author.

NUMMUS MISSILIS IN FESTIVITATE NUPTIALI SIGISMUNdi tertij, Poloniæ Regis; & Annæ Auſtriacæ, ſparſus. Anno Chriſti 1592.



POloniæ Rex Sigismundus nuptias Annæ, filiæ Caroli Archiducis Auſtriæ, Rudolphi Cæſaris patrui, hoc tempore ambibat. Erant nonnulli inter ordines Poloniæ, qui, neſcio quam ob cauſam, domui Auſtriacæ infenſiores matrimonium hoc non diſſuaſerunt modò: ſed Regi, ut ab eo abſtineret, imperare velle videbantur. Sperabant viciſſim plærique matrimonio hoc effectum iri, ut antiqua illa neceſſitudo & amicitia, quæ inter domum Auſtriacam & Regnum Poloniæ ſemper fuerat, iam verò duabus ultimis electionibus inter utrosque Maximilianos Imp. patrem, & Maximilianum filium nonnihil erat labefactata, reſarciretur. Horum itaque ſententiis Rex confirmatus celebrem, in Boëmiam, legationem adornat, voti ſui atq; affectus explicandi gratiâ, cuius principes erãt Cardinalis Radziuilius, Epiſcopus Vladomirienſis, & complures alij, magnæ authoritatis nominisque viri. Hi quâ fide & prudentiâ munus ſuum obierint: ut per Archiduces Mathiam & Erneſtum Regi ſit ſoror deſponſata: quo comitatu in Poloniam deducta: quâ comitate à Rege excepta: quo ſumptu, quâ pompâ, quibus epulis ſpectaculisque feſtivitas nuptiarum conſummata fuerit, recenſere pluribus ſuperſedeo, ne actum, quod aiunt, agere videar. Ad nummum, qui eâdem celebritate nuptiarum in plebem ſparſus, me converto. *AEgyptio Scytham non invidere proverbio dicitur: quod non niſi ea, quæ proxima, vitij huius afflat, contrectatq; malignitas: eſt malevolus* (Salomonis effato) *vicinorũ oculus: nec peregrinũ, ſed vicinum pecus* (iuxta Naſonẽ) *grandius uber habet. Næ vero longè diſpar atq; diverſa amoris eſt conditio: ut qui non proximorum ſaltem, ſed & longius à ſe invicem remotorum animos coniungit atq; conglutinat: pronubâ ac illice, potiſsimum, virtute: cuiusvis ea, ut ſui causâ abſentes etiam, quosq; nunquam vidimus, aut viſuri ſumus, diligamus? Hinc non ſecus atq; palmæ duæ lato à ſe invicem ſeiunctæ flumine, ramos nihilominus ſuos connectunt ac copulant: ſic decus illud fœminarum Archiduciſſa, pretioſis familiæ, corporis, cumprimis vero animi ſui dotibus corripit, & ad ſe trahit COR Sigismundi, nullâ impediente locorum diſtantiâ ac intercapedine. Aquilæ* porrò *Imperij, Regniq; Poloniæ dum inſignia domus Auſtriacæ utrinq; apprehendunt, ſociatos matrimonio eos denotant: quorum animos paulò prius nõ tam cauſæ quædam privatæ, quam Ordinum in ſuffragando diſſenſus atq; divortium diſcerpſerat.*

Author ex contin: Sleid.

NVMMI ICONICI

REFERENTES IMAGINES ET Emblemata Principum: quorum in ſubjectâ belli Alſatici Hiſtoria fit mentio: cuſi Anno Chriſti 1592. & circiter.



IOhannes Georgius Marchio Brandenburgenſis, Joachimi Friderici Adminiſtratoris Primatus & Archiepiſc. Magdenburgenſis filius, Avo Johanni Georgio Electori ὁμώνυμος, cum adoleſcens Argentinæ ſtudiorum gratiâ verſaretur, à Canonicis Argentinenſibus, qui ob reformatæ religionis ſtudium, inprimis verò (ut dictum ſuperius) ob navatam Gebhardo Truchſeſio Archiepiſcopo Colonienſi in ſuo bello, operam, per Epiſcopum Vercellenſem nuncium Pontificium prius excommunicati, & ob id à cæteris Pontificiis excluſi, primi Curiam fratrum ſive ædes Capituli in urbe occuparant, 20. Maij Adminiſtrator Epiſcopatus Argentinenſis electus eſt, Joanne Epiſcopo, Comite Manderſcheidio, paulò prius apoplexiâ extincto. Hi per Joachimum Carolum Ducem Brunſuicenſem Præpoſitum, die ad Electionem novi Epiſcopi prius conſtitutâ, Pontificios Argentinam, utpote locum ordinarium, & antiquitus ad id deſtinatum vocavêre quidem: at Decanus & Canonicorum Pontificiorum pars major Tabernis Alſaticis (vulgò Zabren) convenêrunt: tutum non eſſe arbitrantes electionem Argentinæ fieri: Imperatorem vero de morte ſui Epiſcopi certiorem factum rogârunt, ſibi ut curam hujus Diœceſeos commendatam haberet. Cæſar reſcribit ſe brevi legatos miſſurum, qui illam adminiſtrent, donec novus Epiſcopus eligatur, utque omnia oppidula, arces & loca munitiora Diœceſeos diligenter cuſtodiant, nec cuiquam abſque ſuo conſenſu eadem patefaciant, imperat. Brandenburgenſis econtra, electione acceptatâ, poſt biduum ad omnia loca Epiſcopatui ſubjecta ſcribit, obedientiam incolis ſibi ut Epiſcopo debi-

po debi-

po debitam mandans: dein tertio Junij à Senatu Argentinenſi quatuor peditum ſigna (quæ ſuæ urbis cuſtodiæ cauſa conſcripſerant) impetrat, eademque, inclinante jam die, adjunctis 60. equitibus & 17. tormentis bellicis Vrbe educit, iisq; arcem Epiſcopalem in monte Cõcordiæ (vulgò Kochersberg) ſitam oppugnat, quâ occupatâ ad Dachſteinium caſtrum munitiſſimum copias promovet, idque non majori negotio capit. Canonici Pontificij his perceptis, ne quid Diœceſis detrimenti caperet, ſibi vigilandum eſſe arbitrati, novæ electioni 9. Junij diem conſtituerunt, non obſtante, quod Cæſar, ſe patruum ſuum Ferdinandum Tirolis comitem, ipſis Adminiſtratorem miſſurum ſcripſerat. Initis igitur ſuffragiis unanimi conſenſu Illuſtriſſimum Principem Carolum Lotharingiæ Ducem: Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalem, Epiſcopum Metenſem eligunt; cujus electionis rationes Fran-



ciſcus Baro in Kriechingen, Decanus, nomine capituli, longo programmate, Coloniæ & alibi impreſſo, reddidit. Lotharingicus autem Cardinalis dignitatem oblatam acceptans, caſtra & oppida ad Diœceſin ſuam pertinentia à Brandenburgicis expugnata repoſcit: cum autem videret, Brandenburgicum cum ſuis in propoſito perſeverare, nec ab armis recedere velle, aliquot etiam cum equitum, tum peditum cohortes cogit: Tabernas, Molshemium, Benfeldium firmis præſidiis munit, crebriſque excurſionibus Argentinenſium ditionem hoſtiliter invadit, omnia depopulatur, & ad mœnia uſque Vrbis excurrit: die verò 27. Junij exercitum Kocherspergam ducit, eamque triduò ſine intermiſſione oppugnat. Arce vi expugnatâ præſidiarii (uno, qui centurionem ſtrangulaverat, excepto) ſclopetorum ictibus trucidantur: Arx flammis ſubiecta ita devaſtatur, ut nihil nunc, præter rudera quædam, ibi conſpiciatur. Captâ Kocherſpergâ arce, Dachſteinium verſus exercitum Lotharingi moverunt, majoribuſque tormentis mœnia verberarunt. Illius cuſtodia Bubenhovero Centurioni nobili erat demandata: qui metu plenus 4. Julij caſtrum rebus neceſſariis inſtructiſſimum ac firmiſſimum hoſti dedidit. Quam obrem, in urbem reverſus, una cum Vicario ſuo cuſtodiæ aliquandiu mandatus, tandem dimiſſus fuit. Lotharingi interim Waſslenhemium, Argentoratenſium Vicum amœniſſimum, cum Caſtello deditione capiunt, ipſam arcem ſubditorum bonis repletam ſpoliant, ac ædificiorum tertiam partem, vallem ſive montis tranſitum reſpicientem, amplioris proſpectus causâ incendunt, ſedemque ſuis excurſionibus ac deprædationibus ibidem figunt. Poſt aliquot velitationes hinc inde commiſſas, tertio Calendarum Auguſti, tria millia Helvetio-

Digitized by Google

rùm, in Tigurinorum ac Bernenſium agro collecta, Argentinam advenêre, qui confœderatorum auxiliarij, 3. Auguſti cum reliquo equitatu & peditatu urbe educti, Molshemium obſederunt. At 15. Auguſti commeatus pro toto exercitu, nec non ſtipendia pro tribus peditum ſignis, cum Imperio centurionis Hanſen von Nürenberg in caſtra mittenda erant. Vademontius Comes, & ipſe Dux Lotharingiæ, qui ſe cum ſuis copijs Cardinali fratri junxerat, hæc reſciſcens, magnâ celeritate hoſti obviam proficiſcitur,



cumque non procul à pago Dippichen conſpiciens, mox ſigno dato in ejus equitatum fertur, trucidatis nonnullis ordines peditum turbat, pedites fugam arripientes partim cæſi ſunt, partim templum & cæmiterium pagi occupantes, cum viribus hoſti impares eſſent, tandem ejus ſe commiſerunt arbitrio. Captus eſt in eo conflictu Iohannes Zeyſolphus, militum ſtipendiis Præfectus cum omni commeatu, ac prædâ non contemnendâ. Currus & alia impedimenta, quæ ſecum abducere non potuerunt, ſubiecto igne concremarunt; Capitaneum vero ſupra nominatum ob profectam ætatem cum ſignifero ſuo, in urbem remiſerunt. Dum hæc in Dippichen gerebantur, præſidiarij Molsheimenſes eruptione factâ tribus penè horis cum hoſte velitarunt, eumque diſtinuerunt, ne periclitantibus ſocijs opem ferre poſſet. Hoc triſti nuncio in caſtra allato, cum commeatus magna eſſet penuria, obſidionem ſolverunt Brandenburgici, & cum omni apparatu bellico Argentoratum ſunt reverſi. Equites & Helvetij in urbem quidem recepti fuêre, at alia octo Germanorum ſigna in ſuas ſtationes priores reducta ſunt. Interea cum Germani, qui ſub Chriſtiano Anhaltino Principe in Galliam ante annum profecti erant, peractâ expeditione ſua manipulatim ad ſuos dilaberentur. Brandenburgicus & ſocij belligerantes trecentos ex equitibus ſacramento ſibi, ſub Imperio Köteritij, obligarunt: coegerunt & Gallos equites, quibus ad excurſiones uterentur. Quin & Principem Anhaltinum per literas & internuntios ſolicitarunt, ut ipſe belli curam ſuſcipiat: qui Argentoratum cum 200 equitibus veniens, Præfectus totius exercitus declaratus, quotidiè plures undique milites contrahebat.

Vigeſimo

Digitized by Google




Vigeſimo quinto Auguſti Anhaltinus Princeps, lectis ex toto exercitu peditibus & equitibus aliquot centenis, Lotharingos ad pugnam provocavit, qui viſo hoſte & ipſi ad arma proſiliunt. Ventum eſt ad manus, pugnatum acriter, donec tandem Lotharingi fugam ducentis circiter ex ſuis deſideratis arriperent. Idem, poſtquam novum diribitorium hoſtium turbaſſet, collectis omnibus copiis Molsheimum obſedit; obſeſſi magnâ ſeſe contentione defenderunt. Perierunt in huius oppugnatione Ioann Vlricus Baro in Hohen Saxen, militari ſcientia ac fortitudine percelebris, unius legionis chiliarcha: Daniel Dinais Argentinenſis legionis Lantinianæ, & Chriſtophorus Wolffius legionis Hohenſaxianæ vicarij, aliique non infimæ notæ milites. Obſeſſi cum ſibi pulverem tormentarium, aliaque ad diuturniorem obſidionem ferendam defuturum cernerent, certis conditionibus oppidum 15. Novemb. dedêre. Per eosdem dies Erneſtus Fridericus Marchio Badenſis, cum mille equitibus & bis mille peditibus optimè inſtructis, Argentoratum venit, cumque honorificè exceptus eſſet, Anhaltino ſe junxit.



Inter alias hoſtiles velitationes & excurſiones cum Anhaltinus Princeps 2. Decemb. Molshemum profecturus Dachſteinum hoſtile oppidum obviam haberet, ducentorum equitum comitatum ſecum ducens, fortè fortuna in Lotharingos equites & pedites ſic incidit, ut neutra pars alteri cedere potuerit. Pedites Anhaltini iam longiusculè præceſſerant; inter equites agnitus Anhaltinus à quodam Lotharingo ictu, ſed irrito petitus fuit, Princeps non ſegnis, impetu in eum facto, ad plures abire iuſſit. Ferebantur

bantur omnes in Anhaltinum, qui certè non parum periclitabatur, donec Molsheimenſes mali aliquid ſuſpicati citatis equis accurrerent, & Lotharingos in fugam conijcerent. Deſiderati ſunt ex illis quindecim: ex Anhaltinis David Comes Mansfeldius, lethaliter vulneratus Argentinæ obiit, ut & nonnulli alij.



Monetâ, quâ ſtipendia militibus, hoc durante bello, ſolvebantur, tribus inſignibus, Adminiſtratoris, Capituli, & urbis notatâ utebantur ſocij bellatores, cuius valor eo tempore viginti: dimidia autem decem baciorum erat. Decimo nono Decemb. Argentoratum venerunt Legati Cæſarei: Gallus Adamus Poppelius, Chriſtophorus à Stadion, & Doctor Michael Textorius ampliſſimæ dignationis & eximiæ virtutis ac prudentiæ viri, cum Heroldo & aliquot equitibus: ut pacem inter Brandenburgenſem & Lotharingum conciliarent, denunciatoque Magiſtratui Cæſaris mandato, ut arma deponeret, ad Lotharingum profecti ſunt. Defatigatis tandem utrinque animis & intercedentibus legatis Cæſareis aliqua ſpes pacis cœpit ſuboriri. Brandenburgenſis enim & Capitulares cum Magiſtratu urbis, quamvis ob numeroſum exercitum hoſtibus ſe iam num ſuperiores facilè futuros arbitrarentur, mandatis tamen Cæſareis ſe parituros, & ab armis receſſuros promittunt. Neque Lotharingi viciſſim à pacis tractatione animus abhorrebat: unde cum ultrò citròque legatorum ſermones commearent, communi tandem conſenſu inter partes his conditionibus convenit: utrinque armis diſcederent: militem exauthorarent, dimitterent: pacem & amicitiã colerent: primariam litis cauſam arbitrio ſex prædictorum Principum decidendam relinquerent. Interea Dux Carolus Cardinalis Metenſis in Alſatia Tabernas retineret: Benfeldiam, Satrapias Bernſteinium, Kocherſpergam, Schirmeckium, ſuperiores Mundatas Ruffach, & circumiacentia loca ad Epiſcopatum pertinentia: ſed & Molshemium illi ab Argentinenſibus redderetur. Viciſſim Marchioni Brandenburgenſi cederet Satrapia Dachſteiniũm cũ arce, pagis & ſubditis, Aëdes capituli & ſedes Epiſcopalis cum granario in urbe Argentinâ: proventus in oberehenheim: Marlenheim cum ſuis appertinentiis: Satrapiæ quoque Wantzenovia, Reichſtetten, Weihersheim ad turrim, Marckelsheim, Oberkirch ultra Rhenum: Ettenheim & Gravenhuſen. Civitati vero Argentinenſi reſtitueretur Waſslenheim, & tormenta bellica ibidem inventa. His conditionibus utraque pars ſubſcripſit, & pax per tres Tubicines, magno cum ſubditorum gaudio, promulgata fuit. Atque hæc eorum, quæ bello Alſatico geſta, ſumma quaſi capitum ſunt faſtigia: Emblemata, quæ in nummis tribus conſpiciuntur, paucis attingamus. *Arcus cum ſagittis* ut belli amoris, pœnitentiæ,

velocitatis

velocitatis, cordis atque conſilij: ſic *mutui quoq; auxilij* hieroglypton eſt. Hujus forte Franciſcus extare monumentum voluit, ſtrenuè Fratri, in bello Alſatico, navatam operam. Quid ſi & illud Myſta innuit, quod *prudens armorum tractatio non niſi labori unita ac tolerantia, (cujus palma ſymbolum) coronis triumphalibus victorem condecoret?* In nummo altero princeps inclytus Anhaltinus præ ſe ferre videtur: quod *fato quodam de bello in bellum abducatur, quaſiq; renuens, præcipitetur. Quod ſi verò gladius non dimicationem bellicam duntaxat: ſed quamvis aliam denotat, quæ labore, curâ, anxietate, periculo haud caret, quam verè* Ex hoc In hoc *trahitur Principum illud decus ac columen: dum boni publici causâ, perpetuis ſeſe curis macerat: laboribus frangit: moleſtijs exponit: periculis objicit?* De *Geryone*, quem Marchionis Erneſti nummus refert, pulchrè Alciatus:

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta ſimul pietas mutua, & unus amor:
Invicti humanis ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.

Id voluit namq; Princeps Illuſtriſſimus, juncta, fœdere legitimo potentum arma animosq;, tot tantasq; vires habere: ut vix ferè vinci ac domari queant, etſi præ ſe ferat debile quid ac imbecillum, nempè ubi ſingulorum habetur ratio. Quod apertè docuit Scilurus ille Scytha: cum morti jam vicinus, ex telorum faſciculo colligato, ac rurſus ſoluto, invictam concordiam filijs commendavit. Ergo fœdera & ſocietates cum quovis copulandæ? *Negat id nummi epigraphe* Nec nulli, nec omnibus: *venuſtè Pythagoræ illud monitum corroborans:* Non cuivis dextram injiciendam eſſe: *& illud alterum Solonis:* Amicum ne Citò pares: quem autem paraveris ne reijce. *Ex Hiſtoria Alſatica Author.*

Digitized by Google

NVMMVS TRIVMPHALIS STATUUM UNITARUM BELGII PROVINciarum: cuſus Gertrudisbergâ à Prin: Naſſovio expugnatâ: Anno Chriſti 1593.



Confœderati Belgicarum Provinciarum Ordines cum minus rectè ordineque in caſtris hoſtium multa fieri animadverterent, oblatâ opportunitate utendum' eſſe duxerunt. Collecto itaque exercitu, pluribus navigijs, ratibus, pontonibus, majoribus tormentis, aliarumque rerum neceſſariarum ad maximam obſidionem copiâ, ſimulant, ſe Dünckernam velle obſidere: ſed ſumma uſi celeritate Montes Gertrudis navigant, urbemque 28. Martij terra marique arctiſſimâ obſidione cingunt. Qui in urbe erant, fortiſſimè ſeſe defendunt, ſperantes, Regios ſibi opem laturos. Sed dum illi cunctanter agunt, Mauritius cum ſuis urbem ab eâ parte, qua continentem ſpectat, foſſis adeo latis firmiſque vallis ac propugnaculis cinxit, ut caſtris eum exuere, rerum difficilimarum una eſſe videretur. Nec vero commeatus poterat metuere inopiam, cum in conſpectu eſſet Dordracum, cum totâ Holandiâ, unde breviſſimus erat in caſtra trajectus, quem Regij nequaquam impedire poterant. Oppidanis cum trium iam menſium ſpatio obſidionem ſuſtinuiſſent, regia tandem ſubveniunt auxilia, Duce Mansfeldio Seniore: qui ut Mauritium caſtris exueret, obſeſſis ſubveniret, nullum non movebat lapidem. Velitatione deinde unâ alterâve interiectâ, quæ ferè iuſtæ pugnæ faciem repræſentaret, res utrinque multò atrocius agi cœpta. Expugnato propugnaculo in agro Stelhoviano, juſſu Mauritij tormenta omnia diſploduntur, & ſclopis denſiſſimis glandium imbres in ſubjectas plateas ex propugnaculo demittuntur: fragore tanto ac crepitu, ut cælum rumpi, terra dehiſcere videretur: obſeſſi, ad colloquium admitti cupientes, terque tympanum pulſantes, audiri non potuerint: donec tandem diſiecto nonnihil fumo, pileis, haſtis ſuis impoſitis, ſignum deditionis oſtenderent. Mauritius confeſtim tres obſides ſibi in caſtra mitti iubet, ipſe viciſſim duos

in urbem

Digitized by Google

in urbem remittit. Horæ vix integræ ſpatio de conditionibus actum: gladijs tantum accincti urbe exirent præſidiarij, impedimentaque omnia ſua ſecum auferrent. Cæterum cum Heros inclytus omnes egregios eſſe milites videret, reputaretque ſecum, quam Regi ſuo fidem præſtitiſſent, juſſit omnia ijs arma reſtitui, atque ſic eos dimitti. Cum autem extra urbem primum tranſirent propugnaculum, Mauritius ſedecim eis ſigna militaria ademit: dicens, ſe illis arma, non ſigna donaſſe: tribus inſuper in conſpectu reliquorum ſuſpenſis, qui Parmenſi urbem vendiderant. *Author ex hiſtoria Gallico Belgica.*

Digitized by Google

NVMMVS ICONICVS EXHIBENS PALOTTAM, CHRISTIANIS à Sinane Baſſa ereptam: Anno Chriſti 1593.



DUbijs admodum incertiſque paſſibus Martem ambulare: rectè iccirco ab Homero ξυνὸν communem appellari, hic, ſi præteritorum aliquis in Ungariâ annus demonſtravit. Victoriam inſignem, & nullo non ſeculo deprædicandam retulêre Thomas Erdedi: Andreas Averſpergius: Melchior Redererus: Rupertus Eggenbergius & alij viri Nobiles: ingenti Haran Baſſæ exercitu ad Siſeccum trucidato partim: partim in Colapin præcipitato: Vice verſâ Sinanes Baſſa Verires, ducto ex Thracia milite, ſub finem ſeptemb. Ungariam ferro & igne depopulatur: Veſprinum cui Ferdinandus de Samaria & Georgius Andreas de Hoffkirchen præerant, arctiſſimè obſeſſum die 6. Octob. expugnat: inde Palottam movet, eamque arcem tanto furore concutit, totque oppugnationibus præſidiarios fatigat, ut cum nulla ſpes eſſet eam defendendi, Petrus Ornandi Ungarus, qui loco præerat, cogeretur cum hoſte paciſci, arcemque tradere. Cumque vitam & fortunas iam ab hoſte impetraſſent, certisque conditionibus, ſacramento confirmatis, hoſtes admiſſi eſſent, Barbarus nihilominus capto præfecto, cum duobus alijs, reliquos omnes crudeliter trucidat.

Rur-

Digitized by Google



Rurſus Chriſtophorus à Teuffenbach Baro Meyrhofiæ: adductis ſecum circiter viginti mille militibus, in vicinam Turcarum regionem impreſſionem facit: Zabatziam, interfectis præſidiarijs omnibus, expugnat: Villeckum arcem & loci naturâ, & opere humano inſigniter munitam, incolis & præſidiarijs Turcicis dimiſſis, occupat: arces Deuinum, Seczienum, Hollockum, Dregellam, aliasque, diverſis annorum ſuperiorum intervallis Turcarum Imperio ſubiectas, recuperat: multa chriſtianorum millia, Deo benè aſpirante, liberat: prædâ inſigni atque opimâ onuſtus ad ſuos redit. *Ex Hiſtoria Vng.*

Author.

Digitized by Google

NVMMI HONORARII: CUSI IN COMITIIS A RUDOLPHO Secundo Imp. celebratis Ratisbonæ; Anno Chriſti 1594.



DUm in Ungaria Strigonium arctè à Chriſtianis obſidetur, Comitia ſecundùm Ratisbonæ celebrat Rudolphus Secundus Imp. in quibus congregatis Electoribus, Principibus, & reliquis Imperij ordinibus non ſine mœrore animi exponit: quod licet cum Turcarum Imperatore Anno 1591. octo annorum pepigerit inducias: ipſe tamen contra datam fidem non Hungarorum duntaxat, ſed vicinas quoque ditiones hoſtiliter depopuletur: arces ac caſtella munitiſſima capiat: Oratorem etiam ſuum in vincula conjecerit: qui Belgradum abductus ſummis in miſerijs, fætidiq; carceris ærumnis, vitam finierit: petens, in decernendis juſtis auxilijs, non tam ſui, quam totius orbis chriſtiani rationem haberi. His cum nonnulla de bello Belgico: matriculâ Imperij: dicaſterij ſupremi reviſione: lege monetariâ ſubjeciſſet, excipientes petitionem eius Status Imperij, ad conferenda contra Turcam auxilia paratos ſeſe oſtenderunt: viciſſim rogantes Cæſarem, ut quod fecerit hactenus, facere deinceps pergat, inque id incumbat, quo elegantiſſima Belgarum natio calamitatibus ac miſerijs, quas longa continuatio bello-

rum

Digitized by Google

tum civilium intulit, quæque ad Imperij exitium redundatura videtur, tandem aliquando liberari poſſit. Nummus ſuperior in ipſis, ut inſcriptio habet, cuſus fuit comitijs: alter, ut conijcio, paulo prius, & tum fortè, cum tumultuari Turci, ruptoque fœdere chriſtianos invadere cæperat. *Monſtrum* quippe *quod lupi formâ: caudâ ſerpentinâ: erecto circa humeros colubro, pedibus uncis conſpicitur, Sulthanus Amurathes eſt: contra cuius furorem fraudesq́ſemet-ipſum alloquitur atq́ exuſcitat Imperator verſu Virgiliano:*

Tu ne cede malis: ſed contra audentior ito.

Audentior, *quia Parma te conteget patientiæ ac tolerantiæ:* audentior, *quia hoſtem feriet gladius vindictæ:* audentior, *quia in nube apparens Dei gloria, ſanctorumq́ Angelorum te cinget ac circumdabit præſidium. Author.*

NUMMUS VOTIVUS ERNESTI ARCHIDUCIS AUSTRIAE: CUſus gubernatione Belgicâ ſuſceptâ, Anno Chriſti 1594.



ALEXANDRO Farneſio rebus humanis exempto, Philippus Hiſpaniarum Rex, Belgicas Provincias Erneſto Archiduci Auſtriæ gubernandas committit: hic, quod in Vngaria tenebat Imperium, Fratri Matthiæ reſignat. Norimbergam primò, indè Herbipolim cum veniſſet, paulò poſt Rhenum trajiciens, ubi Erneſtum Colonienſem Electorem ſe expectantem invenit, unà cum illo in Belgium profectus eſt. Bruxellas ingreditur 30. Janua: multos in comitatu ſuo habens Principes, Comites, Barones, Nobiles, Hiſpanos, Italos, Germanos, Belgas. Jucundiſſimum erat videre eximiam & ſingularem pompam, quâ fuerat ſuſceptus: arcus item triumphales, diverſis elogiis inſcriptos: theatra varia, in quibus novem laudatiſſimi Cæſares, è domo Auſtriacâ prognati, repræſentabantur. Triumphi, ludi, epulæ, ſpectacula, ubi deferbuiſſent, Archidux Ordines Provinciarum ad palatium Regium convocavit, ibique literas & mandata Regis, quibus gubernatio ſibi demandatur, prælegendas curavit. Mansfeldius (cui poſt mortem Alexandri Farneſij adminiſtratio interim concredita fuerat) lectis literis ſe officio & magiſtratu abdicavit, eumque Archiduci tradidit. Proceres deindè Erneſtum acceptarunt, omnem ei fidem & obedientiam pollicentes. Mittit idem ad Ordines literas, quibus ad pacem amplectendam, & obedientiam Regi Hiſpaniarum præſtandam, eos hortatur. Verum Ordines, rationibus plurimis adductis, pacem reſpuunt, ſeque patriæ ac libertatis defendendæ gratiâ bellum contra Hiſpanos perſecuturos, confirmant. *Symbolum, quo, in Belgium veniens, utebatur Archidux Sereniß: felicioris gubernationis ſpem amplißimam faciebat incolis.* Id erat, DABIT INDOLE DIGNUM. *Et dediſſet profectò dignum aliquid indole generosâ: dignum prudentiâ: dignum fortitudine: dignum humanitate ac clementiâ, quâ pollebat: niſi Deo placuiſſet ſpem hanc bonis, in ipſo gubernationis limine, præcidere: nobileq́ pignus illud cœlo patrio redonare, quod aliquandiu ter-*

ris

ris commodaverat. Sed non minus familiare Principi laudatiſſimo *ſymbolum* erat, *quod palmæ atq; oleæ ramulis incluſum videmus. Neminem, niſi in ſuo gloriari oportere, ſcribit in epiſtolis Seneca. Quid vero habet homo ſuum? quid quod non à Deo acceperit? Quare*

Soli vera Deo ſit GLORIA: vana faceſſat
Gloria: ſit SOLI GLORIA vera Deo.

Merc. Gallicobelg. Nico. Reuſnerus in hoc ſymbolum.

Digitized by Google

NVMMI TRIVMPHALES HENRICI IV. GALLIARUM ET NAvarræ Regis: cuſi Provinciis ac civitatibus aliquot, ut & Lutetiâ Pariſiorum, receptis: Anno Chriſti 1594.







POſtquam Henricus IV. precibus partim ac querimoniis, partim pollicitationibus Gallorum victus, à reformatâ religione ad Pontificiam deflexiſſet, multorum, hâc mutatione, animos ſimul immutavit: paratiora exinde, & ad vota ſua obſequentiora plæraque habuit. Exiguo namque interlabente

labente tempore Rex Galliæ à Parlamentis agnitus: proclamatus: ſolennique ritu inauguratus fuit. Inde Lugdunum, Galliæ Narbonenſis urbem florentiſſimam recepit: cui & Aurelia, Bituriges, Melodunum, Laudinum, Ambianum, Cameracum, Normandia tota, & regiones aliæ ſubinde acceſſêre. Quin & Lutetiam Pariſiorum, hoſtibus Hiſpanis, eorumque ducibus ſeſe dedentibus, liberéque cum impedimentis ſuis dimiſſis, abſque omni ſeditione & cæde occupavit. Rebus hunc ad modum comparatis Nummi, quos exhibemus, divulgati: quorum *Primum* non à Rege ipſo, ſed in honorem Regis à ſubditis percuſſum arbitror. Licet enim non humilia & ſe inferiora cogitaret Henricus, non eousque tamen faſtus atque inſolentiæ typho abripi ſe ſe paſſus fuerat: ut totius terrarum orbis imperium ſibi polliceretur. Virtutes ſanè ei non deerant, moderandis longè latéque populis, neceſſariæ: *animus ad magna ſuſcipienda, toleranda've infractus: quem clava Herculis: ſapientia juncta facundiæ, quem Mercurij Caduceus* denotat. In *nummo altero* cernis, *ut è radiis coruſcantibus, & micantibus ſtellis pugio demittatur, tangatq. gladios, coronas, lauri palmæq. ramos.* In hâc quid arcani hierographia? *Sperat Henricus fore, ut, ſicut divino prorſus beneficio, legitimâq. juris viâ regnum Galliæ ſit adeptus: ſic tutelâ ejuſdem ac præſidio idipſum quietè poſſideat: videatq.*, poſt *longam dimicationem, dies aliquando pacatiores.* AGGREDIAR inquit Rex *in Nummo Tertio, Lutetiam urbem: poſthabito, quod à confœderatus arctè clauſa cuſtodiatur: ſed & INGREDIAR vi patefactâ viâ, ſi reſtiterint hoſtes: placido & amœno paſſu, ſi cives promiſſa ſervarint*, portam *aliquam mihi clanculum reſerando.* Poſterius factum. *Ex Hiſtoria Gallica Authar.*

NUMMI TRIUMPHALES & HONORARII, ORDINVM BELGICARVM PROVINciarum: cuſi, Urbe Grœningâ ad priſtinos Dominos redire juſsâ: Anno Chriſti 1594.



Mauritius Naſſovius, Coverdâ obſidione liberatâ 21. Maij Grœningam Friſiæ Metropolin, obſidione cingit: cives deditionem negantes machinis quotidiè infeſtat: loca paluſtria verſus Septentrionem pervia reddit; munitiones excitat, quibus civium excurſiones impedirentur. Caſtra denique ipſa à meridie, quà in Drentam itur, extra teli jactum collocat. Interim Wilhelmus Naſſovius cum octo ſignis peditum, ex legionibus Weſtfriſiæ delectis, munitionem Auricenſem expugnavit, præſidiariorum cæſo numero haud exiguo: quæ res maximam in urbe trepidationem concitavit. Mauritius interea valla, foſſasque ad urbem promovere: pluteos vineasque extruere: machinarum bellicarum ingentem numerum diſponere: ſine intermiſſione muros, turresque civitatis diſturbare, ita ut brevi ſpatio 18000. majorum globorum in urbem miſiſſe dicatur. Nocte quoque pyrobulos, candentesque pilas in civium ædes ejaculatus eſt, quibus incendium nonnunquam excitavit, animosque civium magno metu perculit. Hæc autem minimo cum periculo facere potuit, eo quod cives nullum in urbem præſidium admittere vellent: quinque tantum ſignis peditum in ſuburbio collocatis: quibus, non niſi vocantibus civibus, in urbem aditus patebat. Quotidianis attamen excurſionibus magnâ clade hoſtium caſtra affecerunt oppidani, ita ut ordinibus minimè incruenta fuerit huius urbis recuperatio. Cuniculis tandem actis eò deventum, ut multi oppidani pulvere ſubterraneo incenſo graviter læſi, perque aërem disjecti perierint. His urgentibus neceſſitatibus 22. Julij Vrbs certis conditionibus in ſtatuum Belgicorum manus pervenit.

Repa-



Reparatis Grœningæ ruinis, novoque Senatu electo, regionis illius præfectura Wilhelmo Naſſovio ab Ordinibus demandatur. Mauritius verò victoriæ tam illuſtris gloriâ decoratus, & 19. Auguſti Amſtelredamum ingreſſus, ad forum ubi veniſſet, multis ſcaphis navigiisque à Magiſtratu magnificentiſſimè exceptus fuit. Erectum erat medio foro theatrum, ubi mutis perſonis exhibebatur Rex David, manu tenens caput Goliathi, filiæque Sion ludentes variis inſtrûmentis muſicis: Davidem autem exercitus Iſrael ſequebatur. *In ſummitate theatri depicta erant Naſſoviorum inſignia, ſubq; illis arbor malis aurantiis onerata cum inſcriptione:* Tandem fit surculus arbor. Inventio Emblematis elegans admodum, plenaque ſolertis ingeni eſt. *Fuit namq; arbor verè ferax & fertilis Guilhelmus Princeps Aranſiorum, non glandes proferens, ut quercus; non Conos, ut abies; non fungos, ut pinaſter; non unedones, ut arbutus; ſed mala aurea; aureas ſcilicet illas boni Principis virtutes ac notas, pietatem in Deum; amorem in patriam; fortitudinem in periculis: moderationem in rebus ſecundis; magnitudinem animi in adverſis. Hâc arbore præter ſpem, præterq; meritum recisâ; hoc eſt Guilhelmo infandi percuſſoris manu trucidato, ſurculus, Dei beneficio, remanſit Heros Mauritius; adoleſcentiæ ſub mortem patris annos ingrediens. Hic quia interea è ſurculo parvo in arborem excreviſſet: quod geſtavit onus Parens, in ſe reciperet: quam aſſeruit libertatem, ſolicitè cuſtodiret; quæ cum potentiſſimis hoſtibus bella geſſit, pari alacritate ſuſciperet: pari felicitate patraret: meritò Belgæ ſibi gratulantur, & quoscunq; poſſunt benefactori huic ſuo honores nuncupant. Ex Hiſtoria Belgica Author.*

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS HENRICI IV. GALLIARVM REGIS: cuſus bello Hiſpaniarum Regi indicto: Anno Chriſti 1595.



REx Galliæ & Navarræ Henricus (cujus paulò prius facta mentio) videns ſe Hiſpanum expellere non poſſe Galliâ: proprias autem provincias magis quotidiè bello vaſtare, de militiâ è regno ſuo in Regis Philippi ditiones transferendo, belloque Arteſiæ, Hannoniæ, & agro Lutzenburgico inferendo, cogitabat, quò hâc ratione hoſtem regno cedere, & ſuis auxiliari cogeret. Communicato igitur cum Holandis & confœderatis ſociis conſilio, placuit, utrinque certas quaſdam copias eò mittere: quibus Bullionius Mareſcallus Regni cum Imperio præeſſet. Cæterùm, ne contra jura publica agere videretur, bellum adverſus Hiſpanos terrâ marique apertum denuntiare, & in finibus omnium provinciarum, ad tubæ ſonitum, exclamare juſſit; ineunte Januario. Rex Philippus hæc percipiens, ad 17. Martij ſimile edictum ſcribi, & Bruxellis publicari juſſit: bellum & omnem hoſtilitatem Gallis denuncians. Rex Galliarum, nullâ interpoſitâ morâ, Bullionæum Vicecomitem Turonium cum exercitu in Ducatum Lutzenburgenſem mittit: qui, ſociatis ſibi Philippi Naſſovij armis, Juodium Oppidum parvo negotio occupat: nonnulla alia etiam loca, ut Montmedium, Virtonium, & La Frette, quia munita non erant, diripit. Naſſovius per eos dies in quatuor centurias equitum Regis Hiſpaniarum incidens, infeliciter cum illis conflixit; & non paucis è ſuis deſideratis, ipſe vulnere accepto cum cæteris elapſus eſt: cum propter aquarum inundationem Bullionæus ei ſuccurrere non poſſet. Qui tamen, cum poſtridie alias aliquot equitum alas ſibi obvias haberet, cum iis manum conferens, damnum acceptum reſarcivit. *In Nummo quodnam Duellum? Struthiocameli cum Accipitre:* addito lemmate,

Pro-

351

PROVOCATUS PUGNO. *Eſt Regibus pleriſq; una & vetus cauſa bellandi* (verba Saluſtij) *profunda cupido imperij, & divitiarum. Utramq;, hoc emblemate, à ſe removet Navarræus: poſit à eâ quæ juſtitiæ proximior. Eſt juſtum namq; bellum, cum damnum & contumeliam à te tuiſq; arces: &, (Tullius in Milonianâ) hoc ratio doctis; neceſſitas barbaris: mos gentibus: feris natura ipſa præſcripſit: ut omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, à corpore, à capite, à vitâ ſuâ propulſarent. Hiſtoria Gallic. Belg. Author.*

NVMMVS MEMORIÆ DICATVS, CONFOEDERATORVM BELGII STATVVM: cuſus, rejectâ pace, quam ipſis Hiſpaniæ Regis ſubditi quidam obtulerant. Anno Chriſti 1595.



STatus Belgici, qui Hiſpaniarum regi adhuc parebant, multis neceſſitatibus adducti, pacem à Statibus Holandicis petierunt: eoque tandem per literas & internuncios rem deduxerunt: ut Mittelburgi Conventus indiceretur. Legati Regij eo cum veniſſent, cum Principe Mauritio, & quos ille ſecum haberet, de pacis negotio agere cœperunt: exponentes initio, quantâ lætitiâ perfuſi ſint Ordines Provinciarum Regi parentium, cum adverſæ partis optimam de pace conciliandâ voluntatem intellexiſſent: ideoque ſe comparuiſſe, ut nomine Regis, & Provinciarum eius imperium adhuc agnoſcentium, in colloquium venirent cum fœderatis, quibus conditionibus pax componi poſſet. Ad quæ Mauritius: Confœderatorum voluntatem ac mentem à pace, cum ipſis Provinciis ineundâ, non abhorrere; non autem cum Rege Hiſpaniarum, quem omninò excluſum velint, propterea quod aliis Principibus ſint confœderati. Quin etiam ſe non ignorare Regis animum adeò in confœderatos exacerbatum: ut iniuriæ ſibi illatæ memoriam nunquam ſit depoſiturus. Regij cum multis argumentis docuiſſent, iniquam eſſe Ordinum de Rege excludendo poſtulationem, excepit Mauritius, poſtremam hanc Confœderatorum definitionem eſſe: cum Rege pacem non faciendam. Quod hic conventus habeatur, id eo fine fieri, ut Provinciæ Belgicæ omnes ſimul conſerventur, nec aut per Gallos, aut per alios ſeparentur. Et ſi Ordines regis Imperio ſubditi, bonâ fide in pacis deliberationem venire cupiant, Confœderatos nunc etiam ad pacem propenſos eſſe ſibique nil gratius fore, quam ut bellum in otium, tranquillitatem, & amicitiam convertatur. Legati Regij cum negarent, ſe alia mandata habere, quam ut de pace inter Regem ſuosque ſubditos & confœderatos tractaretur, ſoluto congreſſo ad ſuos quisque redijt. Ordines, quoties pacem denegarunt Hiſpano, toties ferè populo ut diſpaleſceret, voluerunt: commodiſſimè nummis percuſſis id fieri poſſe exiſtimantes. *Cum itaq. rurſus conclamatum eſſet pacis ne-*

tis negotium: militе excubitore in turri collocato: protensâ trullâ ferreâ: armato leone ſuo Batavico ſignificant: nihil minus Hiſpano prodeſſe: nihil magis rationibus ſuis conducere: quam exploſo amicæ compoſitionis fuco, bellum continuare: quod ſub illo, venum hoſti exponantur: ſub hoc, tranquillioris ſtatus beneficio perfruantur ſine cura, ſineq; metu. Ex *Hiſtoria. Gallicobelg. Author.*

Digitized by Google

NVMMI CASTRENSES AC TRIVMPHALES

CVSI REBVS FELICITER GESTIS IN VNgaria: ereptoque Turcis Strigonio: Anno Chriſti 1595.



CArolus Manſfeldius, Comes Petri Erneſti filius, cum multos annos Regibus Hiſpaniarum & Galliarum fideliter militaſſet, eam nominis ſui famam atque celebritatem excitavit, ut Rudolffus Imperator cum licentia Regis è Belgio in Vngariam evocatum, conſuetis ceremonijs Equitis Aurati dignitate & titulo Principis Imperij inſigniverit, Vicariumque Archiducis Matthiæ (qui ſupremus exercitus Cæſarei adverſus Turcas Imperator conſtitutus erat) creaverit. Is militis, ex hybernis collecti, ſigna recenſet, auctuque ſuorum, quos è Belgio adduxerat numero, ad Wiſelburgum caſtrametatur: Iaurinum paucis comitatus luſtrat, ac obſidionem eius moliri ſeſe ſimulat. Vtque firmiorem ſimulationi fidem faceret, locum figendis caſtris deſignat, cunctosq; ſigno dato, operi manus admovere imperat. Ipſe etiam primus ligone terram fodit, & nunc in medio, nunc circa finem munimẽta excitantibus adeſt. Nobiles aliquot cum iniunctum ſibi opus detrectarent, & ligneos faſciculos, Ducis ſui exemplo, comportare ad aggeres erigendos recuſarent, unum, ut erat veſte armiſque indutus, è propinqua arbore ſuſpendi iubet: quæ ſeveritas deinceps promptos & alacres, cuiusvis etiam ordinis alios, reddidit. Turcæ repentinâ obſidione territi, præſidio undique evocato, Iaurinum cum ampliſſimo commeatu contendunt: dũ Carolus nocte mediâ celeriter Strigonium, iam præſidio vacuum, movit: diſpoſitisque caſtris, ne, qui exceſſerant Iaurinum ocyus redirent ad urbem, munitiones Marte ſecundo, iuncto pontibus Danubio, expugnat. Eâ rerum facie territi oppidani, quique arcem tenebant, Sinani, quo diſcrimine premerentur, denunciant. Sinanes ſe non paſſurum aiebat, ut propugnaculum, quod 50. annis obtinuerant Turcæ, ſe vivo occuparetur. Numero igitur ſuorum confiſus ad caſtra pervenit, eadem uno impetu obruturus. Venerat opportunè ad Carolum Ioannes Medices, Florentiæ Dux, cum

Digitized by Google

cum expeditis Italorum turmis: qui collem, qua hoſti tranſeundum, occupavit, tormentisque munivit. Sed & Schwartzenburgius Germanicâ legione machinisque campeſtribus alias inſuper fauces obſedit, locisque aptis inſidias diſpoſuit. Ergò ad ulteriora Sinanes pervenit, validaque manu in diſpoſitos caſſes ingreſſus, utrinque expeditioribus locis impeditus fuit, ita ut non ſinẽ crudeli iactura ex anguſtiis ſe retrahere potuerit. Inde ad alias ſtationes: quas Walones propugnabant, devenit: qui primò quidem non contemnenda difficultate preſſi, dum reliquus ſuperveniret exercitus, & iam utrinque collatis ſignis univerſa coirent agmina: poſtmodum tamẽ virtute ſua hoſtem ſuperarunt, proſtratis 50. millibus, inter quos Oſmanes Baſſa Iaurienſis cum ſex Begis repertus fuerat: ſignis militaribus viginti: ſeptem tormentis campeſtribus: triginta ſex & duobus Begis captis: caſtrisque univerſis ingenti cum præda in poteſtatem ſuam redactis. E chriſtianis vix 50. cæſi periêre. Carolus dum Strigonii deditionem petit, infirmitate compulſus, Comorram ſecedit, ubi 14. Auguſti dyſenteriâ extinguitur in ipſo gloriæ limine, annos natus LII. Inteſtina Comorræ, pompâ Principe dignâ terræ mandata: Cadaveris reliqua in Belgium tranſmiſſa ſunt. Non minus verò calidè, mortuo Principe Mansfeldenſi, ad Strigonium



res geritur: cumprimis oppidum inferius ſeu aquaticum tribus diverſis locis oppugnatur. Legioni Bavaricæ prima impreſſio ſortè obtigerat, quæ, cum cedere cæpiſſet, Suevici pedites illis ſubvenerunt: maximum ſepimẽtum convulſerunt: foſſas implerunt: omnia impedimenta ſuſtulerunt: Turcarum impetum eousq; ſuſtinuerunt, donec ſex ſigna Burgavica ſuccederent. Ioannes Medices cum Italis ſuis omnibus locis aderat, feſſisque recentes milites ſubſtituebat: ipſe cominus eminusque pugnans, nunc ducis, nunc gregarij militis munere fungebatur. Hunc ad modum cum arx,


NVMMVS SOCIALIS

REGINÆ ANGLIÆ, GALliæ Regis & Statuum confœderatorum Belgij: cuſus poſt Caletum ab Hiſpaniæ Rege captum, Anno Chriſti 1596.



OCcupatò ab Hiſpanis Caletò ingens terror, nec immeritò Anglos invaſit: ſiquidem hoſtem infenſiſſimum iam ſuis incumbentem littoribus in conſpectu haberent: eique hanc opportunitatem oblatam viderent: ut claſſem quam in Hiſpania conſtruebat; ſecurius emittere, & à tempeſtate pariter, atque impetu hoſtili defendere poſſet, in portus huius ſinum receptam. Non minus interim Heroina Angla cum ſuis ad reſiſtendum ſeſe parat: & quia periculum ab Hiſpano impendere Gallos quoque, & Belgas concernere videbatur, ad fœdus ineundum eos ſolicitat: paratos invenit. Concipiuntur confœderationis aliquot capita: quæ Regis Vicarius Mareſchallus Turrenius in Angliam traijciens à Gallis inviolata fore, iure iurando ſancit: viciſſim Comes Salebrienſis Rhotomagi Eliſabethæ nomine eodem ſacramento fidem devicit: inque arctioris nexus ſymbolum Ordinis Poplitarij cingulum Regi offert. His ordines Batavorum non ægrè ſe jungunt: cum rebus ſuis præclarè conſultum animadverterent, ſi vires Hiſpani quaqua verſus alliderentur. *Atq; hoc vinculũ illud arctum eſt, tenax, indiſſolubile, quod nummi facies antica monſtrat: poſtica neq; conatibus hiſce ceptiſq; præclaris defuturum Iehovam arguit: ſed di-*

NVMMI OBSIDIONALES
DVRANTE OBSIDIONE CAMERAcenſi à Balignio cuſi: Anno Chriſti 1595.



CAmeracum libera civitas, & imperio ſubjecta tempore benè longo Archiepiſcopo, qui ſe Ducem Cameracenſem ſalutari voluit, parebat: usque dum Incius arcis præfectus, motâ ſeditione, hunc ipſum Archiepiſcopum Ludovicum Barlaymontium ex urbe eiecit, Franciſci Alanzonij ſeſe virib. muniens, in cujus poteſtatē urbs tandē pervenit Anno Chriſti 1581. Incio poſtea à quodam ruſtico glande trajecto, Alanzonius Joannem Monlucium Dominū Balignium Epiſcopi Valentiæ nothum, & urbi & arci præeſſe voluit: qui mortuo Alanzonio Reginæ imperium eludens, & tyrannidem arripiens, vitæ necisque poteſtatem in cives ſibi vindicavit: in multos ſuppliciis graviſſimis ſævijt: proventus ac vectigalia in proprios uſus convertit. Vocatus ad Comitia ab Henricō III. non comparuit, metuens inſidias: Civili bello Gallico confœderàtis ſe addixit: rurſus multis corraſis opibus, ad Navarræum tranſiit: à quo Princeps Cameracenſis creatus, fortunæque ſecundæ flatu inſolentior factus, Atrebates & Hannonios ferro flammâque infeſtare cæpit. Fontanus, precibus Barlemontij exulis & vicinorum motus, Cameracum obſedit. Balignium, inopinatâ obſidione conſternatum, Ludovicus Gonzaga Dux Nivernenſis tranſmiſſo ad eum, cum aliquot equitum cohortibus, filio non parum recreavit. Interim verò Princeps Chimæus publicas ulturus iniurias, ſuum quoque militem ad obſidionem adducit, Fontaniq; exercitij jungit: Balignio obſeſſo ſuccurrit Dux Bulionæus, miſſo Vichio veterano militum ductore, qui cum ſuis per noctis ſilentia in urbem irrepit. Hoc ſubſidio accepto terrori civibus eſſe cæpit, fiduciæ plenus quam & publicè iactitavit dicens, Navarræum cum maximis copiis brevi affuturum. Ipſe interea, ut auro ſuo parceret, *æreos nummos ſupra delineatos procudi juſſit, quibus ſtipendia militibus perſolvit, mortem civibus interminatus, ſi illos, nullius pretij nummos, repudiarent: quos finito bello ſe auro redempturum pollicebatur: quod tamen poſtea cum maximo civium damno non præſtitit.* Tandem

propu-

propugnaculo aliquo à Bourlutio occupato, & oppugnatione univerſali
...inente, Helvetij præſidiarii, qui ob ſtipendia, æreis nummis perſoluta,
...o erant alieniore, civibus ſeſe conjunxerunt: inconſulto Balignio
...onis ſignum ſuſtulerunt, effractisque portis validam Hiſpanorum &
...ummanum in Vrbem receperunt. Balignius rebus deploratis fren-
...e cum ſuis vix in arcem receperat, aliquot dierum inducias petens,
impetravit, ſed ſtatim cum Gallis abire juſſus fuit, arce Camera-
itano 9. Octob. traditâ. Ob hanc victoriam eidem ab Artheſiæ Or-
pretioſus aureo capulo gladius, cum hac inſcriptione, oblatus

ArX CaMeraCensIs, FVnteIo sVbdIta gaVdet
OCtobrIs nonâ LVCe eXCedente Tyranno.

Mercur. Gallobelg.

NVM-

Digitized by Google

NVMMVS TRIVMPHALIS ANTVERPIENSIUM: OB LIRAM, QUÆ A fœderatis Belgicis iam occupata erat, receptam, conſervatam: Anno Chriſti 1595.



EST in Brabantia Lira oppidum, tribus Antuerpiâ milliaribus diſſitum, naturâ ſituque munitum: ex quo faciles in omnem circum Regionem excurſiones fieri poſſunt, totique Brabantiæ vis inferri. Ad hanc opprimendam confæderati conſilia inierunt: miſſiſque, qui cæcæ noctis beneficio ſcalas admoverent, quâ foſſæ minus altæ. Sub auroram 14. Octob. urbem pauci ingreſſi ſunt, cæſiſque cuſtodibus portarum clauſtra effringentes, reliquam cohortem, quæ foris ſignum eventus expectabat, immiſerunt. Hi effusè admiſſi, licet aliquoties ab oppidanis, qui tum fortè numero pauciores ob evocata præſidia repellerentur, medio foro ſigna defixére. Alphonſus de Luna præfectus erat urbi, & rei novitate primum territus, ſumpto animo cum paucis portæ Liſperenſis molem occupat, adductiſque machinis bellicis ſtationem undique tuetur dolijs, carris, alijſque quæ ſe obiecerant, impedimentis hoſti aditum præcludens. Inde vicinis Antuerpienſibus, Mechlinienſibuſque nunciavit, quo in diſcrimine urbs verſaretur: qui nullâ morâ interpoſitâ, tympanæ ſonitu omnes arma capiunt, & Antuerpiæ quidem Centuriones Quindecim ad hanc ſeſe expeditionem accingunt: pauciores Mechliniæ: qui omnes in agro Lirano iuncti circa meridiem ad portam, quam adhuc Alphonſus obtinebat, convolant, adiunctiſque ſibi 150 Hiſpanis, qui ex arce Antuerpienſi acceſſerant, urbem invadunt. Octo horæ interceſſerunt, ex quo ab hoſte urbi occupata, deſperatâ iam penè ſalute, priſtinæ ſorti & incolumitati reſtituitur. Quippe enim hoſtis nec in publicum egredi, nec intra muros ſubſiſtere audebat: cedenti portarum obices obiecti erant: manentem hoſtilis mucro dilaniabat: contectum civilis furor publicum faciebat. Itaque in circumfluas foſſas præcipitem ſe dare, aut hoſtilem clementiam, quæ eâ tempeſtate immitis eſſe ſolet, experiri. *Magiſtratus Antuerpienſis, qui potiſſimum hanc ſibi gloriam vendicabat, numiſ-*

mi Centurionibus, tantiq; potiſſimum ſtratagematis ducibus, formâ, quam ſupra exhibemus, memoriæ, munificentiæq; pignus, impartivit. Lirenſis vero Senatus hanc ſervatæ urbis incolumitatem diſticho ſequenti, quod annum, menſem, & diem exprimit, celebravit, ac ſuæ curiæ frontiſpicio omnibus conſpiciendum præfixit:

HeV deCIMa qVarta oCtobrIs: ſed fata tVLerVnt;
HoſtIbVS eXpVLsIs, Capta, reCepta LIra eſt.

Petrus Opmeerus Chronographus.

Digitized by Google

NVMMI ICONICI, HONORARII, CASTRENSES: CUSI DURANTE EXPEDITIONE CONTRA Turcas ſuſceptâ, Anno Chriſti 1596. & 1597.





SIGISMVNDUS Tranſylvaniæ Princeps, ſumpto de hoſtibus ſuis, comprimis Balthaſaro Batoreo, proditorum ſuorum Principe, digno ſupplicio, per totam regionem ſuam publico edicto omnibus ac ſingulis poteſtatem facit, propriis ſumptibus ſuis arma contra Turcam ſumendi: prædam, quam ex hoſtibus referrenr, eis donans ex ſolido. Hâc Principis oblatione provocati Tranſylvani certatim ſeſe armant, & ad quadraginta millia confluunt: Danubium verſus primam expeditionem inſtituentes. Vbi in primo ſuo adventu felici auſpicio naves aliquot Turcicas, omni commeatus, merciumque genere, auro quoque & argento oneratas, invenerunt, primoque impetu ſeptem ex illis interceperunt: octava, quæ Prætoria erat, in tutum enavigavit. In his navibus inæſtimabilem penè prædam ſunt adepti: : Turcis plurimis trucidatis, ſeptem ſigna militaria ad Principem ſuum retulerunt. Partâ hâc victoriâ Tranſylvanus Temeſuarum obſedit: ſed intellecto Tartarorum ad ſua redeuntium adventu, ut â ſuis finibus eos averteret, relicto Temeſuaro, in Tranſylvaniam reverſus eſt. Idem ut res ſuas ſtabiliret, fœdus cum vicicinis provinciis Valachiâ, & Moldaviâ, maximè autem cum Imperatore Romanorum inijt. Icto fœdere varias, variis in locis, de Turcis victorias conſecutus eſt: Tergoviſtam poſt aliquot menſes captam præſidio firmavit, ac Sinanem Baſſam tertiâ vice in fugam vertit; triginta Turcarum millibus occiſis, Iennâ etiam occupatâ maximæ prædæ fit compos.

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS
HENRICI IV. GALLIARUM REGIS:
cuſus bello Hiſpaniarum Regi indicto: Anno Chriſti 1595.




REx Galliæ & Navarræ Henricus (cujus paulò prius facta mentio) videns ſe Hiſpanum expellere non poſſe Galliâ: proprias autem provincias magis quotidiè bello vaſtare, de militiâ è regno ſuo in Regis Philippi ditiones transferendo, belloque Arteſiæ, Hannoniæ, & agro Lutzenburgico inferendo, cogitabat, quò hâc ratione hoſtem regno cedere, & ſuis auxiliari cogeret. Communicato igitur cum Holandis & confœderatis ſociis conſilio, placuit, utrinque certas quaſdam copiàs eò mittere: quibus Bullionius Mareſcallus Regni cum Imperio præeſſet. Cæterùm, ne contra jura publica agere videretur, bellum adverſus Hiſpanos terrâ marique apertum denuntiare, & in finibus omnium provinciarum, ad tubæ ſonitum, exclamare juſſit; ineunte Januario. Rex Philippus hæc percipiens, ad 17. Martij ſimile edictum ſcribi, & Bruxellis publicari juſſit: bellum & omnem hoſtilitatem Gallis denuncians. Rex Galliarum, nullâ interpoſitâ morâ, Bullionæum Vicecomitem Turonium cum exercitu in Ducatum Lutzenburgenſem mittit: qui, ſociatis ſibi Philippi Naſſovij armis, Juodinum Oppidum parvo negotio occupat: nonnulla alia etiam loca, ut Montmedium, Virtonium, & La Frette, quia munita non erant, diripit. Naſſovius per eos dies in quatuor centurias equitum Regis Hiſpaniarum incidens, infeliciter cum illis conflixit; & non paucis è ſuis deſideratis, ipſe vulnere accepto cum cæteris elapſus eſt: cum propter aquarum inundationem Bullionæus ei ſuccurrere non poſſet. Qui tamen, cum poſtridie alias aliquot equitum alas ſibi obvias haberet, cum iis manum conſerens, damnum acceptum reſarcivit. *In Nummo quodnam Duellum? Struthiocameli cum Accipitre*: addito lemmate,

PRO-

PROVOCATUS PUGNO. *Eſt Regibus pluriſq́; una & vetus cauſa bellandi* (verba Saluſtij) *profunda cupido imperij, & divitiarum. Utramq́;, hôc emblemate, à ſe removet Navarræus: poſit à eâ quæ juſtitiæ proximior. Eſt juſtum namq́; bellum, cum damnum & contumeliam à te tuiſq́; arces: &, (Tullius in Milonianâ) hoc ratio doctis; neceſſitas barbaris: mos gentibus: feris natura ipſa præſcripſit: ut omnem ſemper vim, quacunq́; ope poſſent, à corpore, à capite, à vitâ ſuâ propulſarent. Hiſtoria Gallic. Belg. Author.*

NUMMUS MEMORIÆ DICATVS, CONFOEDERATORUM BELGII STATUUM:

cuſus, rejectâ pace, quam ipſis Hiſpaniæ Regis ſubditi quidam obtulerant. Anno Chriſti 1595.



STatus Belgici, qui Hiſpaniarum regi adhuc parebant, multis neceſſitatibus adducti, pacem à Statibus Holandicis petierunt: eoque tandem per literas & internuncios rem deduxerunt: ut Mittelburgi Conventus indiceretur. Legati Regij eo cum veniſſent, cum Principe Mauritio, & quos ille ſecum haberet, de pacis negotio agere cœperunt: exponentes initio, quantâ lætitiâ perfuſi ſint Ordines Provinciarum Regi parentium, cum adverſæ partis optimam de pace conciliandâ voluntatem intellexiſſent: ideoque ſe comparuiſſe, ut nomine Regis, & Provinciarum eius imperium adhuc agnoſcentium, in colloquium venirent cum fœderatis, quibus conditionibus pax componi poſſet. Ad quæ Mauritius: Confœderatorum voluntatem ac mentem à pace, cum ipſis Provinciis ineundâ, non abhorrere; non autem cum Rege Hiſpaniarum, quem omninò excluſum velint, propterea quod aliis Principibus ſint confœderati. Quin etiam ſe non ignorare Regis animum adeò in confœderatos exacerbatum: ut iniuriæ ſibi illatæ memoriam nunquam ſit depoſiturus. Regij cum multis argumentis docuiſſent, iniquam eſſe Ordinum de Rege excludendo poſtulationem, excepit Mauritius, poſtremam hanc Confœderatorum definitionem eſſe: cum Rege pacem non faciendam. Quod hic conventus habeatur, id eo fine fieri, ut Provinciæ Belgicæ omnes ſimul conſerventur, nec aut per Gallos, aut per alios ſeparentur. Et ſi Ordines regis Imperio ſubditi, bonâ fide in pacis deliberationem venire cupiant, Confœderatos nunc etiam ad pacem propenſos eſſe ſibique nil gratius fore, quam ut bellum in otium, tranquillitatem, & amicitiam convertatur. Legati Regij cum negarent, ſe alia mandata habere, quam ut de pace inter Regem ſuosque ſubditos & confœderatos tractaretur, ſoluto congreſſo ad ſuos quisque redijt. Ordines, quoties pacem denegarunt Hiſpano, toties ferè populo ut diſpaleſceret, voluerunt: commodiſſimè nummis percuſſis id fieri poſſe exiſtimantes. *Cum itaq; rurſus conclamatum eſſet pacis ne-*

cis negotium: milite excubitore in turri collocato: protensâ trullâ ferreâ: armato leone ſuo Batavico ſignificant: nihil minus Hiſpano prodeſſe: nihil magis rationibus ſuis conducere: quam exploſo amicæ compoſitionis fuco, bellum continuare: quod ſub illo, venum hoſti exponantur: ſub hoc, tranquillioris ſtatus beneficio perfruantur ſine cura, ſineq; metu. Ex *Hiſtoria. Gallicobelg. Author.*

Digitized by Google

CUSI REBUS FELICITER GESTIS IN VNgaria: ereptoque Turcis Strigonio: Anno Chriſti 1595.



CArolus Mansfeldius, Comes Petri Erneſti filius, cum multos annos Regibus Hiſpaniarum & Galliarum fideliter militaſſet, eam nominis ſui famam atque celebritatem excitavit, ut Rudolffus Imperator cum licentia Regis è Belgio in Vngariam evocatum, conſuetis ceremonijs Equitis Aurati dignitate & titulo Principis Imperij inſigniverit, Vicariumque Archiducis Matthiæ (qui ſupremus exercitus Cæſarei adverſus Turcas Imperator conſtitutus erat) creaverit. Is militis, ex hybernis collecti, ſigna recenſet, auctusque ſuorum, quos è Belgio adduxerat numero, ad Wiſelburgum caſtrametatur: Iaurinum paucis comitatus luſtrat, ac obſidionem eius moliri ſeſe ſimulat. Vtque firmiorem ſimulationi fidem faceret, locum figendis caſtris deſignat, cunctosq; ſigno dato, operi manus admovere imperat. Ipſe etiam primus ligone terram fodit, & nunc in medio, nunc circa finem munimẽta excitantibus adeſt. Nobiles aliquot cum iniunctum ſibi opus detrectarent, & ligneos faſciculos, Ducis ſui exemplo, comportare ad aggeres erigendos recuſarent, unum, ut erat veſte armisque indutus, è propinqua arbore ſuſpendi iubet: quæ ſeveritas deinceps promptos & alacres, cuiusvis etiam ordinis alios, reddidit. Turcæ repentinâ obſidione territi, præſidio undique evocato, Iaurinum cum ampliſſimo commeatu contendunt: dũ Carolus nocte mediâ celeriter Strigonium, iam præſidio vacuum, movit: diſpoſitisque caſtris, ne, qui exceſſerant Iaurinum ocyus redirent ad urbem, munitiones Marte ſecundo, iuncto pontibus Danubio, expugnat. Eâ rerum facie territi oppidani, quique arcem tenebant, Sinani, quo diſcrimine premerentur, denunciant. Sinanes ſe non paſſurum aiebat, ut propugnaculum, quod 50. annis obtinuerant Turcæ, ſe vivo occuparetur. Numero igitur ſuorum confiſus ad caſtra pervenit, eadem uno impetu obruturus. Venerat opportunè ad Carolum Ioannes Medices, Florentiæ Dux,

cum

Digitized by Google

cum expeditis Italorum turmis: qui collem, qua hoſti tranſeundum, occupavit, tormentisque munivit. Sed & Schwartzenburgius Germanicâ legione machinisque campeſtribus alias inſuper fauces obſedit, locisque aptis inſidias diſpoſuit. Ergò ad ulteriora Sinanes pervenit, validaque manu in diſpoſitos caſſes ingreſſus, utrinque expeditioribus locis impeditus fuit, ita ut non ſine crudeli iactura ex anguſtiis ſe retrahere potuerit. Inde ad alias ſtationes: quas Walones propugnabant, devenit: qui primò quidem non contemnenda difficultate preſſi, dum reliquus ſuperveniret exercitus, & iam utrinque collatis ſignis univerſa coirent agmina: poſtmodum tamē virtute ſua hoſtem ſuperarunt, proſtratis 50. millibus, inter quos Oſmanes Baſſa Iaurienſis cum ſex Begis repertus fuerat: ſignis militaribus viginti: ſeptem tormentis campeſtribus: triginta ſex & duobus Begis captis: caſtrisque univerſis ingenti cum præda in poteſtatem ſuam redactis. E chriſtianis vix 50. cæſi periêre. Carolus dum Strigonii deditionem petit, infirmitate compulſus, Comorram ſecedit, ubi 14. Auguſti dyſenteriâ extinguitur in ipſo gloriæ limine, annos natus LII. Inteſtina Comorræ, pompâ Principe dignâ terræ mandata: Cadaveris reliqua in Belgium tranſmiſſa ſunt. Non minus verò calidè, mortuo Principe Mansfeldenſi, ad Strigonium



res geritur: cumprimis oppidum inferius ſeu aquaticum tribus diverſis locis oppugnatur. Legioni Bavaricæ prima impreſſio ſortè obtigerat, quæ, cum cedere cœpiſſet, Suevici pedites illis ſubvenerunt: maximum ſepimētum convulſerunt: foſſas impleverunt: omnia impedimenta ſuſtulerunt: Turcarum impetum eousq; ſuſtinuerunt, donec ſex ſigna Burgavica ſuccederent. Ioannes Medices cum Italis ſuis omnibus locis aderat, feſſisque recentes milites ſubſtituebat: ipſe cominus eminusque pugnans, nunc ducis, nunc gregarij militis munere fungebatur. Hunc ad modum cum arx

Digitized by Google

NVMMVS SOCIALIS

REGINÆ ANGLIÆ, GALliæ Regis & Statuum confœderatorum Belgij: cuſus poſt Caletum ab Hiſpaniæ Rege captum, Anno Chriſti 1596.



OCcupatò ab Hiſpanis Caletò ingens terror, nec immeritò Anglos invaſit: ſiquidem hoſtem infenſiſimum iam ſuis incumbentem littoribus in conſpectu haberent: eique hanc opportunitatem oblatam viderent: ut claſſem quam in Hiſpania conſtruebat; ſecurius emittere, & à tempeſtate pariter, atque impetu hoſtili defendere poſſet, in portus huius ſinum receptam. Non minus interim Heroina Angla cum ſuis ad reſiſtendum ſeſe parat: & quia periculum ab Hiſpano impendere Gallos quoque, & Belgas concernere videbatur, ad fœdus ineundum eos ſolicitat: paratos invenit. Concipiuntur confœderationis aliquot capita quæ Regis Vicarius Mareſchallus Turrenius in Angliam traijciens à Gallis inviolata fore, iure iurando ſancit: viciſſim Comes Salebrienſis Rhotomagi Eliſabethæ nomine eodem ſacramento fidem devicit: inque arctioris nexus ſymbolum Ordinis Poplitarij cingulum Regi offert. His ordines Batavorum non ægrè ſe jungunt: cum rebus ſuis præclarè conſultum animadverterent, ſi vires Hiſpani quaqua verſus alliderentur. *Atq; hoc vinculũ illud arctum eſt, tenax, indiſſolubile, quod nummi facies antica monſtrat: poſtica neq; conatibus hiſce ceptiſq; præclaris defuturum Iehovam arguit: ſed di-*

NVMMI OBSIDIONALES

DVRANTE OBSIDIONE CAMERAcenſi à Balignio cuſi: Anno Chriſti 1595.





CAmeracum libera civitas, & imperio ſubjecta tempore benè longo Archiepiſcopo, qui ſe Ducem Cameracenſem ſalutari voluit, parebat: usque dum Incius arcis præfectus, motâ ſeditione, hunc ipſum Archiepiſcopum Ludovicum Barlaymontium ex urbe ejecit, Franciſci Alanzonij ſeſe virib. muniens, in cujus poteſtatē urbs tandē pervenit Anno Chriſti 1581. Incio poſtea à quodam ruſtico glande trajecto, Alanzonius Joannem Monlucium Dominū Balignium Epiſcopi Valentiæ nothum, & urbi & arci præeſſe voluit: qui mortuo Alanzonio Reginæ imperium eludens, & tyrannidem arripiens, vitæ necisque poteſtatem in cives ſibi vindicavit: in multos ſuppliciis graviſſimis ſævijt: proventus ac vectigalia in proprios uſus convertit. Vocatus ad Comitia ab Henrico III. non comparuit, metuens inſidias: Civili bello Gallico confœderatis ſe addixit: rurſus multis corraſis opibus; ad Navarræum tranſijt: à quo Princeps Cameracenſis creatus, fortunæque ſecundæ flatu inſolentior factus, Atrebates & Hannonios ferro flammâque infeſtare cœpit. Fontanus, precibus Barlemontij exulis & vicinorum motus, Cameracum obſedit: Balignium, inopinatâ obſidione conſternatum, Ludovicus Gonzaga Dux Nivernenſis tranſmiſſo ad eum, cum aliquot equitum cohortibus, filio non parum recreavit. Interim verò Princeps Chimæus publicas ulturus injurias, ſuum quoque militem ad obſidionem adducit, Fontaniq; exercitij jungit: Balignio obſeſſo ſuccurrit Dux Bulionæus, miſſo Vichio veterano militum ductore, qui cum ſuis per noctis ſilentia in urbem irrepit. Hoc ſubſidio accepto terrori civibus eſſe cœpit, fiduciæ plenus quam & publicè jactitavit dicens, Navarræum cum maximis copiis brevi affuturum. Ipſe interea, ut auro ſuo parceret, *æreos nummos ſupra delineatos procudi juſſit, quibus ſtipendia militibus perſolvit, mortem civibus interminatus, ſi illos, nullius pretij nummos, repudiarent: quos finito bello ſe auro redempturum pollicebatur: quod tamen poſtea cum maximo civium damno non præſtitit.* Tandem propu-


Digitized by Google

NVMMVS TRIVMPHALIS ANTVERPIENSIUM: OB LIRAM, QUÆ A fœderatis Belgicis iam occupata erat, receptam, conſervatam: Anno Chriſti 1595.



EST in Brabantia Lira oppidum, tribus Antuerpiâ milliaribus diſſitum, naturâ ſituque munitum: ex quo faciles in omnem circum Regionem excurſiones fieri poſſunt, totique Brabantiæ vis inferri. Ad hanc opprimendam confæderati conſilia inierunt: miſſisque, qui cæcæ noctis beneficio ſcalas admoverent, quâ foſſæ minus altæ. Sub auroram 14. Octob. urbem pauci ingreſſi ſunt, cæſisque cuſtodibus portarum clauſtra effringentes, reliquam cohortem, quæ foris ſignum eventus expectabat, immiſerunt. Hi effusè admiſſi, licet aliquoties ab oppidanis, qui tum fortè numero pauciores ob evocata præſidia repellerentur, medio foro ſigna defixére. Alphonſus de Luna præfectus erat urbi, & rei novitate primum territus, ſumpto animo cum paucis portæ Liſperenſis molem occupat, adductisque machinis bellicis ſtationem undique tuetur dolijs, carris, alijsque quæ ſe obiecerant, impedimentis hoſti aditum præcludens. Inde vicinis Antuerpienſibus, Mechlinienſibusque nunciavit, quo in diſcrimine urbs verſaretur: qui nullâ morâ interpoſitâ, tympanæ ſonitu omnes arma capiunt, & Antuerpiæ quidem Centuriones Quindecim ad hanc ſeſe expeditionem accingunt: pauciores Mechliniæ: qui omnes in agro Lirano iuncti circa meridiem ad portam, quam adhuc Alphonſus obtinebat, convolant, adiunctisque ſibi 150 Hiſpanis, qui ex arce Antuerpienſi acceſſerant, urbem invadunt. Octo horæ interceſſerunt, ex quo ab hoſte urbi occupata, deſperatâ iam penè ſalute, priſtinæ ſorti & incolumitati reſtituitur. Quippe enim hoſtis nec in publicum egredi, nec intra muros ſubſiſtere audebat: cedenti portarum obices obiecti erant: manentem hoſtilis mucro dilaniabat: contectum civilis furor publicum faciebat. Itaque in circumfluas foſſas præcipitem ſe dare, aut hoſtilem clementiam, quæ eâ tempeſtate immitis eſſe ſolet, experiri. *Magiſtratus Antuerpienſis, qui potiſſimum hanc ſibi gloriam vendicabat, numiſ-*

NVMMI ICONICI, HONORARII, CASTRENSES: CUSI DURANTE EXPEDITIONE CONTRA Turcas ſuſceptâ, Anno Chriſti 1596. & 1597.



SIGISMVNDUS Tranſylvaniæ Princeps, ſumpto de hoſtibus ſuis, comprimis Balthaſaro Batoreo, proditorum ſuorum Principe, digno ſupplicio, per totam regionem ſuam publico edicto omnibus ac ſingulis poteſtatem facit, propriis ſumptibus ſuis arma contra Turcam ſumendi: prædam, quam ex hoſtibus referrent, eis donans ex ſolido. Hâc Principis oblatione provocati Tranſylvani certatim ſeſe armant, & ad quadraginta millia confluunt: Danubium verſus primam expeditionem inſtituentes. Vbi in primo ſuo adventu felici auſpicio naves aliquot Turcicas, omni commeatus, merciumque genere, auro quoque & argento oneratas, invenerunt, primoque impetu ſeptem ex illis interceperunt: octava, quæ Prætoria erat, in tutum enavigavit. In his navibus inæſtimabilem penè prædam ſunt adepti: : Turcis plurimis trucidatis, ſeptem ſigna militaria ad Principem ſuum retulerunt. Partâ hâc victoriâ Tranſylvanus Temeſuarum obſedit: ſed intellecto Tartarorum ad ſua redeuntium adventu, ut â ſuis finibus eos averteret, relicto Temeſuaro, in Tranſylvaniam reverſus eſt. Idem ut res ſuas ſtabiliret, fœdus cum vicicinis provinciis Valachiâ, & Moldaviâ, maximè autem cum Imperatore Romanorum inijt. Icto fœdere varias, variis in locis, de Turcis victorias conſecutus eſt: Tergoviſtam poſt aliquot menſes captam præſidio firmavit, ac Sinanem Baſſam tertiâ vice in fugam vertit; triginta Turcarum millibus occiſis, Iennâ etiam occupatâ maximæ prædæ fit compos.



Non minus Invictiſſimus Imperator Rudolffus II. cum variis literis, nuntiis, exploratoribus, & captiuorum confeſſionibus intellexiſſet, Sultanum Turcicum omnia iterum ad bellum parare, ipſe quoque, quâ potuit celeritate & diligentiâ, arma, auxilia, & pecuniam undique in futurum bellum conquiſivit: nihilque non fecit, quo teſtaretur, ſibi unicè curæ cordique eſſe, ne ſe imparatum aut negligentem hoſtis inveniret. Placebat etiam Cæſari, totiusque Imperij Proceribus: ut Archidux Maximilianus exercitui ſummo cũ Imperio præeſſet. De legato ſeu vicario illi dando nonnihil diſceptatum fuit, plærisque tandem eam in ſententiam abeuntibus, ut Dux Ferrarienſis, id quicquid eſt muneris, obiret hâc conditione, ut Italorum octo millia ſecum in Vngariam adduceret, eosque ad tempus ſuis expenſis aleret. In huius ergo expeditionis memoriam Cæſar ſupra delineatum nummum conflari iuſſit, boniqúe omnis loco offerri ijs voluit: quorum iam pridem in bello hoc ſacro virtus atquę integritas emicuiſſet.



Digitized by Google

Maximilianus Archidux, factus huncadmodum Cæſariani exercitus Imperator,adjunctis ſibi Sigiſmundi Principis Tranſylvaniæ, & Chriſtophori Baronis Teuffenbachij copiis,in eo totus erat,ut Chriſtianis Agriæ obſeſſis auxilium ferret: verùm continuis pluviis,atque inde itinerum difficultatibus impeditus,ad arcem jam ab hoſtibus occupatam, ſerò nimis pervenit. Mox ergo in conſpectu Turcarum caſtris poſitis, quotidiè leves fiunt excurſiones,donec 21. Octobris res ad juſtum prælium protracta fuit. Chriſtiani enim in Turcarum cuneos, qua confertiſſimi erant, irruentes, dileċtis ordinibus, univerſam aciem perrumpunt; fugientibus machinas eripiunt: inde prædæ intenti relictis ſignis caſtra pervagantur. Cicala Mamaluccus,cum pabulabundos videret, recentibus copiis in eos illatus, prædâ graves ſternit, fugat,cædit: atque ita pulcherrimam è Chriſtianorum manibus victoriam extorquet. Multa millia utrinque in hoc conflictu ceciderunt, Turcarum tamen cæſorum major fuit numerus. Non multò poſt etiam Nicolaus Palfyus Baro,arcem Ungariæ Tottam, portâ noctu tormẽtò Petartæ ruptâ & effractâ,ſine ullâ ſuorum clade expugnavit, & præſidiariis promiſcuè trucidatis,recuperavit. Hæc ad Hiſtoriam: nummos Emblematis exornatos paucis attingo. *Pio more* (ſæpius dixi) *fit à Principibus:ut præcipuum in periculis bellicis auxilium à Deo flagitent,expectent. Confiſa eodem Aquila Romana telum unguibus librat: mox in Turcas, quorum exitium meditatur, idem contortura. Leo,quem in Nummo ſequenti vides,Maximilianus eſt, qui (verbis hic potius Clariſſimi Jacobi Typotij, quam meis utar)* in captivitate etiam retinuit



animum invictum, & miſſis, à quibus erat vocatus in regnum, attractus in carcerem,Turcis,quos non injuria fortes appellat animo Leonino ſeſe objecit toties,majori virtutis, quam fortunæ gloriâ. *Ad characteris alterius explicationem partim illum Propertij verſiculum aſſumas, licet:*

Frangit & attollit vires in milite cauſa:
Quæ niſi juſta ſubeſt,excutit arma pudor.

vel illa,modo à nobis laudati Typotij,verba. Myſticè Pallas frangit hoſtem, id eſt ſapientia: cujus illa præſes eſt: temeritatem in dictis & factis tollit: & attol-

Digitized by Google

NVMMI MEMORIÆ SACRI AC TRIUMPHALES

CVM STATVVM BELGII, RENOVATO inter ſe fœdere: tum Mauritij Naſſovij, partâ ad Tornhautum victoriâ, oppidisque aliquot receptis: Anno Chriſti 1596 & 1597.



F*amiliare ac tralatium erat Belgicis ordinibus, fune arctius contorto, ſeu Nodo quodam Gordio adumbrare: quam ſolido inter ſe fœderis ac ſocietatis vinculo colligati, ad mutua ferenda auxilia, rebus ſic poſcentibus, teneantur. Characterem ſimilem nummus præfixus refert*; quem licet anno ſuperiore percuſſus ſit, hic apponere placuit. Monent namque Belgæ hoc ſymbolo, *vix fieri poſſe, ut divellantur eorum animi, aut vires ſupprimantur: qui ſervitutem lethò peius oderint: proq; patriâ, cauſaq; bonâ mortem oppetere pulcherrimum eſſe augurium arbitrentur.* Hoc certè animo Princeps Mauritius ſub initium anni 1597. ad facinora nova, Belgis ſuis edenda, ſe accingit.





NVMMI FELICIS AVGVRII, CUSI CHRISTIANO IV. IN DANIÆ Regem electo, coronato: Anno Chriſti 1597.



FRidericus Daniæ Rex, cum Anno Regni trigeſimo, ætatis verò quinquageſimo ſexto, à nato Chriſto 1588. Anderſoæ in Selandia fatis concederet, è Sophia, Ulrici Ducis Megapolitani filiâ, ſeptem reliquit liberos: Chriſtianum, Ulricum, Joannem, Eliſabetham, Annam, Auguſtam, Hedwigen: è quibus Chriſtianus Quartus puer undecennis patri in regno ſucceſſit, adjunctis illi è Senatu Regni quatuor conſiliariis præcipuis; Nicolao Kaas Cancellario: Georgio Roſenkrantz / Petro Munck Amiralio: Chriſtophoro Walckendorph Theſaurario: penes quos ſumma conſiliorum ac gubernationis, donec Rex adoleſceret, authoritas eſſet. Cum verò jam Chriſtianus pleniores ingreſſus eſſet adoleſcentiæ judiciique annos, adminiſtrationem Regni, hæreditariumque Provinciarum ipſe adire, & in ſe ſuſcipere decrevit. Convocatâ igitur omni nobilitate, cum inſigni equitatu in Ducatum Sleſwicenſem profectus Septemb. die 10. Flensburgũ nobile emporium ad Eoum mare ingreſſus, poſtridie Regni Ordines in arce convenire juſſit; in quorum conſeſſu hujus conventus cauſam animique propoſitum de Regno

adminiſtrando declaravit: immunitates, privilegiaque ſingularum Provinciarum ſolenni jurejurando confirmavit, omniaque fecit, quæ à Regibus novis ſolent poſtulari. Quibus peractis nobilitas cæteríque ordines fidem ſuam Regi viciſſim, interveniente ſolenni jurejurando, obſtrinxerũt, tandemque Chriſtianum Regem ſuum maximâ cum ſolennitate, gaudio, & pompâ renuntiarunt. Intererant huic tam celebri inaugurationi Regina mater vidua: Ulricus Dux Megapolitanus; Henricus Julius Dux Brunſuicenſis, eiusque uxor Chriſtiani Regis ſoror, alijque proceres, & primarij Regni Senatores. *Nummi eâdem feſtivitate percuſſi typos elegantes habent: Epigraphes elegantiores.* Quid *Elephas* in priore ſignat? quid *armatis hominibus referta turris? vexillum* quid *exertum? Num firmius præſidium reponent Reges ac Regna in vero Dei timore, cultu, veneratione: quam militum manu? quam Elephantũm robore? Num pietatem, Elephanti ſymbolo, prudens expreſſit antiquitas: quod id genus animalis*, Solino teſte, *Luna ſplendente gregatim amnes petit: mox aqua reſperſum, Solis exortum certis geſtibus ſalutat: inde ad ſuos ſaltus revertitur? Ut ut ſit*, PIETATEM *inculcat Rex Sereniſſimus, quæ* REGNA FIRMAT. FIRMAT, *quod Pallas, quæ eſt prudentia* (nummum alterum intuere) *nullâ inſtructâ pietate, cæca eſt partim, ac fatua: partim in artes illas Doctoris Florentini prona: ſpernere religionem: fortunam pro Deo habere: fallere, ſimulare, peierare, ſi proſit.* FIRMAT, *quod manſuetudinem inſtillat: jubet ut juſticia clementiâ temperetur*, DORMIAT GLADIUS, *usq; dum vel inſanabilis hominum malitia, vel extrema hoſtium injuria vigilare eum atq; ferire jubeat.*

Digitized by Google

NVMMVS IRENICVS CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. PACE cum Cæſare Eſtenſe factâ: cuſus Anno Chriſti 1598.



ALphonſus Ferrariæ Dux, cum heredem non haberet, jam pridem cum Pontifice & Cardinalium collegio, magnâ vi pecuniæ repræſentatâ egerat, ut Cæſari Eſtenſi, fratris ſui filio notho, ſucceſſio dignitatis confirmaretur. Voto ſuo excidens author Cæſari fuerat, ut prius omnia tentaret, quam ditionibus opulentiſſimis ſeſe deijci pateretur. Mortuo itaque Alphonſo pro Duce ſe gerit: & populum in ſua verba adigit: cumque facilè intelligeret à Pontifice ſe interpellatum iri, magnam vim annonæ Ferrariam importat: præſidia diſponit: undique auxilia conquirit. Pontifex de his certior factus, purpuratis rem exponit, qui edicto Cæſarem Romam venire jubent.



Cæſar cum dicto non parêret, ſed ad vim ſe pararet, opulentiſſimâ hæreditate hominis per ſe generoſi ſpiritus augente: Pontifex annua primum ſpiritualia expedit, eumque excommunicationis fulmine percutit: inde exercitum quā celerrimè cōſcribi mandat. In vicinis Italiæ Principibus varij animorū motus extitêre: quibusdā huic, aliis alteri parti, modò apertè, modò occultè faventibus: tandem verò plærorumq; ſtudiis, ad Pontificē juvandum, inclinantibus. Interea Cæſar pecuniâ cum Pontifice decidere tentat: miſſis Romam, qui cum eo tranſigerent Legatis. Verum cum nihil proficeret, ad arma perventum eſt, ſed unus tantum cōflictus ad Bononiam editus, in quo ex utrâque parte nonnulli, ſed è Pontificiis aliquantò plures cecide-

Digitized by Google

ceciderunt. Cæſar tandem ſecum cogitans, quam in ancipitem ſe Martis aleam dimiſſurus eſſet, cui non cum Pontifice tantum, verum etiam multis aliis potentiſſimis Principibus bellum eſſet gerendum: de pace ſeriò cogitare cœpit: à quâ nec Pontifex abhorruit, metuens, ne incendium hoc in media Italia excitatum, latius ſerperet. Miſſis ergo ultrò citroque legatis, reque multum diſceptatâ, in certas conditiones conventum fuit, quas inter haud poſtrema, ut Pontifex Rom. Ferrariam haberet: Cæſar, Regium Lepidi, Mutinam & alias urbes retineret: qui etiam à Rudolpho Imp. Princeps Imperij, & Dux Regij, Mutinæ & Carpi, eodem transactionis tempore creatus fuit. *Typum Emblematis Pontificij nemo non ductum videt è Pſalmo 85.* Audiam, *cum inquit vates Regius*, quid loquatur DOMINUS DEUS: quoniam loquetur pacem ad plebem ſuam: ut miſericordia & veritas obveniant ſibi: juſtitia & pax oſculentur ſe. *Ex Merc. Gallico Belg. Author.*

NVMMI HONORARII RUDOLPHI SECUNDI IMPERATORIS, & Matthiæ Archiducis Auſtriæ: Cuſi in Comitiis Ratisbonenſibus, Anno Chriſti 1598.



CUM amiſſis Jaurino & Agria, Rudolphus II. Imperator, quanto in diſcrimine non ſua tantum regna, verum etiam univerſa Reſpublica Chriſtiana verſaretur facilè intelligeret, Comitia Ratisbonam indicit: miſſo eò Matthiâ fratre, cum egregio præclariſſimorum virorum comitatu. Ubi cum Ordinum legatis prolixâ oratione exponeretur, ingētem vim pecuniæ ſuperioribus annis in apparatus bellicos abſumptam: multò minores eſſe copias, quam quibus aperti certaminis alea, contra tantam hoſtium multitudinem committi poſſet: dum æſtivis tantum menſibus ſub ſignis miles haberetur, multos plærumque rei præclarè gerendæ elabi occaſiones: contra hyeme, ubi iam omnia gelu obriguerunt, pabuli inopiâ hoſtibus ad interiora regionum compulſis, multas utiliter ſuſcipi perficiq; expeditiones poſſe, tandem ſumma petitionis eò rediit, ut quinq; proximis annis ſingulis tricenum menſium auxilia ſtatus penderent: duodecim peditum: quatuor equitum millia parata haberent: quibus, veluti ſubſidiariâ cohorte, & exercitus ſuppleri, & fortè offenſione acceptâ ingruenti periculo obſiſti, partâ verò victoriâ hoſti inſiſti, ac bellum latius ſpargi poſſit. Ab iiſdem ſtatibus petitum, ut Viennæ & hoſtibus vicinæ, & neceſſariò ad defenſionem apparatu, tot ex-

peditioni-

Digitized by Google

NVMMI IRENICI HENRICI IV. GALLIARUM NAVARræque Regis: factâ pace cnm Philippo II. Rege Hiſpaniarum; cuſi: Anno Chriſti 1598.



DVm Belgii pacandi rationes ineuntur, matrimoniiſque inter Archiducem Albertum (qui Cardinalis habitu depoſito ad ſecularem paulò poſt redierat) & Iſabellam Hiſpaniarum infantem leges ſcribuntur: Clemens VIII. Pont. Maximus in pacem Gallicam faciendam magno ſtudio incumbit. Non enim mutuis tantum inter ſe cladibus florentiſſimæ regiones atterebantur: ſed univerſæ Chriſtianæ Reip. civilibus diſcordiis convulſæ ruinam & interitum moliebatur immanis ille Aſiæ Tyrannus. Ita Pontifice ſequeſtro, internuntio Bonaventurâ Calatagirone Ordinis Franciſcani miniſtro generali, de utriuſque Regis conſenſu dies dictus eſt Veruini in Veromanduis, ubi de pace tractaretur. Sancita pax menſe Junio Lutetiæ Pariſiorum, inque aliis Galliæ locis: in Hiſpania, Belgio & Sabaudiâ magnâ ſolennitate, & incredibili penè omnium lætitiâ promulgata eſt: licet in eam Regina Angliæ, & confœderatæ Belgici provinciæ non conſenſerint. *In nummo inferiore Pax alma laudis ſacrificium Deo peragit: conjecto in ignem annulo, qui fidei hieroglypton: ut & circulus ſymbolum æternitatis.*

Superiores aliàs à nobis explicati.

Author.

NVMMVS TRIVMPHALIS.

IAVRINO CASTRO A CHRISTIANIS recuperato, Anno Chriſti 1598.



ADolphus Schwartzenbergius Baro laude bellicâ celeberrimus, viris rei militaris peritiſſimis aſſumptis, aliiſque rebus neceſſariis adhibitis pulcherrimum facinus aggreditur. Comorrâ profectus Danubium cum univerſis copiis trajecit præmiſsâ parte equitatus, quæ iter exploraret: obvios interciperet. Cum jam haud procul à Jaurino abeſſent, conſilium ſuum de caſtro tentando aperit: Fabacurtio mandat, ut machinarũ unâ clatros ligneos, qui ante portam, effringat. Caujaco negotium datum, ut majorem machinam quam poſſet occultiſſimè admoveret, ejusque vi foribus portæ disjectis aditum patefaceret. Inde locus cuique deſignatus, ad quem ſe, oppido occupato, reciperet. Ex Huſſaris quinque Turcici Idiomatis periti ſubornantur, quibus Turcarum res ſatis cognitæ eſſent. Eos Turcæ excubitores inclamant: reſpondent Budâ ſe venire, & literas ad Araonis Agæ Budenſis ſponſam, aliaque nonnulla in mandatis habere: pontem ergò dimitterent, quo, ab hoſtibus Chriſtianis tuti, commeatus ante lucem importari poſſent, callidè hâc ratione Turcis imponentes. Cæterum caligo denſa, è Danubio aſcendens, ita cœlum texit; tantaque vis venti exorta fuit, ut omnem ſtrepitum adventantis exercitus à Turcarum auribus avertit. Noſtri muros oppidi ſubeunt: pontem demiſſum præter ſpem reperiunt: mox magnâ cum celeritate machinam ad portam interiorem (exterior enim, quod clauſa non fuiſſet, ad primam noſtrorum manum patuit) admovent. Ibi demum vigiles, quid ageretur, animadvertentes clamorem edunt, & ſclopetorum ictibus, tres è noſtris conficiunt. Cum enim ingenti cum fragore porta diſſiliiſſet, aditumque noſtris præbuiſſet, mox effuſi noſtri in urbem milites, obvios quosque contrucidant: loca munita & tormenta capiunt: reliquas portas obſident. Hinc Turcæ ſubitò tumultu lectulis ſuis exciti, trepidare, diſcurrere, inermes, ſeminudi arma capere: illinc noſtri pertinaciſſimè pugnantes cedere, fugientibus inſtare, non ſexui, non ætati parcere. Quinque duravit horas hic conflictus, in quo tantâ contentione

à no

à noſtris pugnatum eſt, ut arma fruſtrà experti Turcæ, ultrò noſtris mactandos ſe catervatim obiicerent. Inprimis Baſſa Vrbi Præfectus, utrâque manû acinacem vibrans, vitam cum armis projecit, cujus caput abſciſſum, in loco maximè conſpicuo defixum fuit. Trecenti circiter Janizari, in munimentum aliquod, in quo magna vis pulveris aſſervabatur, ſeſe abdiderant inde cum extrahi non poſſent, & noſtri ad eos conficiendos confertim accurrerent, eorum quidam, pulvere incenſo, ſe ſuosque eâdem cum hoſtibus flammâ involverunt. Partâ victoriâ Schwartzenbergius prædam omnem comportare jubet, ſed mandato Cæſaris (præter tormenta, & apparatum bellicum) in milites diviſa fuit.

Mercur. Gallobelg.

Digitized by Google

CUSI JUNCTIS ALBERTI ARCHIDU-cis, & Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Hiſpaniarum Infantis: Philippi itidem III. Hiſp. Regis, & Margarethæ Auſtriacæ connubiis: Anno Chri-ſti 1598.



HIſpaniarum Rex Philippus Secundus, cum pacandi Belgij vix ulla alia ſpes ſupereſſet, conſilium, quod de Belgicis rebus cæperat, literis ſuis Brabantiæ primum: inde aliarum ditionum Ordinibus aperiendum cenſuit: videlicet ut Belgicas Burgundicasque Provincias filiæ ſuæ traderet, eamque Alberto Archiduci, tum Cardinali & Archiepiſcopo Toletano de Pontificis conſenſu & diſpenſatione, in matrimónium elocaret: quod etiam Philippus III. Hiſpaniarum comprobavit. Monet igitur omnes & ſingulos ordines, ut Alberto & filiæ ſuæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, tanquam Magiſtratui ſuo legitimo, pareant, & debitam utrique obedientiam præſtent.

Non



Non minus Rex idem de Filij Principis Philippi matrimonio ſolicitus, nurum ſibi eligit Margaritam, Caroli Archiducis filiam: petens, ut eam Albertus in Hiſpaniam deduceret, ibique geminis celebratis nuptiis, ſuam inde ſponſam infantem, in Belgium transportaret. Albertus in Hiſpaniam cogitans, profectionis initium religioſè auſpicatur. Omnibus namque ad iter comparatis ad Hallenſem Virginem ſalutandam conceſſit, & de bono ac felici itineris ſucceſſu eam comprecatus, Cardinalatus ſui habitum ibidem depoſuit. Cæterum in ipſo penè itineris procinctu nuncius eum de morte Regis oppreſſit: ſed nihilominus progrediendum ſibi ratus, per Niveliam & Namurcum, Luxenburgum contendit. Hinc per agrum Trevirenſem, Palatinum, Wirtenbergicum in Bavariæ fines: inde ad Tirolenſem Comitatum pervenit: quacunque tranſierat, munificè hoſpitaliterque exceptus. Oenipontem tranſvectus, & aliquot milliaria progreſſus, Margaritæ Auſtriacæ occurrit, quæ cum matre Mariâ Bavarâ, & quingentorum hominum comitatu, è Pannonia ſuperiore venit. Conjunctis itaque copiis Tridentum petentes, Venetorumque ditiones prætergreſſi, reliquum, quod ſupererat ad Ferrariam iter, multis paſſim civitatibus luſtratis, perficiunt. Ferrariæ Pontifex Clemens VIII. primò Albertum Archiducem Auſtriæ, nomine ac mandato Philippi III. Regis Hiſpaniæ, cum Margaritâ novâ Reginâ: Duciſiam verò de Seſſa, nomine ac mandato Iſabellæ, cum Alberto Archiduce Auſtriæ: ſummâ ceremoniarum feſtivitate conjungit ac copulat: pompâ nuptiali tridui ſpatio, plurimorum ſpectaculorum varietate, ſplendidiſſimè peractâ. Poſt celebratas imaginarias haſce nuptias, Mantuam: Mantuâ per Cremonam Mediolanum contendunt, iter hîc ſuum aliquandiu inhibituri, donec, quid Rex fieri vellet,

Digitized by Google

cognoſcerent: & navigationi commodum tempus redderetur. *Dum* itaque *Mediolani commorantur, Velaſchius Reipublicæ illius Gubernator, præter alia obſervantis humilisq́; ſtudij officia, Reginæ ſuæ portam honorariam excitari curat: additâ commorationis causâ: quod ibidem aliquandiu ſubſiſtat, dum* LENES AUSTRI SPIRARE *incipiant. Sic Hiſpaniam anhelabat ſponſa Margarita: Sponſus Philippus calido Sponſæ torquebatur deſiderio: idq́; ipſum, non niſi ſpe appropinquantis adventus eius; reſtinguebat. Anchora* in nummo *ſpei ſymbolum: corolla, futuri nuptiarum ſacri.* Nummus Alberti *Jaſonem repræſentat,* VELLUS AUREUM *aufferentem: Dracone ſubjugato ſemper vigili, & tauris ignivomis edomitis. Vſurpare Emblema hoc cæpit, poſteaquam* ASSIDUITATE *ſuâ rebusq́; in Belgio & Vngariâ præclarè fortiterq́; geſtis, promeruerat: ut, cum maximi Regis filiâ, Ducatu Burgundico, Provinciisq́; Belgicis donaretur.*

Caſp. ab Ens. Author.

Digitized by Google

NVMMVS CASTRENSIS ANDREÆ CARDINALIS AUSTRIACI: Belgij Gubernatione ſuſceptâ, & munimento S: Andreæ extructo: cuſus: Anno Chriſti 1598.



PRofectionem in Hiſpaniam inſtituturus Albertus, Archidux Auſtriæ, Principem Andream Auſtriacum Cardinalem ſuo nomine Belgicis rebus cum imperio præeſſe juſſit: Ordinesque univerſos, ut eum opera & conſiliis adjuvare vellent, ſeriò eſt cohortatus: belli verò adminiſtrationem Franciſco Mendozæ Arragonio Thalaſſiarchæ demandavit.



Poſt Archiducis abitum non modò non res quietiores in Belgio fuerunt; ſed in maius etiam bellum exarſerunt. Mendoza enim, Rinbercâ captâ, validiſſimo exercitu ditiones Imperij invadit, & exercitum Hiſpanorum, pabuli alimoniæque inopiâ confectum, in hyberna, ſed non in hoſticum quidem, ut Andreas Cardinalis juſſerat, ſed in Cliviam, Weſtphaliam, Marchiam, diœceſin Monaſterienſem deducit: oppida plurima & arces partim vi, partim deditione occupat; nullũ non erga devictos crudelitatis genus exer-

Digitized by Google

exercet: & ex hâc cauſâ Germanorum arma & odium in ſe concitat. Interim Cardinalis edictum Infantis Hiſpaniæ nomine promulgat, quo omne commercium cum Holandis & ſociis prohibebatur: idem faciunt Unitarum Provinciarum Ordines. Hiſpanis deinde ipſius mandato, ex Imperij ditionibus in hoſticum deductis, Bommeliam fruſtrà obſidet, Mauritio ſe obijciente: ubi collatis ſignis aliquoties velitatum. Durante obſidione illâ Germanus quidam, caſtrorum metandorum peritus, ad Cardinalem venit, locumque caſtello ædificando valdè opportunum ei commonſtrat, in Iſthmo quodam Inſulæ, ad pagum Roſſemum, inter Moſam & Vahalim, quo utriusque fluminis navigatio impediri, viciniſque locis, veluti compedes inijci poſſint. Cardinalis igitur ipſe cum præcipuis ducibus ad inſpiciendum locum profectus, conſilium probat, operisque initium quā primum fieri jubet. Sic ad quintum diem Junij prima, Regij propugnaculi, jacta ſunt fundamenta, & ab ipſo Cardinali primus poſitus eſt lapis. Magno certè & incredibili propè labore ſumptuque Caſtelli illius conſtitit exædificatio, pomeriis, ad inſtar oppidi, ſanè quam latis deſcriptis, tum moletrinis, piſtrinis, idque genus ædificiis, ut & Sacello, D. Andreæ ab ipſo Cardinali conſecrato, ornati. Extrema pomeria quoque contra hybernos fluctus, lorica craſſa, aggeris inſtar, obiecta, nihilque penitus omiſſum fuit, quod ad loci defenſionem ullo modo pertinere videretur. Caſtellum hunc ad modum extructum, & præſidio ſatis amplo munitum, S. Andreæ, quod & Cardinalis, nomen accepit, Alberto poſtea cum Infante, ex Hiſpania in Belgium redeunti; ad D. Virginem Hallenſem obviam factus Andreas, gubernationem ſibi commiſſam reſignavit. *Cæterum in nummo ſuo Deo & Regi ſe inſervire arguit Mendoza vigilando: intrepidè res periculoſas aggrediendo: nihil procraſtinando. Curæ ac circumſpectionis ſymbolum, Grues; celeritatis Delphini: fortitudinis Leo. Quid candela? Alludit ad illud: Inſerviendo aliis conſumor. Meteranus: Caſp. ab Ens. Author.*

NVMMVS CASTRENSIS CAROLI DVCIS SVECIAE, CVSVS EXPEditione ſuſceptâ contra Sigiſmundum Poloniæ & Sueciæ Regem. Anno Chriſti 1599.



SIGISMVNDVS III. Sueciæ & Poloniæ Rex, claſſe multarum navium comparatâ, menſe Auguſto expeditionem in Sueciam, ad res in regno avito & patrio turbatas componendas, ſuſcepit. Non minorem vero regiâ potentiam & authoritatem in Suecia obtinebat Carolus Sudermaniæ Dux, Sigiſmundi patruus, peneque unus obſtare videbatur, quo minus præfectis Regiis, quantam vellent, obedientia præſtaretur. Ad famam claſſis Regiæ appulſæ pauci Suecorum Proceres ad Regium exercitum ſe adiungunt. Interea Carolus cum exercitu Stecoburgum ſe Regi obijcit; & pacis conditiones offert. Rex tridui conſultatione fruſtrà habitâ, de nocte Lincopiam verſus cõtendit; diſcedentem Carolus quantâ poteſt celeritate conſequitur, & collatis caſtris, denuò caduceatorem de pace mittit: ſed Rex diem locumque conſtituit, ubi prœlio decerneretur. Cum totum eum diem Regia acies in procinctu ſtetiſſet, Sueci vero ſui copiam non feciſſent, Poloni in caſtra læti revertuntur, & armis poſitis, equiſque alligatis ſecurè agunt. Interea trepidum de Suecorum adventu in caſtra nuncium allatum ſemiſopitos excitavit. Poloni Suecos fortiter primum excipiunt; ſed multitudine oppreſſi tandem in fugam vertuntur. Rex ſuis laborantibus Suecos aliquot equites ſubſidio miſerat; verum illi vix viſo eminus hoſte, ſunt dilapſi. Promoventibus aciem Suecis Rex pontes deijci iubet, quæ res Polonis omnem ad ſuos reditum intercluſit. Hâc clade acceptâ inducias à Carolo petens impetravit, habito colloquio Dux Regem Lincopiam comitatur, & in Regium palatium unà cum eo divertit. Paucis diebus Rex Stecoburgum, inde Calmariam verſus veſtigia relegit, ubi conſcenſis navibus ad Dantiſcum eijcitur magis quam exponitur, conatibus eius ubique adverſante fortunâ. Rege Calmariâ digreſſo, quam firmo Germanorum & Heiduccorum præſidio communicaverat, Carolus urbem & arcem ſtatim terra marique obſidet,

& fame ad deditionem cogit. Inde extracti primores quidam capitali ſupplicio afficiuntur, Heiducci, & Poloni cibo refecti incolumes in Pomeraniam traiecti, Germani verò ſtipendio conducti ſunt. *Antica nummi pars Jehovæ nomen exhibet, quo totum Trinitatis myſterium deſignando, innuere voluit Carolus, ſe præcipuè numinis divini auſpiciis incertam belli aleã experiri: neq́ gloriam inde partam cum quacunq́ re creatâ communicare velle. Poſtica mergetem repræſentat, familiare Stemmatis Suecorum gentilitij ſymbolum*

Ex Merc. Gallicobelg. Author.

Digitized by Google

NVMMVS ICONICVS RUDOLPHI SECUNDI IMPERATORIS Romani: profligato Cardinale Bathorio, & Tranſylvaniâ recuperatâ: cuſus Anno Chriſti 1599.



CUm Andreas Bathorius Cardinalis, Tranſylvàniæ principatum, inito cum Turcis fœdere, aſſumptoque in ſocietatem belli Moldaviæ Palatino, invaderet, ad eum reprimendum Michael Valachiæ Vaioda, qui totus tum à Cæſaris partibus ſtabat, triginta hominum millia conduxit, & in Tranſylvaniam progreſſus, Cronſtadium vi occupavit: relicto eâ in urbe forti præſidio; quo Polonis iter procluderet, quos metus erat, ne Cardinali opem ferrent. Inde Zeccleris, ſpe gratiæ, & recipiendorum privilegiorum, in Cæſaris verba adactis, Hermanopolim contendit. Ac licet varijs perſuaſionibus ab inſtituto eum avertere conaretur. Nuntius Apoſtolicus, unà cum Gogari Membarſio, & Moyſi Zecklero, denegatis attamen auribus incæpto pergit Vaivoda, inque Cardinalem, non procul Cibinio, impetum facit. Inito prœlio ſtatim ad Vaivodam victoria inclinat; Bathorianis ad internecionem occiſis.



Inde Valachi Tranſylvanorum caſtra diripiunt (in quibus multum prædæ repertum, interque cætera machinæ quadraginta quinque) & Viſeburgum profecti, magno civium gaudio, & congratulatione excipiuntur. Vaivoda poſt pugnam, ſtatim vias obſidere jubet, & in omnes partes mittit, qui Cardinalem è fuga retraherent. Interea Bathorius Iſtvan Cardinalis agnatus copias, quantas poteſt, contrahit, quas opponeret Vaivodæ: præcipuã in Polonis ſpem reponens: quæ tamen ei citò, poſtquam Rex per univerſum regnum edixiſſet, ne quis contra Cæſarem arma ferret, erepta fuit. Nemine ergo reſiſtente, Vaivoda Clauſeburgum, mox Hoſtam deditione capit: unde Iſtvan elapſus, Somblij poſtea à Georgio Baſtâ fuit interceptus. Sola reſtabat Vinaria præcipuum iis in locis munimentum, magnoq; præſidio firmatum: quod & ipſum tamen labore non magno fuit receptum. Tandem Cardinalem Bathorium Valachi, qui ad eum perſequendum miſſi fuerant, in fuga cum ſeptem familiaribus trucidarunt: & caput cervicibus abſciſſum, lanceæque infixum, ad Vaivodam retulerunt: qui confeſtim corpus perquiri, & Viſeburgi magnifico ſepulchro, quod Cardinalis fratri ſuo, Sigiſmundi Bathorij juſſu, interfecto fecerat, inferri juſſit. Idem brevi tempore universâ regione potitus, Tranſylvanos in Cæſaris fidem recipit, & ab eis viciſſim, ut Cæſaris Legatus, eâ lege recipitur: ut in Cæſaris ditionem

ipſi

ipſi concederent, Cæſar libertatem & privilegia ſua ne impediret. Cum magna itaque ad Cæſaris fortunas acceſſio facta eſſet, regione tam opulentâ ad imperium adjectâ, majoribus viribus bellum contra Turcas geri poſſe videbatur. *Nummus unâ facie imaginem Rudolffi Imperatoris referens, ex alterâ verò Triumphalis eſt. Videre hic namq; licet, ſub virginali ſchemate, victoriam: ſiniſtrâ coronam lauream efferentem: dextrâ facem Bellonæ atq; turbarum extinguentem: Conſpiciuntur catenis vincti hoſtes, mox ante currum triumphantis ducendi in opprobrium: exhibetur ſpecioſa armorum ac manubiarum oſtentatio, non infimum pompæ triumphalis decus. Ex Merc. Gallicobelg. Author.*

Digitized by Google

NVMMI IVBILÆI
PONTIFICVM ROMANORVM HVIVS SECVLI

Alexandri VI Pont. A° 1500 cusi

Clementis VII Pont. A° 1525



Pauli 3tij et Ivlij 3tij Pontificum Rom. A° 1550.



Gregorij XIII Pont. Max A° 1575



UT lacunæ alibi aliæ tibi occurrunt, amiciſſime Lector, ſic in nummis hiſce Jubilæis (qui coniungendi mihi potius, quam diſperſim ponendi videbantur) quo loco Alexandri Sexti ponendum erat donativum, vacuum deprehenditur. Natalis quaſique origo nummorum huiusmodi ex Hiſtoricis tibi nota: & dicetur à me nonnihil in centenario antecedente 1400. cujus iam pars maxima, à me non affecta ſaltem, ſed etiam confecta.



QUia & hi nummi Belgici ante annos triginta à Jacobo Barlæo congeſti diverſos annorum habent numeros, ad finem eos reſervare placuit. Non vero eorundem addere explicationem, verſibus ab eodem Barlæo comprehenſam: ne fortè, cum toto hoc in opere curarim ſedulò, ut cuiusvis, & gentis, & hominis à me illæſa maneret dignitas, atque exiſtimatio, in ipſo, quod ajunt, portu impegiſſe videar.

FINIS

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO S.

Votum mihi erat, Lector benevole, ut numiſmatica hæc mea quam emendatiſſima in lucem prodirent. Verum, cum maximè etiam circa hæc diligentibus ac curioſis illud eveniat Plautinum. Qui cavet, vix cavet. Cum etiam cavet, ſæpe is cautor captus eſt, fieri facilè potuit, ut, me ab operis typographicis abſente, errata & hæc & alia irreperent. Levioribus omiſſis præcipua ſic emendo.

	Folio.	Linea,			Lege
In titulo dedicationis.	2	6	Matthiæ Secundi		Primi
In Carminibus gratulatoriis.	10	1	amare		avare
	12	2	Zoylum		Zoilum
	3	13	afficio		ſupplicio
	6	2	Cortuba		Corduba
	6	7	Mganus		Magnus
	6	31	Franuſc.		Franciſcus
	14	12	Vincentium		Vincentinum
	40	8	fomitum		fomitem
	50	22	capta		cæpta
	58	20	Mediolenſi		Mediolanenſi
	64	14	Albeſteſtri		Alpeſtri
	71	10	Ignos		Ignes
	74	15	Quieciardus		Guicciardinus
non in omnibus eſt emendatum	77	11	Guſtavus Daniæ Rex		Guſtavus Sueciæ Rex
	ibid.	13	Chriſtiernus erat Sueciæ Rex		Chriſtiernus erat Daniæ Rex
	79	5	Vuræ		Iure
	90	9	Pedemontario		Pedemontano
	98	2	Carolo V.		Caroli V.
	92	11	ſervilia		ſervitia
	106	6	omiſſum eſt	Lege	orenderat
	107	18	Vin		viri
	108	4	1644		1544
	127	22	reſtentibus		reſiſtentibus
	147	5	Batæna		Balæna
	149	25	ac obſidione		ab obſidione
	154	1	promiſſimus		præmiſimus
	156	3	cogebantur		cogebatur
	161	ultima,	vi		ut
	169	verte folium,	pone		170.
	174	2	Medici		Medices
	176	2	Caroli		Caroli V. Imp.
	177	2	Hiſpania		Hiſpaniarum
	178	2	& cm ipſi		& cum ipſi
	194	22	Eliſabethum		Eliſabehtam
	197	11	Ambulla		Ampulla
	199	14	facte qontifico		facto Pontifice
	207	14	Hugonothæ		Hugonotæ
	Ibid.	14	ipſa		Ipſe
	208	19	adorant à tergo		Orientem à tergo
	210	17	pacis		Victoriæ
	215	5	agatu		agatur.
	229	16	evocatur		evocatis
	eodem	19	Naſſonienſis		Naſſovienſes
	231	34	Principium		Principum.

Digitized by Google

Folio.	Linea,		Lege
233	21	GangolphusQuirinus à Geroltzeck	Gangolphus Quirinus, Dominus in Hohen Geroltzeck.
235	14	exuaniri	exinaniri
245	17	ſucceſſi	ſucceſſu
258	19	ſucceſſus	ſeceſſus
Ibid.	24	Monpoſerii	Mompenſerii
260	24	Quod	Quot
262	6	Polonio	Polonico
274		ſiimilis	ſimilis
287	3	in felici	infelici
302	8	compeditores	competitores
304	3.29.31	loicuſio	loieſio
305	3	Curſus	Currus
308	5	Unſenheim	Beſſenheim
311	1	Caſtrenſis	Obſidionalis
313	6	prætentiones	prætenſiones
315	15	riciſisq;	reciſisq;
Eodem	25	amiſſiis	amiſſis.
317	11	eſi	erſi
319	12	diſtibuit	diſtribuit
eodem	20	iamen	tamen
324	8	Aiax Oilei	Aiax Telamonie
327	18	ademiſſes	ademiſſe
328	3	obtaniſſe	optaviſſe
329	20	dimittijt	dimittit
349	11	Aranſiorum	Auranſiorum
356	7	Quiuti alios	labores alios
Ibid.	10	& gralis	& gratis
366	10	Epigraphes	Epigraphas.

Pagina Nummos Cameracenſes exhibens Anno 1595. referenda ad folium 357.
Pagina Nummos Honorarios continens Rudolphi II. Imp. & Archiducis Matthiæ, Anno 1598. cuſos, folio 365. inſerenda.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google